BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LV
D
33
NAPOLI

LV. D. 33

APOLOGETICVS
EORVM QVI HOLLANDIÆ VVESTFRISIÆQVE ET VICINIS quibuſdam nationibus ex legibus præfuerunt ante mutationem quæ evenit anno CIↃ IↃ CXVIII.

SCRIPTVS

AB HVGONE GROTIO I. C.
antehac Fiſci Hollandici, Zelandici, Vveſtfriſici advocato, ac poſt adſeſſore oppidi Rotterodamenſis, & inter curatores reipublicæ Hollandicæ ac Vveſtfriſicæ delegato.

Cum refutatione eorum quæ adverſus ipſum, atque alios acta ac iudicata ſunt.



PARISIIS,
Sumptibus NICOLAI BVON, via Iacobæa ſub ſignis ſancti Claudij, & Hominis Silueſtris.

M. DCXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

HOLLANDIÆ,
VVESTFRISIÆ VICINARVMQVE NAtionum rectoribus ſuperioris atque inferioris gradus, populoque omni

HVGO GROTIVS SALVTEM.

VEtvs *hoc dictum à maioribus noſtris ad nos devênit: mendadacium vtcanque celeres curſus habeat, tandem tamen à veritate deprehendi: cui conſentit illa Græcorum ſententia, veritatem Temporis eſſe filiam: Quamobrem nihil eſt quod miretur quiſquam, ſi defenſio innocentiæ noſtræ quarto demum anno prodit poſt mutatam apud*

nos rempublicam, noſque per iniuriam condemnatos. Iure proditum eſt, impedito tempora cauſis fatalia non labi. Ego quo minus iuſta mea in lucem proferrem impeditus varie fui: primum Hagæ per menſes novem, dum omni hominum aditu interdudor: deinde Lupeſteinenſi cuſtodia, quæ vt dominantibus libitum intendebatur, etiam ſupra quam aut ſententia ferebat, aut federatorum procerum decreta. Poſtquam his vinculis divina me beneficentia exſolvit, tempore opus fuit ad ea conquirẽda quorum ſubſidio cauſa non tam mea, cuius nihil niſi miniſterium fuerat, quam eorum quorum ſub poteſtate fueram, indigebat. Adde iam quod quæ vitia efficiunt vt acta & ſententia ipſo iure nulla ſint, atque ea præſertim quæ iuri publico adverſantur (cuius generis multa admodum indicabuntur) quovis tempore, dum triceſimum intra annum, detegi poſſunt, ita vt nec provocatio deſideretur, ſed ea ſatis ſit ad eorum, quorum intereſt, notitiam per-

duci:quod factum videmus in cauſa Vuilhelmi Arauſionenſium Principis, *Comitumque Egmondani & Hornani. Iam vero & hoc apparet ademtam nobis fuiſſe provocandi libertatem, quando iudices dati ſunt in nos ab iis quibus dandi ius non fuit & quorum res agebatur. Præſcriptio fori qua remitti poſtulabamus aut ad Proceres Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, vt ſummas noſtras poteſtates, aut ad proprios cuiuſque iudices ſecundum patriæ oppidorumque leges, admiſſa non fuit: ſed & inanis erat reddita, deiectis contra leges illis, quibus nos actuum noſtrorum rationem reddere & ius & æquum fuerat. illæ igitur viæ cum nobis ſine facto noſtro obſeptæ ſint, reſtat hæc quam inimus vnica ad veritatem iis omnibus aperiendam qui ſub affectibus animũ non habent, etiam poſt futuris. Ea vero hæc eſt. Inter doctores eius religionis quæ Reformatæ nomen obtinet, tum apud nos tum alibi ſententiarum quædam varietas fuit,*

ſuper prædeſtinatione divina, gratiæ amplitudine atque efficaciæ modo & de perſeverandi certitudine , quod editis libris manifeſtum fit. Eorum numerus qui prædeſtinationem certa ſub lege , Gratiam univerſitati hominum expoſitam, efficaciam non ineluctabilem, & perſeverandi certitudinem non ſine conditione aliqua ſtatuunt, cum aliqui pridem fuiſſent Traiecti, Goudæ, Hornæ , atque alibi, inquirendi ſtudio ſumſit incrementa: his oppoſuerunt ſe alij prædicantes eam opinionem cum verbo Dei & conſenſus formulis pugnare, atque illos paſtorali munere deiicere, aliiſque cenſuræ Eccleſiaſticæ notis inurere aggreſſi ſunt. tum qui accuſabantur, premebanturque verbis ſe defendere. Hollandiæ & Vveſtfriſiæ proceres ſecuti conſilium, primùm ſuperioris iudicum apud ſe conſeſſus, deinde etiam Britanniæ Regis, ore enuntiatum perſcriptumque, cum ſatis appareret, ſiqua ſuper illis controverſiis ex plurium paſtorum ſententia definitio fieret,

non abituram rem ſine divortio, corpus ipſum Reformatæ religionis ipſamque rempublicam non modice afflicturo, multoſque magiſtratuum, vt iam de civibus privatis compluribus virtutis & patriæ amantibus nihil dicam, animo eſſe ita propenſo in eam quæ accuſabatur ſententiam, vt eius damnationem ſalva religione neque probare poſſent, neque ei poteſtatis ſuæ vim accommodare, optimum factu iudicarunt edicere paſtoribus, vt in iis controverſiis alter alterum ferrent, neque tractarent id argumentum niſi temperatè & quatenus ad pietatem conduceret, manente fraternæ caritatis inter ipſos vinculo. Vtque abrupta omnia illarum quæſtionum vitarentur, neque novis pateret aditus, alia atque alia deinceps facta ſunt decreta, quæ viris pie doctis, domi foriſque compluribus placuere. Sed enim paſtorum aliqui cum certam ex definitione victoriam animo præcepiſſent, neque ad eam via legitima pervenire poſſent, intercedentibus de-

cretis quæ dixi, clandeſtinis cætibus atque arcano inter ſe federe plebem ad ſeceſſionem Eccleſiaſticam ſuſcitarunt, atque, vt ei auctoritatem adderent, apud oppida quædam & nonnullas nationes vicinas in id laborarunt vt res deduceretur ad communem Synodum, quam ipſi, quaſi ſeptem fœderatæ nationes vna natio forent, vocant nationalem, quod nolentibus erat Hollandiæ rectoribus pleriſque, Traiectinis quoque & Tranſiſalanis & parti Geldriæ, metu malorum quæ ex definitionibus naſci ſolent. Eidem ita cenſebant, ab eis nationibus quas iſtæ controverſiæ minus occupabant cogi ſe non poſſe, vt tali ad definiendas quæſtiones conventui indicendo accederent, quando ſingulæ nationes etiam poſt fedus Traiectinum inter ipſas initum, quomodo cętera ſupremi imperij, ita etiam ius ordidinandi Eccleſiam & ſacra publica ſibi exceperant, teſtante id federe ipſo, actiſque poſterioribus & more ad vlti-

ma hæc tempora continuo. Neque eo minus teſtabantur velle ſe perſtare in religione reformata, hac lege vt in iſtis controverſiis diſſentiendi libertas permitteretur: cui ſine turbis populique motu cum modo vſurpandæ conditiones variæ proponebantur. Sed pendente hac deliberatione qui paci mutuæ adverſabantur aliquot in locis templa invaſere, alibi ieiecere diſſidentes, quin & ius illud oppugnarunt quod in Hollandia æque vt apud populos vicinos magiſtratus exercuerant antiquitus & ad id tempus exercebant, veniendi in partem ſuffragiorum, quoties de ſacro munere mandando agitur. Fuere & qui acerbis declamationibus & libellis famam attentantibus rectores plebis obiicerent odio, atque etiam vim in eos facerent. Mauritius Arauſionenſium Princeps cum diu ſe quietum in his controverſiis continuiſſet, arcanis quorundam artibus in Oldenbar-

neveldium Hollandiæ aſſeſſorem (advocatum vocant) florentiſſimæ pridem apud conventum auctoritatis, à quo olim cum induciæ fierent, diſſenſerat, magis magiſque concitatur: Simul de forma reipablicæ, cui minus ſe immiſcuerat hactenus deſtrictus negotiis militaribus ea docetur quæ neque cum legibus, neque cum moribus congruebant. Tandem igitur quæ pro ferenda ſententiarum diverſitate ab Hollandiæ proceribus decreta erant, improbare incipit, deſertiſque templis publicis aggregare ſe iis qui ſeceſſerant : Etiam proceribus Hollandiæ ignaris præcepta dedit ordinariis militibus ne ſe moverent in negotiis quæ ex eis controverſiis orirentur, cum aliter ſentirent Hollandiæ proceres, ſuis nimirum decretis obſequium à milite deberi & tutelam oppidorum rectoribus, lociſque publicis adverſus vim qualemcunque ac ſeditionem. Ea re moti magiſtratus nonnulli oppidorum vbi aut nulla, aut ſuſpecta rectoribus, ob ea quæ dixi, præſidia erant,

ex decreto procerum Hollandiæ cuſtodias oppidi ſui auxere atque ordinavere, quo iure & antehac vſi ſæpius fuerant nihil contradicentibus proceribus Federatis aut præfecto qui idem ordinariorum militum eſt magiſter. Fecerunt idem in ſua terra proceres Traiectini: tamque hi quam illi profeſſi ſunt habituros ſe hunc militem ſuis impendiis extra communia rei bellicæ onera. Sub idem tempus duo iudicum, ad quos ab oppidis provocatio eſt, conſeſſus, incipiunt contra decreta procerum Hollandiæ decernere iis literis quibus quos viſum in ius vocabant. id vero Hollandiæ proceres non iure factum & iudiciariæ poteſtatis terminos excedi, pronuntiant, vt & ante hæc tempora ſæpius. Nationes nonnullæ à Principe Mauritio aliiſque impelluntur vt communem Synodum quam nationalem vocari diximus conventus Fœderatorum nomine indicant, & militares oppidorum cuſtodias diſſolvant. Opponunt ſe huic molitioni tum Hollandi, tum Tra-

iectini proceres, teſtati non licere Federatis ex maioris partis ſententia ſeſe intercedentibus iis in rebus quicquam conſtituere. Pergunt illi Synodum indicere, vocatis etiam aliarum gentium Theologis, nec aliis tamen quam quos conſtaret accedere illis placitis quibus victoria deſtinabatur. Reiectæ conditiones quas Hollandi aliique ferebant ad res placide trãſigendas. Atque interim Princeps Mauritius cum nonnullis ex conventu federatorum legatis Traiectum proficiſcitur, invitiſque eius nationis primoribus cuſtodiam exarmat: quod ne fieret, legati ab Hollandia fruſtra laboraverant quibus à ſuis proceribus iniunctum erat, vt Traiectinis primoribus pro virili adeſſent, & ſi res exigeret, ordinarium militem ſibi merentem monerent nequid invitis proceribus Traiectinis per vim attentaret in rebus ad internum eius nationis regimen eiuſque ſecuritatem pertinentibus ut quæ nationes ſeorſum ſingulæ penes ſe retinuiſſent. Rex

Galliæ intellectis amicorum diſſidiis, Boſſizium ad ipſos allegat, qui conſequenter his quæ per Maurerium eiuſdem Regis ordinarium legatum acta hactenus fuerãt, auctor eſſet omnium quæ ad concordiam ſpectabant: eiuſque ſpe adducti oppidorum in Hollandia rectores, vt cuſtodias dimitterent. Vix id factum erat cum octo homines procerum Fœderatorum nomine aſſumto à quibus mãdatum ad eam rem non habebant, capi iubent Oldenbarneveldium (quem Hollandiæ proceres non multo ante in tutelæ ſuæ fidem receperant) Hogerbetiumque & me. Adverſum id Hollandiæ proceres & noſtrorum oppidorum rectores querelas exponunt. Cum diu detenti in carcere & interrogati ſubinde eſſemus, tandem nomine Fœderatorum procerũ iudices in nos dantur. neq; profuit nobis ex patriis legibus moribuſq; docere nullã Fœderatis primoribus in eos eſſe iuriſdictionẽ, ipſoſq; iudices multis de cauſis ſuſpectos eſſe. Pergitur in propoſito, neq; data nobis re-

cognoſcendi quæ in quæſtione perſcripta erant, neque iuſta noſtra patefaciendi, neque probandi facta ad defenſionem pertinentia, neque teſtes refellendi, neque aliorum conſilio vtendi poteſtate, fertur ſententia mortis quidem in Oldenbarneveldium, perpetui vero carceris in nos, in vniverſos bonorum publicationis. Anno poſt, inauditis nobis, ſecuta eſt ſententiæ interpretatio qua in Maieſtatem peccaſſe pronuntiamur. Vere profiteri poſſum in ſententiā contra me multa poſita extra verum, multa quæ diſertè à me negata ſunt, quędam quorum plane ignarus eram, quædam de quibus nec interrogatus ſum, tantum abeſt vt auditus me defenderim. Et hoc & alia multa liquidò apparerent, ſi quæ ad interrogationes ſingulas in quæſtione reſpondi ea integra atque ſincera in lucem proferrentur, quod vt fiat obnixè poſtulo. Ante nos captos Traiecti nobiles vrbiſque rectores, dum capti detinemur per Hollandiam decuriones, conſules, oppidani

iudices tempore non ſuo deſtituuntur, ſuffectis aliis contra leges ſanctiſſimas ipſis quondam Hollandiæ Comitibus iuratas & per multa ſecula piè cultas. Antequam haberetur dumq; habetur Synodus quam Nationalem vocabant, multi paſtores qui Prædeſtinationem docebāt conditione ſubnixam (Remonſtrantes appellari mos erat) munere ſuo deiiciuntur. Ex iiſdem alij ad Synodum vocati iubentur cauſam dicere apud adverſarios qui iam ante ſeceſsionē, declamationibus in templo, Synodoque, libris etiam ſcriptis ipſos prædemnaverant, neque tamen permittitur ipſis ſuam tueri & contrariam ſententiam oppugnare amplius quam Synodo, id eſt adverſariis, æquum videretur. Eiecti Synodo damnantur. ſequitur edictorum ſævitia adverſum damnatæ iam ſententiæ cœtus, ſtipiſque collectionem ad alendos paſtores qui patria expulſi aut relegati ſi redeant, perpetuo carceri mancipantur, illectis per præmia delatoribus. Diſcutiantur cœtus

inclementius etiam quam ferunt edicta, vi ſæpe non incruentâ, magno cum dolore ingentis numeri optimorum virorum Chriſtianæ pietatis patriæque amantium. Ita ſe habet res geſta. profiteor nunc ego non poſſe à me probari ſpretam ferendi ſe mutuo æquitatem procerum Hollandiæ decretis definitam, paſtorumque condemnationem & quæ eam ſequuntur. Quæ omnia æquis agendi rationibus præverti arbitror fuiſſe rectius, cum illa utilia publico Principique Mauritio eſſe non poſſint, quorum ſalus ac gloria, ni fallor, in prona civium voluntate conſiſtit, eorum maxime qui Patriæ devoti addictique ſunt, quales eſſe iudico eos qui magiſtratu ſunt demoti, multaque millia triumphatæ nunc ſententiæ. Attamen in omnibus eis quorum accuſor nihil actum à me eſt privato ſtudio, ſed iuſſu tum Hollandiæ procerum, tum rectorum oppidi Rotterodami, quibus ego, non Federatis proceribus, non alij mortalium cuiquam ſacramentum dixeram:

Quibus

Quibus proinde cum parui nulla à me læſa eſt Maieſtas, ſed ſummis inferioribuſque poteſtatibus id tributum quod natura & muneris neceſſitas exigebant. Si quis habere ſe putabat quod de eis quæ vt aliorum miniſter feceram quereretur, non ego eram conveniendus; ſed quibus in me erat imperium: Quod ſi etiam feciſſem aliquid privato auſu(quod ita non eſt) tamen non ab adverſariis eram iudicandus, neque à conquiſitis in me iudicibus, nec à quoquam qui à Federatis proceribus accepiſſet iudicandi poteſtatem, ſed à perpetuis meiſque iudicibus vt iubent communes patriæ & oppidorum propriæ leges pro quibus arma olim ſumſimus. Animum meum quod attinet, coram Deo & humano genere teſtor non alium eum fuiſſe, quam legitimam reipublicæ formam ſub qua natus educatuſque eram tueri, & Eccleſiæ vnitatem procurare amica, & cum præceptis divinis non pugnante compoſitione, quam ad rem multa à me ſunt propoſita, multa etiam tum in

parato habita cùm in carcerem abducerer. Qui de propoſito meo ſecus iudicant, iniuriam mihi faciunt, neque vlla iuſta ratione nituntur. Vita mea labe notaque caruit. Qui meæ functionis tempore oppido Rotterodamo præfuerũt, ſciunt quam pro eius oppidi ſalute & commodis laboraverim. Curatores fiſci teſtari poſſunt quam acriter & ſine gratia ac metu rem fiſcalem defenderim. Conſeßibus iudicum Hollandiæ nota eſt integritas mea in perſequendis delictis. Qui me in conventu procerum Hollandiæ & in conſeſſu curatorum reipublicæ Hollandicæ vidêre, meminiſſe poſſunt quis labor meus fuerit vt per parſimoniam & vectigalium augmenta ærario ſuccurreretur. Neque ignorat Princeps Mauritius quam ipſius deſideriis ſatisfecerim in privatis negotiis quæ mihi committenda iudicavit. Etiam qui in Federatorum conventu mecum vnâ fuere rogantur animo repetant quam à me collata ſint omnia quæ pertinere poterant ad collocandam in

tuto rem contra vim hoſtium, ad provehenda commercia per Indiam, Americamque, ad amicitiam recte colendam cum regibus aliiſque ſociis ac federatis. Quam cordi mihi fuerit gloria reipublicæ & eorum quæ pro republica fortiter ſunt facta, peculiariter etiam Principis Mauritij laus atque fama, teſtari poſſunt libri partim à me vulgati, partim quos necdum editos amicis videre contigit. Pro his officiis ſi præmium exſpectaſſem, fuerat id quidem non ſine exemplo. Sed nunquam eo reſpexi, contentus meo ſalario & honeſti nominis mercede. Quæ vero mihi gratia repenſa eſt? Quod per menſes novem cum morbis graviſſimis tenerer in arctiſſima cuſtodia habitus ſum ita vt nec coniugem, nec amicos ſemel conſpicere liceret: Quod rei habitu in id auditorium deductus ſum in quo iuris publici dignitas me tuente ſteterat. Quod vni deinde cubiculo incluſus & militum copiis circumſeptus ſum etiam vxori erepta interdum procedendi liberta-

te: Quod facultates exiguæ, & ſi vllæ cuiuſquam in omni populo honeſtè partæ mihi & quinis liberis ademtæ ſunt: Quibus cunctis vnum eſt gravius quod popularium exterorumque aures impletæ ſunt falſo rumore, quaſi prava adverſus patriam conſilia ſuſcepiſſem, quia plerique adduci non poſſunt, vt credant ita quenquam tractari qui quæ egit, bona fide egerit. Neque intra me ſtat iniuria: ſed ad propinquos atque affines immeriti odij ac calumniæ pars redundat, qui tanquam hoſtes publici ac proditores non vno in loco dictis ac factis impetuntur. Contra hæc omnia ſolatium mihi in Deo poſitum eſt & in bona conſcientia, & in exemplo plurium optimorum civium qui nullius peccati, ſed ſolidæ virtutis ergo ſimilia pertulerunt. Prodiit nuper incogniti ſcriptoris Latinus liber qui ait me ob acceptas iniurias ſi non corpore at animo cum Rege Hiſpaniæ futurum. Longe id à vero abeſt. ſcio omnem vltionis cupiditatem Chriſtia-

nis interdictam. Regi Hiſpaniæ nec debeo quicquam, nec debere deſidero. Corpore in Gallia ago: atque dum ibi agam fidem Regi atque obedientiã vt par eſt, præſtabo: patriæ interim, quæ Regis amicitia præcipuè opus habet, ſervabo eum quem antehac animum, ſollicitum pro ipſius ſalute, libertate atque commodis, paratumque operam ei navare ſi qua futura ſit vtilis. Pro quo affectu nihil expeto, niſi vt vos omnes, quiqui eſtis cuiuſcunq; ordinis ac gradus (neque enim ignoro etiam in rectoribus multos eſſe quibus vera eorum quæ in cauſa noſtra geſta ſunt, notitia pravis aliorum artibus ſubducta eſt) exutis præiudiciis de meis aliorumque factis ita iudicetis, vt de veſtris iudicari ipſi velletis: Eamque ob rem Deum ſupplex veneror, vt mentem vobis illuſtret, quo veritatem conſpiciatis, & ſinguli pro ſuis partibus id faciatis quod ius & æquum poſtulant, præſertim verò vt rationes inveniatis concordiæ, quæ, ſi vnquam, hoc tempore maximè neceſſa-

ria eſt. Eos vero qui aliter quam ego & mihi impoſitæ poteſtates ſenſerunt antehac, amicè oro atque obſecro quæ à me dicentur ne in ſuam iniuriam dicta interpretentur (quem animum à me abeſſe aperte teſtatum cupio) ſed tanquam partem neceſſariam defenſionis quam à me res ipſa extorquet. Quos intra fines tam anxię me continui, vt multa nec levis momenti neque, lucem exiguam huic cauſæ allatura in tempus præſens omiſerim, quod ea proferri non poſſent, niſi quidam qui cæteris multum exſtant deſignatius tangerentur.

CAPITA LIBRI.

DE ſummo imperio quod penes quamque nationem eſt in Belgicogermania. pag. 1. I.

Quod ius ſummis poteſtatibus circa ſacra competit id in Belgicogermania eſſe penes nationis cuiuſque proceres. pag. 23. II.

Qualem ſacrorum reformationem tueri propoſitum fuerit proceribus Hollandiæ & Vveſtfriſiæ. pag. 50. III.

An mutuo ſe ferre in controverſiis de prædeſtinatione diſsidentes fas fuerit, fierine id ipſum potuerit & an ex vſu fuerit. pag. 64. IIII.

Convocationem Synodi ad definiendas controverſias non modo illegitimam fuiſſe, ſed & tranquillitati procurandæ inidoneam. pag. 88 V.

Quibus modis Hollandiæ & Vveſtfriſiæ vicinarumque nationum proceres componenda cenſuerint Eccleſiæ diſsidia & quæ conſilia in eam rem ſint data. pag 98 VI.

De vſu legis Eccleſiaſticæ anni CIϽ IϽXCI *pag.* 136 VII.

De iure maioris partis in conventu Hollandiæ. pag. 155 VIII.

De his quæ acta ſunt contra pacem mutuam in Eccleſia eiuſque ſuaſores vt ad mutandum reipublicæ regimen perveniretur. pag. 163 IX.

x. *De oppidorum cuſtodiis.* pag. 191
xi. *De ſacramento ducum & militum qui continentur in Notitia militari Federatorum.* pa. 211
xii. *De his controverſiis quæ cum iudicum conſeſſibus inciderunt.* pag. 226
xiii. *De his quæ vitio aut inique geſta ſunt circa noſtri capturam.* pag. 240
xiiii. *De his quæ vitio aut inique geſta ſunt poſt nos captos ante datos iudices.* pag. 253
xv. *De his quæ vitio aut inique acta ſunt in dandis iudicibus.* pag. 259
xvi. *De his quæ vitio aut inique ſunt acta poſt datos iudices.* pag. 282
xvii. *De his quæ vitio aut inique geſta ſunt circa ipſam ſententiam.* pag. 292
xviii *De his quæ vitio aut inique in nos acta ſunt poſt ſententiam,* pag. 297
xix. *Notæ ad ſententiam in me pronuntiatam cum indicatione multorum quæ ibi dicta contra veritatem.* pag. 310
xx. *De mea notitia cum aliis pariter damnatis.* 515

APOLOGETICVS

APOLOGETICVS

EORVM QVI HOLLANDIÆ VVESTFRISIÆQVE ET VICINIS quibuſdam nationibus ex legibus præfuerunt ante mutationem quæ evenit anno CIↃ IↃCXVIII.

CAPVT I.

De ſummo imperio quod penes quamque nationem eſt in Belgicogermania.

QVI res novare inſtituunt ad conſilij exitum pervenire non poſſunt, niſi amotis civibus qui præſentem ſtatum tuentur: quod ipſum ſpecioſè fieri nequit, niſi aliquid ipſis obiectetur; at verò quoties vita eorum civium probro caret (quod genus ferme præſentibus maxime contentum eſt, quod ipſis objiciatur reperiri haud facile poteſt extra ea quæ in

republica acta ſunt: quæ ipſa criminis colorem vt recipiant, aſſerēdum eſt alium fuiſſe civitatis ſtatum quam revera fuit. Ita Hiſpani, & eorum clientes cum Belgicogermaniam externo dominatu vellent opprimere, perſuaſum ibant hominibus, antiquitus ea loca fuiſſe ſub libero & incuſtodito vnius imperio, cum contrà Principum poteſtas inibi devincta ſemper fuiſſet legibus, & procerum poteſtate. Atque hoc falſo obtentu peractum eſt, vt legum defenſores per delegatos iudices (qui exinde ſanguinarij conſeſſus nomen accepêre) damnarentur Maieſtatis. Falli ſæpè hac in re multos haud mirum eſt adeo, cum ad pernoſcendum civitatis cuiuſque ſtatū, penitus opus ſit eius populi iura ac mores tenere. Polybius ſummi iudicij ſcriptor tradidit ſua ætate Græcis alijſque gentibus externis creditum Romæ ſummam fuiſſe Senatus poteſtatem, quod apud Senatum audirentur legati, atque ab eo reſponſum acciperēt. Quare mirandum non eſt, ſi nunc ab extraneis quibuſdam creditur Belgicogermaniæ nationibus legatos nationum, quibus Federatorum procerum nomen eſt, ſummo iure præeſſe quod in eo Federatorum conventu audiuntur legati, reſponſaque accipiunt: quodque nomine Fe-

deratorum maxime ad Reges, Principes, atque civitates literæ perſcribuntur. Sed quemadmodum Polybius oſtendit penes populum,non penes Senatum fuiſſe ſummam imperij Romæ, ita apud nos vere dicitur ſummum imperium non penes illos eſſe legatos nationum qui Federati proceres dicuntur, ſed penes cuiuſque nationis primores, quæ quidem nationes ad opem mutuam federe connectuntur;ita vt in Federatorum procerum poteſtate ea ſint omnia quæ ad communem defenſionem pertinent, aut quæ nominatim ex federis formula,aut conſenſu peculiari ad eum conventum deferuntur : manentibus rebus cæteris penes ſingularum nationum primores. Multi de Helvetiis putarunt omnes ſub vno imperio contineri : itidem de Rhetis. Sed rerum gnari Bodinus, Simlerus atque alij nos docent cuique pago ius in ſe ſummum eſſe,ſed ipſos inter ſe pagos arcto federe devinciri. Atque hoc diſcrimen vnius civitatis quæ multas ſub ſe partes complectitur, vt Gallia Normanniam, Britanniam Armoricam , Campaniam, aliáſque, & plurium civitatum inter ſe federatarum, vt apprimè neceſſarium ad diiudicandum imperij cuiuſque ſtatum, nobis commendatur ab iis omnibus qui de

Bod. lib 1. c 3.

republica ſcripſerunt. Exemplo ſint magnæ vrbes Græciæ, puta Athenæ, Thebæ, Corinthus: iis ſingulis in ſe plenum erat imperium: neque tamen eo minus aduerſus vim Perſarum inter ſe colligabantur: atque ad communia federis negotia inſtitutus erat Amphictyonum conventus. Itaque plerique Italiæ populi Regum Romanorum ævo jus in ſe ſummum habebant: ſed inter ſe atque cum populo Romano federe erant devincti. Neque aliter rem ſe habuiſſe apud noſtros populos tum Principum tempore, tum poſt ſumpta pro libertate arma, & credidi ſemper, & iam anni ſunt duodecim cum publice ſum profeſſus in libro cui nomen feci de antiquitate reipublicæ Batavicæ, pro quo Hollandiæ proceres eo tempore gratias mihi habuerunt, addito & munere: neque Federati primores vllum offenſi animi ſignum dedêre. Quanquam verò totus is quem dixi liber id quod dixi me ſenſiſſe apertiſſimè teſtatur, vnum tamen locum præ cæteris inſignem apponam: *Ordinum autem federatorum conventus cum ſenatu, per quos, ſalva cuiuſque populi maieſtate, ea quæ ex federe ſunt communia explicantur, Amphictyonico conventui ad amuſſim reſpondet.* Verè teſtari & hoc poſſum, quandiu conventui Hollandiæ

Sig. de ãtiq. jur. Ital. lib. 1. c. 1 li. 111. c. 114.

interfui, ſemper poni extra controverſiam audiviſſe me ius ſummum cuiuſque nationis, nulla inter eius conventus membra hac ſuper re orta diſſenſione, niſi menſe vno aut altero priuſquam nos caperemur, quo tempore delegati nonnulli oppidorum Hollandiæ, & Vveſtfriſiæ, poſtquam clam & iniuſſu eorum à quibus delegati erant cum aliis nationibus coierant, ab illa vetere ſententia nonnihil diſceſſerunt. Argumenta quæ me alióſque impulerunt, vt plane ita quemadmodum dixi ſentiremus, iſta ſunt.

Principio notũ eſt, nationes quæ nunc in vno ſunt federe, antiquitus non ſub vnius Principis fuiſſe imperio, niſi quod Hollandia & Zelandia eoſdem ſemper Principes habuêre. Nã Geldria ſuos habuit Tutores primùm, deinde Comites, poſtremò Duces: quorum ius, controverſum tamen, à Carolo Burgundo emtum cum eſſet, non manſit penes eius poſteros, ſed tandem multorum iura certaque poſſeſſio ad Carolum Imperatorem eius nominis quintum pervenerunt. Idem ab Epiſcopis Traiectinis indeptus eſt civile regimen Traiectinæ & Tranſiſalanæ. Friſij tum qui intra Lavicam, tum qui vltra Lavicam sũt, liberam olim rempublicam ſine Principe ha-

buêre: donec illi Saxonem præfecti hæreditarij vocabulo, hi Comites primũ Tranſamaſianæ, deinde Geldrum, Principes accepêre, quorum ius idem ille Carolus Quintus vt ſibi trãſcriberetur effecit: tamque ipſe, quàm filius eius Philippus apud nationes ſingulas ſolemniter in principatus poſſeſſionem introducti ſunt, & in leges cuiuſque nationis iurarunt, & à ſingulis viciſſim obſequij ſacramentum accepêre. Ipſe Carolus Imperator cum anno CIↃ IↃ LV principatu abiret in allocutione ad nationum legatos dixit: *Quanquam eæ eſſent diverſæ atque ſeparatæ* (hæc ipſa ſunt verba) *ab ijs tamen vnum conſtitui corpus, atque eius corporis membra debere opem inter ſe ferre mutuam. Nam abſque tali concordia atque conſpiratione partium, promptum hoſtibus fore ipſas invadere; quod ſi manerent inter ſe colligatæ, & aliæ alijs auxilio, experimentis compertum quid poſſent in externa vi repellenda.* Acta publica & annales nos docẽt circa annum CIↃ CCCCXLI ab Hollandis adverſus civitates ad mare Balthicum proprium ſuſceptum eſſe bellum, cum interea Brabanti, Flandri, atque alij eiſdem Principibus domus Burgundicę parentes populi cum ijſdem illis civitatibus pacem haberent.

Neque mutavit res, ex quo pro libertate

parentes noſtri arma ceperunt. Neque enim initio ſumpta ſunt ea arma decreto omnium Belgicogermaniæ nationum in conventu communi, ſed Hollandorum ac Zelandorum, quibus pauci ex vicinis ſocios ſe addiderant, cum Geldri interim, Traiectina, Friſia cis Lavicam, Tranſiſalana, Friſia trans Lavicam manerent ſub prefectis Hiſpanicis. Hollandiæ autem & Zelandiæ primores, cum anno CIↃ IↃ LXXIII ſcriberent ad primores Belgicogermaniæ totius non aliter quàm amicos atque fratres eos ſalutant. Ac ſub idem tempus in literis ad Regem Hiſpaniæ diſertè ſcribunt: *Nationes haſce, cum olim diverſis Principibus regerentur, matrimonijs, pactis, hæreditatibus veniſſe ſub domum Burgundicam primùm, deinde per nuptias Auſtriacæ familiæ, ac potentiſsimo Hiſpaniarum regno connexas: ſed dicta ſemper lege vt quæque natio ſua iura, legeſq́; & proprium regimen ita vti antiquitus retinerent.* Poſt anno CIↃ IↃ LXXVI Hollandiæ Zelandiæque primores & eorum ſocij, quo tempore cum primoribus aliarum Belgicogermaniæ nationum fedus inibant, cui nomen eſt paci Gandavenſi: caverunt *vt Vvilhelmus Princeps Arauſionenſis Hollandiæ Zelandiæque & ſociorum terris imperaret vti imperabat,* id eſt ne ſubeſ-

ſet præfecto communi: *item ne qua edicta, præcepta in ius vocandi, vocationeſq́ in ius valerent, ni Princeps Arauſionenſis, aut conſeſſus iudicum, magiſtratúſve locorum auctores fierent.* Proinde cum poſtea aliæ nationes Matthiam Auſtriacum præfectum feciſſent, eique addidiſſent conſilium, Hollandi tamen & Zelandi decreverunt ſe ipſius Matthiæ conſilij ve iuſſibus non parituros: ſicut & teneri ſe negarunt eis nominibus quæ illis temporibus facta ſunt à communi Belgicogermaniæ conventu: tantùm abeſt vt ad id tempus Hollandiæ rectores ſummum imperium contribuere voluerint cum cæteris nationibus.

Neque vero Traiectino federe quod factum eſt anno CIↃ IↃ LXXIX de ſummo nationis cuiuſque imperio quicquam imminutum eſt. Quanquam enim fert fedus, nationes omnes inter ſe vinciri colligaríque ac ſi vna natio eſſent, hoc ipſum tamen quouſque ſe porrigat, ſequentia indicant, ne ſcilicet divellantur à ſe invicem, ſed auxilio ſint alia alij. Neutiquam verò id fuiſſe propoſitum, vt miſceretur ſumma imperij; primùm ex ipſa voce liquet federis inibi vſurpata. (eſt enim fedus multorum ſummo imperio vtentium pactio) deinde ex eo quod non omnes nationes deinceps

vna natio futuræ dicantur, ſed iunctæ velut ſi vna natio eſſent: quæ comparationis verba oſtendunt rem ipſam aliter ſe habere cum nihil ſibi ipſi comparetur. Idque ipſum clariùs multo intelligi poteſt, ſi conferas verba primi federis icti inter Hollandos Zelandóſque anno CIↃ IↃ LXXVI *vbi dicitur rem belli inter federatos dirigendam ea concordia atq́ conſenſione, quaſi eæ nationes atque oppida vnius duntaxat oppidi reſpublica eſſent.* Evincũt idẽ verba eius capitis quod primũ eſt in Federe illo Traiectino *: quod tamẽ ſine fraude ſit legum, libertatis, iuris & morũ cuiúſque nationis, oppidi, partium ſingularum, ac civium: quæ federati ſanguine, facultatibus, opeque omni defendent ac propugnabunt adverſus vim à quocunque illatam.* Cùm enim probatum ſit inter iura nationis cuiuſque fuiſſe ſummum intra fines ſuos imperium, ſequitur ſub iuris, morumque vocabulo, hoc etiam comprehenſum : ac proinde ad eius tutelam nationes alias alijs obligari: tantum abeſt, vt ſub communi federatorum nomine iuſtè quicquam attentari poſſet adverſus ſupremam ſingularum nationum poteſtatem, ſequens vſus idem edocuit : nam cum Agrippinenſi colloquio actum nihil eſſet, promiſerunt Hollandi & Zelandi opem ſe aliis nationibus laturos, quemcunque illæ

Principem legiſſent, dum ipſæ manerent quo erant ſtatu. Poſt id nationes nonnullæ ſine aliorum aſſenſu cum Duce Andino egerũt, eique regimen ſui detulerunt. Edicto anni CIↃ IↃ LXXX quo Rex Hiſpaniæ pronuntiatur principatu Belgicogermaniæ excidiſſe, primùm diſcriminantur res communis regiminis à rebus imperij ciuilis, iudiciorumque, & aliarum rerum ad nationem quamque ſpectantium: additúrque in rebus ad nationis cuiuſque proprium regimen pertinentibus vtendum titulo ac ſigillo cuiuſque nationis: in iis verò quæ communis eſſent regiminis rurſus diſcrimen ſtatuitur inter Hollandos Zelandoſque & inter cæteros: dicitúrque per Hollandiam ac Zelandiam præſcribendum actis nomen Principis Arauſionenſis, ac procerum Hollandiæ & Zelandiæ vſque dum Senatus inſtitutus eſſet: per cæteras autem terras in rebus eiuſmodi præſcribendum nomen Ordinum federatorum. Federe quod cùm Duce Andino fuit initum continebatur, vt Hollandi Zelandique manerent in quo erant ſtatu, quod & peculiari cautione propius explicatum. Et quanquam illico ſub id tempus Senatus eſt inſtitutus, Hollandi nihilominus & Zelandi teſtati ſunt ſe ei Senatui vlterius ſub-

ijci nolle, quam in tributis communibus & re militari. Eidemque populi ſcorſim à cæteris Vvilhelmo Principi Arauſionenſi ſub vocabulo ſummi magiſtratus ius quaſi dictatorium detulêre, qua ſuper re iuſiurandum ab ipſis, & Principe Vvilhelmo præſtitum eſt coram primoribus federatis. Dux quoque Andinus edicta & iuſſa omnia à ſe ſuove conſilio profecta mittere ad Vvilhelmum Principem ſolebat vt per Hollandiã Zelandiamq; ſub eius nomine publicarentur. Amplius dicam: anno CIↃ IↃ LXXXIII Hollandiæ & Zelãdiæ primores ſine nationibus cæteris cum Vvilhelmo Principe egerunt de Comitis poteſtate ipſi deferenda certis ſub legibus: cumque aliæ nationes ægrius id ferrent, Hollandi literis ſuis datis VI Maij anni eiuſdem notum fecerunt, & ius ſuum & rationes cur id aggreſſi eſſent. Deinde verò poſtquam cum Regina Angliæ pactiones initæ erant, & nationis cuiuſq; ſigillis firmatæ, poſtquam itidem ſub Comitis Liceſtrij præfectura ſuper reipublicæ adminiſtratione graves ortæ erant controverſiæ: Hollandiæ proceres anno CIↃ IↃ LXXXVII edictum opera Franciſci Franconis, qui tum Gaudanorum magiſtratuum agebat adſeſſorem conſcripſerunt, multa in eo differentes de

ſummi imperij poteſtate, quæ & olim, & nunc quoque penes ipſos eſſet: orationes quoque eodem tempore multas habuêre iuris nationum ſingularum tuendi ergo, de quibus infra agendi erit copia: Quin & federis primores in oratione quã xxx Auguſti anni CIↃ IↃ LXXXVII ad Comitem Liceſtrium habuerunt, aiunt ita ſibi videri *vtendum ſigillis federatorum procerum in rebus ad nationes vniverſas pertinentibus: in ijs vero quæ ſingularum eſſent propria, vtendum nomine & ſigillis nationis cuiuſque.* Poſt Liceſtrij abitum, vſurpatum ſemper vt qui conventum Hollandiæ ingrediuntur, *iurent ſe iura, libertatem, leges, moréſque Hollandiæ defenſuros, imperijs atque decretis procerum Hollandiæ pro viribus parituros.* Sic & quæſitores, & iudices ſacramentum dicunt Comitatui Hollandiæ, nulla federatorum procerum adiecta mentione. Oppidani quoque magiſtratus & corporati armigeri, cæteríque municipes in verba iurant procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ. Exemplo ſint quadragintaviri (id curatoribus oppidi nomen eſt) Lugdunenſes: *Iurant ei fidem ſe ſervaturos Comitatui, ſummoque magiſtratui Hollandiæ Zelandiæ & Vveſtfriſiæ, eiſdémque nationibus atque oppido ſuo, eidem Comitatui, ſummo magiſtratui, nationibus atque oppido ſeſe*

parituros. Sunt oppida alia, vbi adduntur hæc verba, *& cæteris qui cum ipſis fœdus hab bunt*: Sed id acceſſionis vim habet, poſtquam proceres Hollandiæ atque Zelandiæ ſuis nominibus ſpeciatim primo loco ſunt nuncupati. Inſignia etiam Hollandiæ procerum, vt & aliarum nationum corona ornantur, qualis eſſe ſolet neminem ſuperiorem ſe agnoſcentium. Quod ſi animo repetere libeat partes omnes atque indicia ſummæ poteſtatis quæ ſtatuunt rerum civilium periti, videbimus ea quoque penes ſingulas reperiri nationes.

Principio enim à proceribus nationis cuiuſque, leges conduntur & edicta ſuper omni negotio civili, inconſultis primoribus Federatis, quod innumeris exemplis liquet. At contra quæ leges à Federatis procedunt, ad nationum ſingularum primores diriguntur nõ iure imperij, ſed cum rogatu vt eas publicari ſinant. Si quid nuper aliter fieri cæptatum eſt, vt ſcilicet prę cepta aliqua aut tributorum poſtulata, omiſſis primoribus populi cuiuſque, ad oppida mitterentur, novum id ſane eſt, & inter novatæ reipublicæ argumẽta habendũ.

Ad iudicia vt veniam, olim ante Caroli Burgundi tempora, ſuprema iudicia intra vnamquamque erant nationem, poſt con-

ſenſu nationum inſtitutus eſt Machlinienſis iudicum conſeſſus, ad quem perferri lites civiles ſolebant ex aliis populis per appellationom, ex aliis vero via ſupplicationis, prout ſinguli pepigerant. Poſt ſumpta verò arma, etiam poſt pacem Gandavenſem ius eius conſeſſus per Hollandiam Zelandiamque, deſiit. atque eius in locum ſuffectus eſt conſeſſus magni nomine, qui iudicia vltima per Hollandiam & Zelandiam regit. Eius conſeſſus iudices, vt & iudices antiquioris conſeſſus qui nunc ſub illo magno eſt, ſed itidem per omnem Hollandiam Zelandiámque ius dicit, iuramentum dicunt proceribus Hollandiæ ac Zelandiæ, mandatíſque iubentur eorundem edictis atque præceptis parere, in quibus mandatis federatorum procerum nulla mentio exſtat. At Geldri, Traiectini, Friſij Ciſlavicani, Tranſiſalani, & Tranſlavicani ſuprema iudicia ſeorſim quique penes ſe habent, ac ſi qui rebus iudicatis læſum ſe putat primoribus nationis ſuæ ſupplicat: neque vllus hactenus communis inter federatos conſeſſus iudicum fuit conſtitutus. Iidem illi iudices ius reddunt nomine ac vice ſummæ poteſtatis, non nationum vniverſarum, ſed eius nationis nationumve à qua quibuſve conſtituti ſunt, quod

certum ſignum eſt, proceres federatos ab eis vt ſummam poteſtatem non agnoſci.

Criminum indulgentiæ, & quæ alia beneficiorum nomine veniunt à nationis cuiuſque primoribus dantur, aut à præfectis, ſed nomine primorum & poteſtate ab eis conceſſa.

Tum verò Hollandiæ Vveſtfriſiæque primores fiſcum habent peculiarem, cuius procuratio eſt penes Rationales qui Comitatui Hollandiæ ſoli iureiurando obligantur. Par vſus apud cęteras nationes. Sic & nummi cudendi penes ſingulas ius. Accedit nominis indicium. nam Federatæ nationes vocantur. in qua appellatione primum illud intelligitur plures eſſe reipſa nationes, non vnam in partes multas diſtributam : federatarum verò vox indicat arcto federe eas inter ſe nexas: quomodo & Germaniæ federati Principes dicuntur. Proinde in pactis quoque induciarũ continetur, haberi ab Archiducibus Federatas nationes pro liberis nationibus atque proceribus. Libertatis autem nomine certum eſt deſignari ius imperandi ſummum. Nũc quoque primores nationum ſingularum vbi ad Federis primores ſcribunt, ſocios ſe vocant, non autem ſubditos, vt ſolent oppidani magiſtratus, quoties nationis ſuę re-

Federatis proceribus pro reſponſo datum eſt, ſummum imperium ac poteſtatem Federatarum nationum extra cõtroverſiam eſſe penes ipſos Federatos proceres, & penes proceres cuiuſq; nationis. Sicut verò iuris notiſſimi eſt non poſſe duos eiuſdem rei dominos eſſe in ſolidũ, ita & hoc conſtat iiſdẽ in locis plures ſiue homines ſeorſim ſumtos, ſiue cętus non poſſe habere ius imperij ſummum, quia ea ſummi natura eſt vt nihil illud non modo ſuperet, ſed & exæquet. Quare ſi imperium ſupremum eſt penes proceres nationis cuiuſque, fatente ipſo Federatòrum conventu, non poteſt idem imperium propriè eſſe penes Federatos proceres: ſed, tantum ius vt diximus ordinandi res, quæ ex federis formula aut conſenſione ſpeciali communi conventui attribuuntur: ita vt quæcunque illis attributa nominatim non reperiuntur in iis ius ſummum maneat penes nationes ſingulas iure ipſo civili quod nunquam mutationem pro facta habet ni probetur, præſertim in iis quæ regalia vocantur circa quæ verba quantumvis generalia effectu carent niſi ſpecialis nominatio acceſſerit, omnìaque ea recepta intelliguntur quæ non apparent tranſlata.

Ad id quod à nonnullis dici audio, firmiorem fore rempublicam, ſi nationes vni ſummo imperio ſubeſſent: reſponſum in promtu eſt, de ſumma poteſtate iudicandum, non ex eo quod privatus quiſque vtiliſſimum iudicat, qua ſuper re ſæpe diſcrepant hominum ſententiæ, ſed ex legibus moribuſque. Nuſquam verò quiſquam reperiet à nationum ſingularum apud nos primoribus, ius imperij ſummum aut abdicàtum, aut cum aliis communicatum. Quod ſi etiam id vtile videretur (qua ſuper re multa tùm in quæſtione iuris ipſius, tùm ex prudentiæ regulis eſſent conſideranda) faciendum certè id eſſet libero conſenſu, non per vim oppreſſis iis qui præſentem ſtatum vt bonos cives decet, tuentur, eique obedientiam exhibent.

Prudentiæ auctores nos docent non ſtatim mutandas leges, præſertim quæ de imperio ſunt, etiamſi in melius itura ſit mutatio, quia vt poſt Ariſtotelem & Thucydidem apud Dionem Auguſtus monet, non tantum prodeſſe correctio poteſt, quantum nocet innouatio auctoritatem detrahens, quæ ævo radices agit. *Conſuetudinis mutatio*, inquit Auguſtinus, *quantum vtilitate adiuvat, tantum novitate perturbat.*

Sunt qui putant vtile futurum ſi totus

orbis, præſertim Chriſtianus, vni poteſtati pareat. Sed ridentur ab aliis talia commenta. Nam perfectum in re quaque intelligi debet, non nuda contemplatione, ſed inſpecto quid materia ferat, aut recuſet. Plato cum vnum ei in quaque re optimum videretur, omnia voluit efficere communia: ſed reprehendit eum Ariſtoteles, oſtenditque vnum illud ab ipſo vltra modum intendi. Carolus Imperator, princeps adeo præpotens, operam dedit (vt nonnulli narrant) quo tota Belgicogermania in vnam imperij formam coiret etiam ſub iiſdem legibus, nummis, menſuris, ponderibus, rebuſque aliis eiuſmodi: quale erat quod olim Aratus in diverſis Græciæ vrbibus effecerat. Sed hic diverſitas ſitus, ingenii, aliæque circumſtantiæ id vetabant. Certè nec ille, nec filius eius Philippus (qui Albanicæ præfecturæ temporibus idem egiſſe dicitur) ad exitum perducere id conſilium potuerunt: ac proinde dubitare licet, an conantibus rem tantorum Regum viribus ſuperiorem, negotium melius ſit ſucceſſurum. Etiam Iſthmum, ſive Achaicum, ſive Arabicum perfodere res præclara videbatur, ſed qui aggreſſi id ſunt in conatu ſuo defecêre. Natura vim ſibi inferri non patitur. In

civilibus negotiis optima eſt magiſtra experientia. Ea docuit imperio manente penes nationes ſingulas, & belli arbitrio penes Federatos, nationes ſibi tuendis ſufficere. Si qua inter nationes cõtroverſa exoriuntur, multæ ſunt componẽdi rationes ſive judiciis ordinariis eius nationis vnde petitur, ſive compromiſſo facto in nationes quas negotium non tangit, aut in pręfectos quoties ipſi quoque partes nõ fecerũt, ſive in cõmunes amicos atque ſocios quorum refert rempublicam ſalvam eſſe.

Inſtituta verò hæc mutatio ſine maximo damno Hollandiæ & Zelandiæ abire non poteſt, quæ magnitudine terrarum, oppidorum, atque hominum numero, & tributorum modo cæteras vniverſas æquant: imò ſuperant: quamobrem æquum ſemper viſum eſt, vt in his quæ communicata ſunt, nationi Hollandicæ ſemper jus aliquod eximium daretur. Nam in Federis Senatu habet hæc natio tres ſenatores, præter quod & curator ærarij & quæſtor hactenus indidem fuerunt: cũ alię nationes habeant binos, aliæ ſingulos. Ad res maritimas regendas habent Hollandi tres conſeſſus, Zelandi & Friſii ſingulos, alii populi nullos. In rerum Indicanarum diſpoſitu Hollandia habet tria

Collegia: Zelandia vnum duntaxat. Par Hollandiæ privilegium datum eſt in ſocietate Americana. Compara jam quam iniqua futura ſit proportio in ſummo imperio ſi id Federatorum conventui permittatur. Hollandia & Vveſtfriſia, quæ multo plus dimidio in commune conferunt, ibi ſententiam vnam duntaxat dicent iuxta nationes minimas, etiam illas quæ ſanguine atque opibus Hollandicis ad fedus reductæ ſunt. Vt igitur ad conventum talem alia deferantur, quam quæ ad tutandos communiter fines ſpectant, ab omni æquitate abit. Qui divitijs pollent apud nos ſi cum pauperibus nuptias faciant, non ſine pactis ad eas veniunt, ne ſcilicet Hollandici mores bonorum introducant communionem. Sic ergo Hollandi quoque fuerant facturi, ſi cum nationibus cæteris regiminis inire voluiſſent ſocietatem. Atque vel hinc facile eſt animadverſu, quo animo erga Hollandiam ſint affecti, qui cũ nati ſint extranei, Hollandos de poſſeſſione dejecerunt, vt ſe pro Hollandis venditarent.

Neque tamen aliæ nationes quarum hoc commento gratia captatur, blandiri ſibi debent quaſi longum ex hac mutatione commodum ipſas maneret. Non

eo tendunt iſtorum hominum ſtudia. ſed legitimis magiſtratibus ius ſuum eripi oportuit, vt deinde nationi eriperetur. Sic & nationes ſingulæ jure ſuo ſpoliandæ fuerunt, vt res quæ in federatorum conventu tractari ſolebant, ad paucos pertraherētur, & ſæpe eos ad quos ex legibus id minimè pertinebat, qui in ciues optimos Principis animum exaſperantes, cuncta ſibi vindicant, ignaris ſæpe proceribus Federatis, proceribus nationū, & magiſtratibus. Diu ne id manſurum ſit ſcit Deus. ſed tale regimen noſtris nō congruere ingeniis anno CIↃ IↃ LXXXVI & anno CIↃ IↃ LXXXVIII ſolidis argumentis à proceribus demonſtratum eſt.

Hoc defendere, non eſt fedus diſrumpere, ſed fedus religiosè obſervare. Viderint an fedus non diſrumpant illi qui non ſtant federis legibus, quas inter prima eſt nationum ſingularum ius tueri, in quo iure præcipuum eſt ſummum arbitrium in res cuiuſque nationis. Non eſt initum fedus vt iura confunderentur: ſed vt inviolata melius defenderentur communi auxilio. Hollandi veteres dicere ſolebant cuique ſuum ad pacis tutelam eſſe optimum: & iniquo commercio amicitias diſſolvi.

CAPVT II.

Quod jus ſummis poteſtatibus circa ſacra competit, id in Belgicogermania eſſe penes nationis cuiúſque proceres.

QVi de republica ſcripſerunt omnes, ſacrorum arbitrium inter præcipuas partes numerant ſupremæ poteſtatis. Quare cùm probatum ſit ſummum imperandi jus penes vnamquamque eſſe noſtrarum nationum, ſequitur penes eaſdem ſeorſum eſſe jus de religione publica ſtatuendi, vt quæ pars non ſit communis defenſionis: quippe cum innumera exſtent exempla Principum ac civitatum, quos ad mutuam opem fedus iunxerit, cùm opinionibus ac ritibus ſacrorum diſſiderent: quomodo & nunc fedus eſt inter Venetos, & noſtras federatas nationes vniverſas. Quanquam ergo probandi onus nō nos ſpectat qui id aſſerimus quod communis ratio iuris exigit, ſed eos qui contrarium defendunt, tamen vt cumulatè ſatisfiat legentium deſiderio, probabimus verum eſſe id quod nos dicimus.

Hollandiæ & Zelandiæ proceres ſum-

tis pro libertate armis, ſimul templa publica aperuerunt his qui religionẽ ſequebantur, quæ Reformatæ nomen obtinet: Atque adeo in Federe quod inter ipſos initum eſt anno CIↃ IↃ LXXV perſcripſerunt, vt Princeps Vvilhelmus tanquam earum nationum præfectus, *ius haberet de conſenſu procerum ſuper vſu religionis ſtatuendi id quod pro temporum ratione oppidorumque ingenio ad tranquillitatem publicam & populi commoda optimum iudicaret, ſine diuini nominis detrimento.*

Poſt pacem Gandavenſem idem ille Princeps Vvilhelmus rogatus à nationibus aliis vt in Hollandia Zelandiaque in Romanenſium gratiam aliquid conſtitueret, reſpondit ſemper nihil ſe eius rei poſſe niſi volentibus Hollandiæ & Zelandiæ proceribus. Sic & vniverſæ Belgicogermaniæ proceres in literis ad Atrebates & Hainauios ſcriptis circa annum CIↃ IↃ LXXIX plus ſemel profeſſi ſunt nihil ad ſe pertinere, quam ſacris legem Atrebates & Hainauij intra fines ſuos ponerent.

Iam verò quid federe Traiectino anno CIↃ IↃ LXXIX hac de re cautum ſit, ſatis vulgo notum eſt: verba ſic habent. *De religione Hollandi & Zelandi id faciunto quod ipſis videbitur. Cæteris nationibus liberum eſto*

ſequi pacem religionis, vti antehac concepta eſt, aut ita conſtituere ſeorſim aut vniverſim vt ad quietem ac ſalutem nationum, oppidorum, partiumque ſingularum, & tutelam iuris eius quod cuique tum ſacerdotum tum aliorum competit, pertinere arbitrabuntur: neque alijs nationibus alias hac in re impedire fas eſto: hac tamen lege vt privatis ſingulis maneat religionis ſuæ libertas: neque in quemquem eo nomine inquiſitio accuſatiove ſit, prout pace Gandavenſi conſtitutum eſt. Manifeſta ſunt verba quæ Hollandis Zelandiſque liberrimum de religione arbitrium, neque aliarum nationum voluntati obnoxium addicunt.

Qui ad hæc dicunt, quanquam verba ita ſunt concepta, mentem tamen fuiſſe cavendi Reformatæ religioni tantum, iniuriam faciunt eis qui federi concipiendo adfuerunt, quaſi minus ex fide actum ab eis eſſet. Neque verum eſſe quod aiunt, vel hinc liquidò apparet, quod poſt fedus factũ Federati peculiari interpretatione, quæ ſcripta eſt Calẽdis Februarij anni CIↃ IↃ LXXIX teſtati ſunt etiã illis nationibus federi liberũ eſſe adſcribi, quę ſolã Romanenſem tutari vellẽt religionẽ, & quidem hac adhibita ratione: *Quia neutiquam ea mens ſit paciſcentium, vt nationi oppidove alteri ius ſit ſe immiſcere negotio ac ſacris alterius, quo*

ſcilicet major concordia inter nationes ſervetur, & præcipua auferatur diſſidiorum materia. Quo argumento apparet quicquid poſt id tempus à nationibus in cauſa ſacrorum eſt conſtitutum, id non profectum eſſe ex alicuius antecedentis obligationis neceſſitate, ſed ex liberrimo ipſarum jure.

Quod ipſum docetur fœdere poſt id tempus inito cum Duce Andino, cuius caput XII. ita Imperat. *Spondeat Dux ſacra, pacemque religionis habiturum ſe quo nunc ſunt ſtatu, aut ita quomodo poſthac cuiuſque nationis proceres conſtituturi ſunt.*

Sunt qui cavillantur intelligenda hæc de iure totius religionis alicuius puta Romanenſis, aut reformatæ recipiendæ, non de iure conſtituendi ſuper controverſiis in hac vel illa religione orituris: quod plane abſurdum eſt, cum non poſſit non ius in partes habere, cui in rem totã ius competit: neque ratio patiatur quod minus eſt ei negari, cui quod maius eſt permittitur.

Dicunt alii poſt fœdus Trajectinum mutationem hac in re factam. At promta eſt reſponſio, non doceri quidquam ea in re novatum à nationum proceribus: ſine quorum ſpeciali conſenſu nemo nationes potuit obſtringere. Quam ad rem &

illud pertiuet, ne omnia quidem federis Trajectini capita cenſeri vim habere obligandi, ſed ea demum quæ à nationũ proceribus ſunt approbata: vt inter cætera apparet exemplo capitis quinti de paribus oneribus vbique ſuſcipiendis: quod obſervatum nunquam eſt.

Contra verò nunquam diſceſſiſſe nationes à libero ſacrorum arbitrio, tam clarè, vt nihil vel in ſpeciem poſſit contradici, apparere mihi videtur ex mandatis ſub quibus Principi Mauritio anno CIↃ IↃ XC præfectura Trajectenſis delata eſt, quarum initium ita habet. *Primum Princeps per oppida agroſque Trajectinos defendito, defendique curato veram Christianam Evangelicam religionem, ſecundum leges quas proceres Trajectini fecerunt, facturive ſunt: quando ea eſt procerum ſententia, arbitrium ſacrorum ex decimotertio federis Trajectini capite ad ſe pertinere. Ita tamen ne in cuiuſquam animum inquiratur, neve ſcrutari domos liceat, niſi gnaris volentibuſque proceribus, aut eorum delegatis: neve ſua de re ſacrorum perſuaſionis ergo (ſiquidem Dei ea dono conceditur) cuiquam injuria moleſtiave inferatur.* Data ſunt hæc mandata conſciis approbantibuſque proceribus federatis, atque etiam peculiariter Hollandiæ primoribus, addita

promiſſione proceres Traiectinos eis in rebus tutandi: vnde apparet omnes eos, ipſumque Principem ita tum ſenſiſſe ad id tempus, ad annum ſcilicet CIƆ IƆ XC, ius ſacrorum ex federe manſiſſe penes nationis cuiuſque proceres, quo ipſo corruant neceſſe eſt argumenta omnia quæ petuntur ex actis geſtiſque ante annum CIƆ IƆ XC: vt quæ, iudicibus proceribus federatis, proceribus Hollandiæ & Traiectinis eam vim habere nequeant vt de eo quod dixi nationum iure quicquam imminuerint.

Quin anno quoque CIƆ IƆ XCV, cum proceres nationum partis Hiſpanicæ Liſfeldium & Maſium miſiſſent, ſciſcitaturos in quas leges cum Federatis nationibus conveniri poſſet, reſponſum eis eſt per Principem Mauritium: *Ius de ſacris ſtatuendi manſurum penes nationes ſingulas, ita vt aliæ ſe ei negotio non ingererent*, quod repetitum eſt in literis quas Federati proceres anno CIƆ IƆ CII ſcripſere.

Paſtoribus in quaque natione annuæ mercedes ſolvuntur ex ærario ſuæ nationis, non ex communi ærario federatorum; in Zelandia etiam obedientiam iuramento promittunt primoribus Zelandiæ.

Adde quod de Eccleſiis, & Eccleſiarum

negotiis leges ferre eorum ſit, qui religionis publicæ habeant arbitrium, cum alterum ex altero pendeat, atque ab eadem poteſtate originem ducat. Hollandiæ proceres non conſultis nationibus aliis pridem mandata dederunt conſcribendi leges Eccleſiaſticas: quæ cura renovata eſt anno CIↃ IↃ XCI. Etiam Traiectini proceres eius argumenti leges concepêre. In Zelandia anno CIↃ IↃ XCI leges eiuſmodi plane confectæ publicatæque ſunt, pugnantes (quod notandum eſt maximè) in rebus non paucis cum canonibus Synodi communis ex terris Federatorum quæ Hagæ coierat, nationalis nomine. Etiam Tranſlavicani primores anno CIↃ IↃ XCV eadem de materia leges ediderunt, quæ facta ſunt omnia ne conſultis quidem nationibus cæteris.

Anno CIↃ IↃ XCVII pleræque nationes in communis Synodi evocationem conſenſerant: ſed cum nationes nonnullæ, ac poſtremo Traiectini ſoli diſſentirent, ne tentatum quidem eſt decernere quicquam ex maioris partis ſententia, quia ſcilicet hæc res in earum eſſet numero quæ ad commune federis non pertinerent, niſi ex ſpeciali

nationum conſenſu, quomodo res omnes quas nationes ſibi receperunt, ad communem deliberationem referri poſſunt ſine vllo juris detrimento. De ſtatu publico religionis inter proceres federatos, aliud quam quod jam dixi conſultatum, didiciſſe non memini. Id certum habeo nullum poſſe adferri exemplum decreti antehac facti in negotiis eius generis ex ſententia partis majoris. Proinde dicere non poteſt conventus federatorum ſe jus aliquod his in rebus velut poſſidere, cum per ea quæ liberè fiunt, nemini poſſeſſio acquiratur, quod iuris eſt minimè controverſi.

Amſtelodamenſes, & aliorum aliquot oppidorum in Hollandia rectores, quibus ſæpe cum nobilitate, & aliis Hollandiæ rectoribus diſconveniebat: ſuper ordinandis hiſce Eccleſiæ controverſiis, nunquam tamen in Hollandiæ conventu dixerunt hanc rem non ad Hollandiam, ſed ad commune federis ſpectare ante poſtrema tempora, cum ab hominibus illis qui ex his controverſiis quæſtum facere & voluerunt, & fecerunt, & facere ne nunc quidem deſinunt, quæſiti ſunt colores ad pingendum novum hoc, neque auditum antehac commentum.

Ex oppido Amſtelodamo delecti aliquot ad præſcribenda ea quę conſideranda viderentur ſuper oratione apud ipſos habita mandatu procerum Hollandiæ, diſputant an ſummis poteſtatibus in negotio religionis imperare aliquid liceat ſine paſtorum conſenſu: ac proinde controverſiam movent generalem ſuper iure ſummarum poteſtatum, non definitam, an proceres Hollandiæ hac in re ius ſummarum poteſtatum obtinerent. Non motam ab Amſtelodamenſibus eo tempore proceribus Hollandiæ controverſiam de ſacrorum arbitrio, certum indicium eſt, quod dilecti illi in eo ſcripto ajunt, ea regula prius poſita (de iure ſcilicet ſummarum poteſtatum) videre ſe facilè vix vllo colore oppugnari poſſe decreta, quæ de rebus Eccleſiaſticis aut eſſent facta aut poſthac poſſent fieri. Si tunc id ſenſiſſent Amſtelodamenſes, arbitrium ſacrorum penes nationes eſſe vniverſas, certè etiam illa regula conceſſa rectè potuerant decretis contradicere, vt factis ab iis qui in ea re ſummum imperium non haberent.

Ex quo fuere qui rem hanc aliò voluerunt deflectere, adferri eam in rem cæpit primum caput deliberationis Iunio anni CIↃ. IↃ. LXXXIII. perſcriptum ab aliquot

nationum legatis, quo proponitur an non ex vſu ſit decimumtertium Federis Traiectini caput ita mutare, vt nationes habeant perſtandum in Evangelica Reformata religione, nec mutandum in ea quicquam niſi de communi Federatorum cõſenſu. Ex quo capite id primùm apparet, ex formula Traiectini federis licuiſſe nationibus ſingulis etiam citra ſociorũ conſenſum mutare aliquid in negotio religionis: & eo quidem magis, quia dicitur in eo capite deliberationis *verba federis ita concepta, vt quæ tum nationes Romana ſacra ſectabãtur jus haberent ab eis diſcedendi, ſi id ipſæ è re ſua eſſe arbitrarentur.* Ipſæ inquam, non aliæ: jus autem quod ipſæ habebãt, id aliis denegare non poterant, cum fedus illud ſit æquale. Additur ſuper hac deliberatione factum à proceribus Hollandiæ decretum. Sed principio, non hoc decreto dicitur omnino approbatum quod proponebatur: ſed hoc tantum: *vt Evangelica Reformata religio, cuius publicè vſus erat permiſſus receptuſque & quæ tum publicè in vſu erat, vbique intra Federatorum fines defenderetur, neque publicè docendi aut ſacra faciendi ſecundum religionem aliam ius permitteretur: tum verò vt etiam aliter ſentientes adſcribi federi poſſent, vti verba habebant capitis propoſiti.*

Sed

Sed nationes aliæ ſuper hac re ſæpius ampliarunt, ita vt conſtitutum nihil ſit. Proinde non poteſt hæc ab Hollandis dicta ſententia ipſos obligare, cum nihil ſuper eo contractum ſit. Atqui, inſtant nonnulli, quæ tum mens Hollandorum fuerit apparet. At mens ſua neminem obſtringit, & ob juſtas rationes rectè mutatur. Olim mēs fuit Hollandiæ proceribus manere in ſola religione Romanenſi: non tamen devinxerunt ſe ne inde abſcedere liceret. Adde quod multum differt habere animum religionem aliquam tutandi ope communi, & animum habere judicium omne atque arbitrium ſuper ea religione aut abdicandi, aut cum alijs communicādi. Nam quomodo id cuiquam fiat probabile, proceres Hollandiæ qui hoc ipſo tempore judicabant in fedus recipiendas nationes non Reformatæ religionis, ademtum ſibi jus voluiſſe quod alijs concedebant? Quatenus autē mens primorum Hollandiæ fuerit Reformatam religionem defendere, infra diſſertandi erit locus.

Adfertur & conſilium perſcriptum de novo Senatu inſtituendo, quo contineatur vt is qui tum erat inſtituendus ſenatus *curaret vt Federatæ nationes manerent, atque continerentur in mutua conſenſione atque ami-*

citia tum in iis quæ federibus ante factis continebantur, tum in rebus aliis : imprimis verò nequid concordiæ noxium oriretur in negotio Reformatæ Evangelicæ religionis à nationibus ſingulis receptæ : atque ea in re nequid ſenatui imperare liceret, aut imperari novarive aliquid permittere. Additur placuiſſe hoc proceribus Federatis. Sed primò notandum eſt, dici hîc Reformatam religionem à nationibus ſingulis receptam, quæ vox diſtribuentis ſignificationis ſatis oſtendit nihil ea in re communiter factum, ſed ex proprio cuiuſque iure: deinde cum proceres Federati ad id certè tempus nihil pro poteſtatis ſuæ iure ea in re poſſent decernere, quicquid eius à Federatis approbatum eſt, non alio animo eſſe approbatum, quam ſi & nationes auctores fierent. Iam verò nationes neque id conſilium, neque eum ſenatum ratum habuerunt: ac proinde totum hoc manſit effectu vacuum. Plane autem à iuris ratione abhorret vim tribuere acceſſioni, cum principale non ſubſiſtit. Fac etiam vim habuiſſe, fuiſſet tamen hoc mandatum à nationibus conſentientibus ſenatui datum: non contractus inter nationes: cui conſequens eſt id mandatum non diutius vim obligandi fuiſſe habiturum quam mandanti-

bus placeret,quæ omnium mandatorum natura eſt. Neque vero ſenatui ius permittitur imperandi nationibus: imo iure imperandi ipſis adempto ſola cura atque inſpectio ipſis permittitur, quæ hortando, conſulendo, ſuadendo, ſine vllo imperij maioris iure expediri poteſt.

Hoc conſilium cum evanuiſſet,conſultatum eſt de ſenatu inſtituendo trium nationum Hollandiæ Zelandiæ & Traiectinæ in cuius ſenatus mandatis, caput etiam de religione factum eſt,in quo illud de ſingulis nationibus repetitum eſt; neque tamẽ hoc caput tam latè patet quàm illud de quo iam egimus. Ait enim *dandã à ſenatu operam vt in negotio Evãgelicæ Reformatæ religionis concordia retineretur*. Solvendo huic argumento & hoc facit, cùm ipſo ſenatu extincta eſſe mandata vt quæ diſſoluto eo cœtu ſubſiſtere nequirent: atque in eius locum ſubrogatum eſſe eum qui nunc quoque eſt ſenatum:cuius mandata poſt graves turbas Liceſtrianorum temporum concepta ſunt relectis diligenter mandatis veteribus, ac de induſtria omiſſum eſt negotium religionis,quia nationes ſingulæ ſenatui commune federis referenti arbitrium ea de re nollent permittere:illud quoque repetitũ volo quod

paulo ante dixi, etiam ſi manſiſſet is cœtus, tamen mandatis cœtui datis non conſtrictos mādatores nequid immutarent: cum nihil ſit certius quam multa confeſſuum mandata multis in partibus immutata: deinde curam etiam ei commendari poſſe, cui nullum concedatur imperium.

Etiam hoc adfertur, poſt initum fedus Traiectinū, Reformatam religionē concorditer admiſſam. ſed hoc ad rem non facit. Multi enim qui ſummum in terris ſuis imperium latos aut anguſtos intra fines obtinēt, poſſunt eiuſdem eſſe religionis, ſine vlla tamen obligatione quę impedimento ſit quominus ſuper ſacrorum re ſeorſim ſine aliorum cōſenſu quod viſum eſt, conſtituant. Quotquot Reges Reformata ſacra amplexi ſunt antè Romanæ religionis fuere, mutarunt tamen ſacra ſine conſenſu eorum qui eiuſdem Romanę erant religionis. Elector Palatinus, ac poſt eum Brandeburgicus, alijque plures cum antea idem ſenſiſſent, quod alij qui Auguſtana dogmata profitētur, propiorem quæ dicitur reformationem in terras ſuas induxere. Proteſtantes Germaniæ Principes qui ſe eiuſdem dicunt religionis, ſinguli tamen vt viſum ipſis, edūt profeſſionis ſuæ formulas, Etiā Heluetiorū pagi Proteſtā-

tes vnius ſunt religionis. neq; tamē eo minus Bernates ſuper cōtroverſia prędeſtinationis ex vſu ſuo ſtatuerunt. Quod ſi iſti argumento vis áliqua eſſet, ſequeretur Regi Magnæ Britanniæ aliiſque Principibus qui reformati habentur, jus non eſſe in religione immutandi quicquam ſine conſenſu Federatorum procerum Belgicogermaniæ, Helvetiorum, Genevenſium, atque aliorum.

In formula quæ concepta eſt anno CIↃ IↃ LXXXIII pactionis cum Andino renovandæ inſertum fuit, à Duce ſtipulandum, ne ipſe, neve qui in ipſius eſſent miniſterio quicquam innovarent in re religionis, quod ipſum trāſlatum eſt in pacta quæ anno CIↃ IↃ LXXXIV concepta erant, vt fierent cum Galliæ rege: ſed hinc inferri non poteſt à nationibus ius aliquod communi fęderis tributum, imo contra cenſeri debet id fuiſſe conſilium, poteſtatem hanc, atque libertatem penes eos relinquere, penes quos fuerat hactenus.

In fędere cum Anglia (quod & ipſum à nōnullis in hanc rem adduci memini) nulla inveniuntur verba quæ aut Federatos procęres, aut nationes ſingulas aliquatenus obſtringant: ſed hoc cavetur vt Anglicani auxilij præfectus eſſet Reformatæ reli-

gionis: vt præſidiorũ rectores iurarent verã Chriſtianam religionem ſe defenſuros: vt Angli qui pars futuri eſſent ſenatus Federatorum, veræ Chriſtianæ eſſent religionis, per quæ omnia ius aliquod proceribus Federatis in Anglos quęſitum eſt, non alijs in proceres Federatos, aut nationum ſingularum primores. Imo contra ibi dicitur neque præfecto neque ſenatui jus fore mutandi quicquam in fraudem Chriſtianæ religionis, aut juris, legum, morum ac conſtitutionum quas proceres aut ſingularum nationum aut vniverſarum facturi eſſent; vnde liquet ſummum imperium in religionem, non minus quam in rempublicam manſiſſe vbi fuiſſet, ac proinde penes nationes ſingulas.

Quæ pacta ac federa facta ſunt cũ principibus externis de ope mutua: ſiquis religionis ergo vim perpeteretur (nam & hoc argumento vſos quoſdam memini) nemini cõtrahentium arbitrium ſacrorum adimunt, imo verò tenetur Princeps quiſque ſibi ſeruare hoc ius, quod ne priuati quidem abdicare aut transferre poſſunt, acceptandi ſemper veritatem quæ ipſi ex divinis oraculis demonſtrari poſſit. Germaniæ Principes Proteſtantes tam Smalcaldico quam Naumburgico federe inter

ſe colligati ſunt: attamen imperium de ſacris ſibi quiſque retinuit. Nunc quoque Euangelici Germaniæ Principes cũ proceribus patriæ noſtræ Federatis ſocietatẽ certam inierunt. Sed quis eſt eorum Principum qui conceſſurus ſit liberum ſe non eſſe in negotio religionis, ſed obſtrictum nequid eà in re faciat nolentibus proceribus Federatis Belgicogermaniæ?

Quod in iuramento præfectorum aliorumque militari poteſtate fungẽtium poſitum eſt, fidem vt præſtent communibus proceribus penes fedus & tutelam veræ Chriſtianæ religionis (aut vt aliæ formulæ habent reformatæ) manentibus, eo ſpectat vt in voce communium procerum ambiguitas vitaretur, quia id nomen ſibi præſcriberent, qui Hiſpanicarum erant partium, qui nullo certiore ſigno dignoſci poterãt, quam publicę religionis, quæ hîc atque illic in vſu erat, quatenus ſcilicet Reformata religio conſpectu ipſo à Romana diſcerni poterat, puta eo quod imaginibus aliiſque multis cæremoniis careat. At ſub cuius imperio ſit publicus religionis ſtatus, ac cui ius ſit interpretari, quæ dogmata ad religionem reformatam pertineant, hinc certè colligi non poteſt.

Neque cum his quæ defẽdimus pugnat,

quod bello ſuperatis oppidis nõnullis impoſita eſt neceſſitas acceptandi Reformatam religionem: quippe id non aliunde eſt profectum quam ex belli iure quo validior quiſque aliis quas vult leges præſcribit. Quanquam vero capta quoque loca poſtea in partem venerunt publicæ libertatis, notum tamen eſt in ipſa pactione imponi ipſis potuiſſe conditiones quæ ab aliis exigi, neque ius, neque ratio pateretur. Et iuſta hac in re Hollandis querendi data eſt occaſio, quod ipſi qui in aliis ad fedus retrahendis præcipui fuerunt, ita retractis æquiparantur.

Omnia verò quæ iam adferri in contrarium diximus argumenta non earum eſſe virium vt probent nationibus ſummum ius in religionem non competere, ipſi Zelandi agnoverunt. Nam cum in cauſa Conradi Vorſtij ad Hollandiæ primores literas ſcriberent, teſtabantur non eſſe ſibi propoſitum quicquam ipſis præſcribere, aut ſe ingerere in alienam rempublicam, ſed amicis amicum conſilium dare. Deinde verò oratione ea quæ ipſorum nomine eſt habita menſe Maio anni CIↃ IↃ CXVII, qua legati ipſorum dicũt toto animo optatum ab ipſis, vt primores Hollandię mutua inter ſe conſenſione rationes inveniſ-

ſent componendorum Eccleſiæ motuum: teſtantes iterum nolle ſe curioſos eſſe in vicinorum republica,ſed eam permittere ſapientiæ ac prudentiæ procerum Hollandiæ:ſed quòd facerent,id à ſe fieri tanquam ab amicis conſultoribus. Adferebant etiam peculiaria fœdera inter Hollandos Zelandoſque inita quæ omnino neque nationes cęteras,neque ius Federatorum contingebant;nullam mentionem facientes federis Traiectini, aut vllius iuris Federatorum. Neque verò proceres Federati vnquam contradixerunt tot decretis quæ ab anno CIↃ IↃCVII ad annum CIↃ IↃ CXVII Hollandiæ proceres fecerunt:neque conſtitutioni quam proceres Traiectini ex Synodi ſui cõſilio fecerunt, neque edicto publicato à primoribus Trãſiſalanæ, neque interdicto facto in Geldria. Imo tantum id abeſt,vt cum Noviomagenſes conqueſtum veniſſent apud proceres Federatos de his quæ in rebus Eccleſiæ apud ſe non rectè,neque ordine facta eſſent,Geldriæ legati qui in conventu erant Federatorum,dixerint negotium hoc ad ſuam nationem pertinere:quo dictò remiſſionem negotij obtinuerũt. Norant hæc omnia Zelandi,ac propterea ante indictionem Synodi communis nuper

habitæ, proceribus Hollandiæ obtulerunt cautionem eam rem iuri ipſorum fraudi nō fore. Princeps Mauritius, Comes V vilhelmus, & nationum legati idem à ſe intelligi ſatis oſtenderunt, cum etiam poſt Synodum indictam commendarunt nationibus recognitionem Federis Traiectini, atque in eo capitis decimitertij ad religionem ſpectantis. Quicum & illud convenit, quod legati nationum complures indictionem Synodi non ex jure ſuo defenderunt, ſed à neceſſitate quæſiverunt patrocinium: quæ tamen imaginaria neceſſitas facilè alijs legitimis & benignis rationibus evitari potuit, vt infrà patefiet.

Reperti ſunt homines tam improvidi qui hoc non dixêre tantùm, ſed tanquam firmum argumentum protulerunt, fædus Trajectinum fundari in religione plane contra XIII caput, & ſecutam eius interpretationem, cuius ante meminimus. Aliter longe loquebantur Hollandiæ proceres anno CIↃ IↃ LXXVI cum Amſtelodamenſibus ſcriberent: *in religione quidem inter nos, voſque aliquid eſt diſcriminis: ſed non eius momenti hæc res eſt, vt propterea de re ſumma quæ regimen, jura, libertatem, leges, ſalutemque publicam complectitur, diſſidere debeamus: eoque minus cum profeſſi ſimus, ſemper atque*

etiamnum profiteamur arma à nobis religionis cauſa ſumpta non eſſe. Atque poſt id tempus, rectores Lugduni Batavorum in oratione perſcripta anno CIↃ IↃ LXXXII: *non in hoc inter ſe devinctas nationes vt vnam certam religionem ſolam foverent.* Quæ belli cauſa eſt,ea ſit neceſſe eſt & federis cauſa, cum non in aliud initum ſit fedus,quā vt communi ope id defenderetur cuius ergo ſuſceptum erat bellum. Bello autem quæſita fuit tutela regiminis Belgicogermanici iuxta leges moreſque avitos aduerſus novum dominatum Hiſpanicum, ſimulque liberum ius Deum colendi ex animi ſententia, in quo haud dubiè præcipue comprehenditur religionis Reformatæ libertas. Verum hoc eſſe apparet ex ſupplicatione nobilium, apologetico Principis Vvilhelmi adverſus accuſationē procuratoris regij qui prodijt anno CIↃ IↃ LXVIII, edicto Principis eiuſdē explicante cauſas ob quas arma ſumſiſſet, mādatis quæ idem multis hominibus dedit ad opem ſollicitandam, apologetico eiuſdem pro expeditione anni CIↃ IↃ LXXII, decreto procerum Hollandiæ facto menſe Iulio anni eiuſdem ad arcendam vim Albani, literis quas proceres eidem anno CIↃ IↃ LXXIII proceribus Federatis ſcripſêre,& literis ſal-

teris quas dicti Princeps & proceres ad Regem Hiſpaniæ miſêre, poſtulatis eorundem procerum, Zelandorumque, & Principis in colloquio Bredano anni CIↃ IↃ LXXV, pace Gandavenſi, apologetico quo Regina Angliæ defendit auxilia à ſe lata Belgicogermanis anno CIↃ IↃ LXXVII, pace religionis conſtituta anno CIↃ IↃ LXXVIII, conſilio Senatus dato XIII Ianuarij anni CIↃ IↃ LXXIX, apologetico dicti Principis anni CIↃ IↃ LXXX, edicto anni CIↃ IↃ LXXXI quo Rex Hiſpaniæ pronuntiatur iure in Belgicogermaniam excidiſſe: altero apologetico qui à Regina editus eſt anno CIↃ IↃ LXXXV, reſponſo quod proceres Federati dedêre Archiduci Erneſto anno CIↃ IↃ XCIV multiſque alijs actis, decretis, literis, quæ memorare longum foret: quæ nimis diſertè cauſam armorum nos docẽt, ac proinde & initi federis, quam vt aliud hominibus rerum intelligentibus poſſit perſuaderi: quod tamen nunc ſunt qui conantur homines alioqui vitæ tenore ac moribus ſatis patefacientes, quam parum ipſis cordi ſit religio, id eſt Dei reverentia & Chriſtiani hominis officium: conantur autem maximo reipublicæ malo; nam id cum dicunt, quid dicunt aliud quam ingẽtem terras noſtras habitantium partem, vt

pote alienam à receptis in publicum ritibus, nulla de cauſa ferre onera quæ ferenda ſunt, neque eorum quicquam intereſſe ſalvam eſſe rempublicam.

Inſtatur tamen, firmum eſſe vinculum religionis vnitatem: ſed præterquam quod iam ante diximus regendam rempublicam non ex cuiuſque opinionibus de eo quod optimum atque vtiliſſimum videatur, ſed ex legibus publicis, notandum & hoc eſt, in vita humana ad id quod optimum eſt, ſæpe non poſſe perveniri. Optimum haud dubiè foret non in Belgicogermania tantùm, ſed in vniuerſo orbe vnam duntaxat eſſe religionem, eam ſcilicet quam ſoſpitator noſter de cœlo detulit: Sed humana infirmitas erroribus, conſuetudine, affectibus abrepta facile hinc exorbitat: quod cum commonſtrare alij volunt, cum ſuperindicto ab initio ſic non erat, eos tum differre vt rerum novarum ſtudioſos, turbatores quietis publicæ, peſtes populi, factu id quidem proclive eſt: ſed ſupra quod iniqua eſt ea agendi ratio, à noſtris damnata ſæpiùs, ſæpe ad bonum publicum nihil ea via proficitur, quod experientia quidem abundè docuiſſe nos debet. Vir bonus ac ſapiens Camerarius ait mendoſè dici diverſas de rebus divinis ſententias

turbamenta eſſe reipublicæ, cum ea inde potius naſci ſoleant, cum quis ſuæ ſententiæ libertate non contentus alijs negotium faceſſit. Vvilhelmus Princeps Arauſionenſis olim Fräciſci Balduini Iuriſconſulti nobilis opera libellum conſcribi fecit, qui & rationibus & exemplis probat conſiſtere poſſe quietem publicam etiam vbi ſacra ſunt diverſa. Id verò nunc quæritur (vt jam ſepoſita juris quęſtione, quod vtile eſt tantum ſpectemus) quoties ſententiarum diſcrepantia inter magiſtros, plebemque exoritur (quod ſæpe humana ope impediri nequit, ſive quia vult Deus veritatem in lucem perducere, ſive quia humana duritia monſtratæ veritati cedere contumaciter recuſat) potiuſne tum ſit nationes vbi orta eſt ea diſſenſio, omnino cogi ſe aptare ad normam nationum cæterarum, magno populi ſui cum incommodo, cum labe cõmerciorum atque opificiorum, cum vulneratione animorum, an verò ſit rectius proceres cuiuſque nationis (qui optime ſciunt quà ſe calceus vrgeat) quantum lex diuina permittit, quieti publicæ conſulere, & ad oppidorum, locorumque ingenia jus temperare, vt jubẽt mandata Principi Vvilhelmo data belli initio, & fedus factum ſub idem tempus.

Eos qui ſupremo vtuntur imperio, quales ſunt nationes Belgicogermaniæ ſingulæ, cum alijs pari jure vtẽtibus arbitrium rerum divinarum communicaſſe non reperio: illud contra reperio ſæpe ſummarum poteſtatum beneficio minoribus poteſtatibus indultam ſacrorum libertatem. Ita Romani populo Iudæo, Imperator Carolus V. cum Germaniæ conuentu Electoribus, Principibus, ac civitatibus liberis, Rex Galliæ oppidis nonnullis & nobilibus in vniverſum, id iuris conceſſit.

Præterquam verò quòd Belgicogermaniæ nationum ſingularum ob rem ipſam refert plurimum, vt arbitrium religionis penes ſe retineant eo animo, vt eo nihil minus præſtent quod Deo debent obſequium, & ſociis quam dederunt fidem: ita momentum hoc habet etiam ad aliarum rerum conſequentiam. Eſt enim ſummum imperium, quod coronæ comparari, eaque imagine depingi ſolet, eius naturæ, vt parte amiſſa ſubſtantiam ſuam amittat. De præcipiti loco qui cadit, non in medio hæret, ſed ſubito de ſummo in infimum decidit. Rem autem hanc non eſſe ſine conſequentiis ipſæ minores nationes ſatis perviderunt. Nã cum novi Hollandiæ rectores mẽſe Novẽb. anni CIↃ IↃCXVIII,

ne plane ius patriæ proijcere viderentur, poſtularunt vt Hollandiæ legati qui ad communem nationum Synodum erāt ituri, ob ingentem numerum Eccleſiarum Hollandiæ (nam ad quingentas is exit,) ius haberent trium aut certè duarum ſententiarum, recuſatum id eſt à nationibus alijs propter exemplum, quia (ſic habent acta) in negotiis ad conventum federatorum ſpectantibus, nationi cuique non niſi ius vnius ſententiæ eſſet. Magna illis gratia debetur, qui olim, cū inſtitueretur Senatus federis, conſeſſus de rebus maritimis, alijque, curam geſſerunt vt Hollandiæ pro ſua magnitudine ratio haberetur, neque ſe illo colore quem nunc adhibitum diximus, paſſi ſunt eludi. Cui digitum concedis, ſæpe manum attrahet.

Vltra dicitur, ſi libertas ſacrorum vnicuique nationi permittatur multa inde incommoda ſequi. Sed vetus, verumque verbum eſt: aliud eſſe incommoda oſtendere, aliud refellere argumenta. Nam res humanæ ac præſertim publicæ eiuſmodi ſūt, vt vix quicquam ſtatui poſſit, quod incommodis omni ex parte careat. Ex majoris partis ſententia inter nationes conſtituere quicquam in religionis negotio, magnis hoc quoque incommodis non caret:

ret:

ret: vt iam ante demonſtratum eſt, & ipſo rerum experimento certius fortè cõſtabit. At ſi relinquas libertatem, proceres nationis cuiuſque etiamſi ſocijs obſtricti non ſint, non deſinunt obſtricti eſſe Dei verbo, rationi & vtilitati publicæ, ſicut & in aliis rebus civilis imperij non ſociis, ſed legibus patriæ & bono publico obligantur. Quin etſi nulla orta eſſet aut exſpectari poſſet de religione controverſia, tamen ad honorem ſpectat procerum cuiuſque nationis vt quam tuentur religionem, eam noſcantur tueri non aliorum imperio aut metu, ſed ſua ſponte. Neque verò tanto functionis ſuæ tempore ita ſe geſſerunt, vt aut pro contemtoribus pietatis, aut pro inimicis boni publici haberi mereantur. Etiam Liceſtrianis temporibus peregrini quidam præ ſe tulere ardentius ſtudium religionis, quaſi genuini legitimique rectores eam rem frigidiùs curarent: ſed res docuit ambitionis & avaritiæ id fuiſſe obtentus. Suo contentum eſſe non exigua veræ pietatis pars eſt.

CAPVT III.

Qualem ſacrorum reformationem tueri propoſitum fuerit proceribus Hollandiæ & Vveſtfriſiæ.

ET olim, & temporibus noſtris vbique ferme terrarum magnum diſcrimen annotari potuit inter eos qui in republica, & eos qui in ſacris muneribus occupantur circa controverſias de rebus divinis. Nam hi quidem magni eas omnes ſolent pendere, vt in quibus ars ipſorum & quicquid ſupra cæteros eximium habent, conſiſtat. Illi contra intēti in quietem civitatis, putant in rebus eius generis ſæpe incolumi lege divina, eſſe æquitati & conceſſioni mutuæ locum, vnde ſæpe accidit, vt à ſacrorum profeſſoribus magiſtratus traducantur tāquam quibus divina veritas non ſatis cordi ſit: contra ſacrorum magiſtri à magiſtratibus tanquam duri, & intractabiles.

Hoc ipſum diſcrimen iam ab initio bellorum in Hollandia ſe aperuit. Princeps Vvilhelmus & Hollandiæ rectores non

tantùm inquiſitionem in hominum animos,& ſanguinaria edicta exhorruerunt, ſed cum iam ante centum pluresque annos pii doctique plures animadverſis erroribus,quos longi temporis incuria in Chriſtianitatem invexerat,reformationem deſideraſſent, id eſt emendationem, repoſitionemque rei in ſtatum priſtinum, & ipſi animo in id propenſo fuere: ſic tamen vt non arctè nimis ſe alligarent ſententiis in quibus inter eos ipſos qui reformationem vrgebant,diſconveniebat. At paſtores ſtudio in præceptores ſuos quorum voce aut libris profecerant,annitebantur eorum dogmatis quantum poſſent auctoritatis circumdare. Hæc intentionis diverſitas non parum augmenti inde accepit,quod rectorum plerique cognitionem errorum qui ſe in ſacra inſinuaverãt,Eraſmi Rotterodamenſis ſcriptis debebãt, qui ad pacem & æquitatem totus ferebatur. Paſtores contra inſtitutionem ſuam maximè hauſerant è ſcriptis Calvini, & aliorum ſua placita animoſiùs defendentium. Huic rei id conſequens fuit vt reformationis aut Reformatæ religionis vox aliter à reipublicæ moderatoribus,aliter à paſtoribus Eccleſiæ ſumeretur: nam hi quidem eo nomine intelligebant conſenſionem

cùm magiſtris ſuis circa dogmata quævis: illi verò Dei cultum à mendis gravioribus purgatum, &in ſenſu ſuper controverſis placitis non nimis anguſtis finibus conſtrictum. Cui ambiguitati vitandæ ſæpe reipublicæ rectores Chriſtianam religionem aut Euangelicam dicere maluerunt, aut certè Reformatæ vocabulum addita voce Evangelicæ explicare, vt qui religionem alligare ſoli Evangelio, id eſt Chriſti dogmatibus vellent, non multis adſcititiis interpretamentis. Ita videmus in federe quod Hollandi & Zelandi anno CIↃ IↃ LXXVI fecere agi de tuẽdo vſu Reformatæ Evangelicæ religionis, & inhibendo vſu ſacrorum Evangelio pugnantium, hac tamen lege ne cui ob animi ſui ſententiam, negotium exhiberetur. Idem conſpicere eſt in legibus ſub quibus Principi Vvilhelmo anno CIↃ IↃ LXXXI poteſtas quædam quaſi dictatoria delata eſt. In fœdere quod cùm Anglia initum eſt anno CIↃ IↃ LXXXI mentio eſt veræ Chriſtianæ religionis: quæ verba etiam in ſacramento militis navalis reperiuntur: & in mandatis præfecturæ Hollandicæ datis Principi Mauritio.

Quantum Principi Vvilhelmo diſplicuerit paſtorum quorundam nimius rigor,

inter cætera intelligi poteſt ex literis quas Aldegondius, inter Principis amicos id temporis gratia & conſilio primus, belli primordio ſcripſit: vbi ſic ait. *Princeps certè partim ſuo, partim Ordinum nominè mecum expoſtulavit, quaſi id agatur vt imperium Eccleſiaſtici ſibi in conſcientias arrogent, & ſuis legibus ac inſtitutis ſubijcere ſibi reliquos ſtudeant, laudavitque dictum monachi qui nuper fuit, excipientis ad ea quæ tum ſibi obijciebantur, haud æque noſtrorum ollam calefactam fuiſſe, atque illorum quos tantopere inceſſeremus: videre ſe plane antequam par ſæculorum labatur, parem vtrobique imperij Eccleſiaſtici fore rationem.* Idem ille Princeps cum annotaſſet ea quæ durè ac rigidè acta erant in Synodo Middelburgenſi anni CIↃ IↃ LXXXI, & ſecutam inde animorum offenſionem, Hollandiæ primoribus denuntiavit, ni in tempore obviam irent, prævidere ſe & religionis reformatæ & reipublicæ exitium, quæ ipſa verba inſerta ſunt primis mandatis quæ Hollandiæ proceres dederunt à ſe delegatis ad concipiendas leges ſuper negotiis Eccleſiarum, in quibus & hoc additur: *Spectandum hoc in ijs legibus ut incolumis eſſet Chriſtiana libertas, & ne decretis atque conſtitutionibus materia ca-*

lumniæ, ac diſsidia tum in religione tum alibi orirentur.

Princeps idem religionem ex formula Auguſtana, quę Lutherana dici ſolet, eandẽ cũ Reformata eſſe iudicavit, cũ tamen inter vtriuſque doctores cõtroverſias eſſe non neſciret. Itaque tum in Apologetico, tum in aliis ab eo ſcriptis ſępe invenies, vbi profiteatur Reformatę ſe eſſe religionis, & rurſum vbi dicat ſe eius eſſe religionis cuius pater fuerat, quem Auguſtanæ formulæ ſectatorem fuiſſe conſtat. Rurſum is ipſe Princeps, fraterque eius Ludovicus & Brederodius ſæpe hortati ſunt magiſtros familiæ Reformatæ, vt nomine ac titulo formulæ Auguſtanę ſe commẽdarẽt. Etiam oppido Vvordano Princeps vſum religionis publicum ex ea formula conceſſit. Et cum anno CIↃ IↃ LXXVIII pax religionum conſtituta eſt, Romanenſem tantum & Reformatam religionem admittens, Bruxellæ, Antuerpię, atque alibi data ſunt templa formulam Auguſtanam ſequentibus, tanquam qui & ipſi ſub Reformato nomine comprehenderentur: ſicut & in colloquio Agrippinenſi poſtulata eſt libertas publica ſacrorum non minus pro Auguſtanę diſciplinę cętibus, quã pro aliis Reformatos ſe vocantibus.

Rectores Lugduni Batavorum in oratione quadam ſua ad verba Synodi Middelburgenſis, *Qui religionem Reformatam profitentur*, quærunt an ſub Reformatæ nomine intelligant religionem cum Synodi placitis in omnibus partibus conſentientē: quæ mens ſi eſſet, aiunt ſe quidē graves habere cauſas, cur id admittere nō poſſēt.

In dicto iam fœdere cum Anglia, Chriſtiana religio ita circumſcribitur: *Quomodo nunc ea in Anglia, & terris Belgicogermaniæ Federatis in vſu eſt*: cùm tamen nemini ignotum eſſe poſſit Eccleſias Angliæ à Belgicogermaniæ Eccleſiis differre non ritibus tantùm, & gubernandi modo, ſed & opinionibus quibuſdam, vt de deſcenſu ad inferos. Vnde apparet manifeſtè, neutiquam eam mentem proceribus noſtris fuiſſe, vt diſcrepantia ſententiarum ſuper quæſtionibus inter eruditos controverſis, aliam conſtitueret religionem.

Vt propius veniamus ad cōtroverſias de Prædeſtinatione quā alij purā, alij cōditione ſubnixā volunt: primùm hoc diſcrimen à Principe Vvilhelmo non magni nimis æſtimatum ex eo apparet, quod cum conditiones propoſuit in quas Reformati (qui diſtinctè ſic appellantur) cum Lutheranis coirent, eæ omnes ad quæſtionem de Eu-

chariſtia pertinebant, quaſi ea compoſita nihil reſtaret, quòd diſſidio cauſam præbere poſſet, cùm tamen ſatis conſtet à Lutheranis defendi prædeſtinationem conditione ſubnixam.

Quanquam verò pars maior paſtorum patriæ noſtræ ex magiſtrorum ſuorum inſtitutione amplexi ſunt dogma puræ Prædeſtinationis, certum tamen eſt ab ipſo belli initio, paſtorum nonnullos, magiſtratuum multos, de plebe verò innumeros conceſſiſſe in alteram ſententiam: Neque verò ſe res aliter habere poterat cum tanta eſſet his in locis auctoritas libris Eraſmi, tanta gratia Decadibus Bulingeri, & locis communibus Melanchthonis, item libello cui titulum Laicorum ductori fecit Anaſtaſius Velvanus in ipſo Reformationis initio quem librum Geldriæ proceribus dedicavit: ſicut & proximè noſtra tempora in Friſia Gellius Snecanus libros nonnullos fecit, partim etiam Friſiæ primoribus inſcripſit, in quibus defendit dogma de Prædeſtinatione quæ conditionem in ſe contineat, non tantùm Dei verbò eſſe conſentaneum, ſed novitatis accuſari nullo iure poſſe: qui quidem libri nunquã à poteſtatibus publicis damnati ſunt, neque ſcriptori aut inuſta Ec-

cleſiaſticæ cenſuræ nota, aut aliud exhibitum negotium : qui omnes cum id quòd dico defendant dogma Prædeſtinationis certa lege factæ, vel ex hoc vno ſatis intelligi poteſt, quàm malè eius dogmatis natales ad Iacobum Arminium referantur. Sunt qui de Melanchthone, & Bulingero negant eos iſtius fuiſſe ſententiæ, ſed id verè eſt contradicere rei omnibus qui ſine affectu eorum libros legunt manifeſtiſſimè apparenti.

De mente procerum Hollandiæ in hac re teſtimonium illuſtre præbet oppidum Gouda, vbi perpetuo neque vnquam interrupto vſu viguit dogma de Prædeſtinatione conditionem in ſe continente: quod teſtari poſſunt & veteres magiſtratus, & plebs tota. Ac quanquam paſtorum nonnulli impedire id aggreſſi ſunt, tamen & paſtores eius dogmatis ab oppidi magiſtratibus, & magiſtratus à proceribus Hollandiæ, & Principe Vvilhelmo in hac cauſa defenſi ſunt, ita vt quod in Federe Hollandiæ & Zelandiæ, item in legibus quaſi dictatoriæ poteſtatis dictum fuerat, de ordinandis rebus religionis pro oppidorum ingenio ad maximam tranquillitatem, id vſu interprete ita explicatum fuerit, vt extra publicam religionem exclu-

ſum non fuerit dogma de Prædeſtinatione conditionem complectente.

In oppido Hornæ Clemens Martini filius diſcipulus Hardenbergij, qui Hardenbergius Melanchthonem habuerat præceptorem, & Cornelius Menardi publicè etiam ſcriptis editis teſtati ſunt, adhærere ſe mollibus Bulingeri explicationibus, neque tam ſublime ſapere ſe audere, quam ſaperent alij: atque ita porrò ſententiam ſuam explicarunt, vt quotquot Prædeſtinationem ſub conditione docent, ei libenter ſint ſubſcripturi. Etiam hi in munere ſuo defenſi ſunt: quanquam à paſtoribus vrgerentur ſatis inclementer, atque accuſarentur.

Viguit ſententia eadem Medemelacæ, atque ad eam formam docuit Taco Sibrandi: quem contra, cum rigidæ cenſuræ vis intenderetur, decreverunt Hollandiæ proceres, ne Synodus vltra de eius ad paſtorale munus vocatione controverſiam moveret: vtque Eccleſia dum res plenius cognoſceretur, quicquam adverſus Taconem agere abſtineret.

In Lugdunenſem Academiam ante Arminij tempora accitus fuit Holmannus rerum divinarum interpres, plane Melanchthoni conſentiens, quod omnes teſtan-

tur qui eum noverunt, nec quiſquam ad hoc tempus auſus eſt inficiari.

Sed & alijs in locis multis, paſtores fuiſſe qui Prędeſtinationem docerent conditione ſuffultam volentibus magiſtratibus, ſæpe affirmatum antehac fuit, & oblata probatio per teſtium turbas.

Quod de Hollandiæ proceribus dictum eſt, ad Trajectinos quoque porrigi debet: notum enim eſt in oppido Trajectino Hubertum fuiſſe qui iam ab anno CIƆ IƆ LXXVII docuerit ſub conditione factam Prædeſtinationem, atque ea in re contra Eccleſiæ cenſuram à minoribus majoribuſque poteſtatibus defenſus fuerit.

Plebs eum audiens (ita aiunt Trajectinę vrbis rectores in litteris anni CIƆ IƆ LXXXI ad Principem Vvilhelmum) magno erat numero & vrbis flos ipſe. Dignum quoque notatu eſt dogma iſtud, cum in publico vſu fuiſſet, deiectum inde à Comite Liceſtrio eo ipſo tempore quo vis ibi data eſt actis Synodi habitæ anno CIƆ IƆ LXXXVI, & civium potiſſimi de republica patriaque ejecti, cum Leoninus Geldriæ Cancellarius, non incommodè dixit hoc agi à novis (id eſt ferventioribus) Proteſtantibus, vt veteres (id eſt moderatiores) expellerent. Poſt verò reſtituta re-

publica etiam dogma illud in vſum redijt: atque in vſu erat cum Principi Mauritio data eſt eius nationis præfectura cum ea lege quam iam ante diximus, *tutandi veram Chriſtianam Evangelicam religionem* (ita verba habēt nullo addito alio cognomento quo ea religio diſcriminetur) *ſecundum leges quas proceres Trajectini feciſſent, facturive eſſent, quando ea eſſet procerum ſententia arbitrium ſacrorum ex decimotertio federis Trajectini capite ad ſe pertinere.* Quæ lex præfecturæ addita directę cavebat ei libertati quæ Trajecti ab initio fuerat, & à Comite Liceſtrio concuſſa republica ſimul fuerat concuſſa. In eadem terra Trajectina paſtorale munus obijt is quem dico Taco Sibrandi, cui permiſſum eſt docere ex pręſcripto Helveticæ antiquioris, ſiue Tigurinæ formulæ ad quam Remonſtrantes (ita appellantur qui nunc docent Prædeſtinationem ſub certa conditione) ſæpe provocant.

Sed & hoc notatu dignum nunquam formulam illā quæ profeſſio vocatur Belgicogermanicarum Eccleſiarum publico imperio ab Hollandiæ primoribus approbatam: cuius rei ego non aliam puto reddi poſſe rationem, quàm quod viderent proceres id agi, vt poſt religionem ea for-

mula circumſcriptam, ipſa deinde formula anguſtius circumſcriberetur interpretamentis, quæ res oneri erat futura multorum animis. Cui incommodo vitando Hollandiæ proceres anno CIↃ IↃXCVII adſenſerunt in indictionem Synodi communis è nationibus ea lege, vt formula illa ibi revocaretur ad examen, videreturque qua ratione optimè conſuli poſſet vnitati Eccleſiarum. Sperabant enim proceres in ea recognitione datum iri operam vt omnibus ſuper eius formulæ ſenſu anxijs ſatisfieret ea via quæ à definitionibus non neceſſarijs ſe temperaret. Poſt quod tempus & aliæ nationes in communem Synodum conſenſerunt lege eadem vt inibi illa formula, ſimulque inſtitutio puerorum, quam Cathecheſin vocant, relegeretur: cui legi adſcriptæ paſtores plerique ſe oppoſuêre, qui ita ajebant in Synodo ea ſcripta recognoſci non debere omnino, ſed poſſe, atque ita demum ſi ipſi Synodo ita videretur: in quo mirari ſubit ab illis non conceſſum Federatis proceribus jus id imperandi quod licere nec ipſi negabant: Ex quibus actis aliiſque pluribus apparuit quanto alia mens veteribus reipublicæ moderatoribus, alia non paucis Eccleſiæ paſtoribus fuerit, cum hi ſemper ad defi-

nitionem contenderent ; illi ad æquitatem,quę pręcipuèin ferendis placidè diſſidentibus conſiſtit: hi arctum facere vellent in Eccleſiam aditum multis ſeptis effatorum ſuper rebus controverſis: illi aperire Eccleſiam quantum fieri eis poterat, Chriſtianis omnibus,quorum vita probro vacaret.

Adferuntur in contrarium notæ cenſoriæ in Caſparem Colhaſium , & Cornelium V viggeri, additurque probatas eas ab Hollandiæ proceribus. Colhaſium quod attinet, multa cum eo erant diſputata ad hanc rem non pertinentia etiam de vitæ diſciplina: Ac tamen quæ in eum ſunt conſtituta,à proceribus Hollandiæ probata non ſunt : ſed id dictum eſt duntaxat, vt inſpectores Eccleſiæ in cenſura ita pergerent,vt Dei verbo conſentaneum eſſe exiſtimarent : quod revera nihil erat aliud quam rem ipſorum religioni commendare. Quid verò tam Princeps V vilhelmus, quam proceres Hollandiæ exiſtimaverint de actis Synodi Middelburgenſis anni CIↃ IↃ LXXXI. (nam in ea Synodo res Colhaſij tractata eſt) ſatis intelligi poteſt ex verbis quæ iam adduximus è mandatis delegatorum ad concipiendas leges de negotijs Eccleſiaſticis. Etiã res Cornelij V viggeri

exibat fines negotij quo de agimus: nam profeſſores rerum divinarum in Academia Lugdunenſi ei obiectabant, quod libertatem volendi doceret nulla addita divinæ opitulationis mentione: atque altera ex parte quod diceret plane extinctã in homine divinitatis imaginem: quod ipſum, illis iudicibus, homini ſuppeditabat excuſandi ſe materiam de omnibus delictis. Didericum verò Volqueri Cornhartium quantum attinet (cuius libri ſuppreſſi à proceribus Hollandiæ dicuntur paſtorum inſtinctu) quod maximam ei invidiam concitabat, hoc erat quod originariam labem negare & omnes cætus Chriſtianorum improbare diceretur. Quare ne hoc quidem exemplum ſubvertit id quod aſſeruimus, neutiquam proceribus id fuiſſe animi, religionem Reformatam tam arctis limitibus circumſcribere, vt qui ſub conditione Prędeſtinationem docent, ab ea arcerentur.

CAPVT IIII.

An mutuo ſe ferre in controverſiis de Prædeſtinatione diſsidentes fas fuerit, fieri ne id ipſum potuerit, & an ex vſu fuerit.

SVper controverſiis exortis de Prædeſtinatione, & quæ ei cohærent, Hollandiæ & Vveſtfriſiæ proceres aut omnibus aut pluribus ſententiis eo ſemper propenderunt, vt diſſidentes ferrentur, non ſub eodem imperio tantùm, ſed & in Ecclesia, ita ſcilicet vt relicta ſic vel aliter ſentiendi libertate, & præſcripta docendi moderatè ratione quæ ad pietatem conduceret, vtriuſque ſententiæ tum paſtores, tum cæteri ſervarent Eccleſiæ pacem ſub earundem poteſtatum civilium tutela. At alij ad definitionem perducere negotium laborarunt, exiſtimantes in omnibus quæſtionibus eiuſmodi certi aliquid conſtituendum, ſicut inter litigatores fertur ſententia cui ſtare pars vtraque tenetur ſive rectè, ſive perperam eſt iudicatum. Sed non reſpondet hæc comparatio, nam

nam ſententiæ iudicum feruntur ſuper rebus quæ noſtri ſunt dominij ac iuris, de quibus quod iudicatum eſt; vt maximè iniquum ſit, ei tamen ſine vlla officij prętermiſſione pareri poteſt de re ſua cedendo: ſed hoc non procedit vbi veritatis res agitur. Nam etiamſi de humanis tantùm, non de divinis rebus ageretur, non poſſet quiſquam obſtructum ſe credere eorum dicto quos falli poſſe autumat, aut vt contra credat quam ſe rei habet veritas, aut vt eam ſilentio plane ſepeliat præſertim ſi eam vtilem exiſtimet humanæ vniverſitati. Exemplum ſume in quæſtionibus de Medicina, de ſapientia naturalium rerum, in arte menſuræ, numeri, ponderis. Etſi talibus ſuper rebus in quamvis ſpecioſo cœtu aliquid pronunciaretur, non ea tamen interfecta eſſet quæſtio: ſed quivis liberum ſibi exiſtimaret aut rationum ductum aut experimentis de veritate periculum facere, & repertam in lucem producere. Sed ne diſceptationes eiuſmodi agitentur cum conuitiis aut iniuria graviore obtineri id certè poteſt. Genevenſes in anteloquio editi à ſe concentus formularum, Harmoniam confeſſionum vocant, Britanniarum Rex, in Epiſtola quam Cardinali Perronio ſcripſit per Iſaacum Ca-

ſaubonum, pluresque alij cenſent quam pauciſſima eſſe definienda: quod ipſum eidem Britanniarum Regi placuerat in colloquio Hamptonienſi, cum poſtularēt nonnulli vt capita quædam de Prædeſtinatione concepta Anglicano Symbolo annecterentur. Reperti ſanè ſunt homines tam feri qui dicerent Eccleſiaſticam vnitatem retinere velle cum illis qui circa dogmata aliqua diſſiderent, id verò eſſe Chriſtum miſcere Beliali. ſed contra nos docet vox à Deo inſpirata Rom. XIV. I. Philipp. II. 4. III. 5. I. Cor. IX. 19. XIII. 4. II. Tim. II. 22. & mos Chriſtianorum per omnia tempora terraſque diffuſus, nō omni dogmatum diſcrepantia communionis Eccleſiaſticæ fedus abrumpi, ſed eis demum quæ ad religionis fundamentum propriè pertinent, id eſt quibus divina conſtitutione æternum illud bonum ita annexum eſt, vt nemo niſi illis aſſentiens id poſſit adipiſci. Auguſtini eſt: *Sunt in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalva fidei cōpage non cōſonant.* Cui cōgruit illud Vincentij Lirinenſis: *Antiqua ſanctorū Patrum conſenſio non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolum certè præcipuè, in fidei regula magno nobis ſtudio & inveſtiganda eſt, & ſequen-*

da. Ita videmus Chriſtianos veteres, neque idem ſenſiſſe neque docuiſſe ſuper animarum origine ac ſtatu poſt mortem antequam corpora reſurgant, alijſque de rebus, non abrupto tamen ob hæc fraternitatis vinculo. Hanc mutuo ſe ferendi æquitatem non poſſe tantum, ſed & debere ſervari docent Calvinus Inſtitutione 4. cap. 1. lect. 12. Perquinzius ad Galatas capite 1. commate ſecundo, & cap. III. commate 15. Etiam in ſymbolo ſuo Helvetij cum ita loquuntur: *Abunde piæ vetuſtati ſatis erat mutuus ille in præcipuis fidei dogmatibus, inque ſenſu Orthodoxo, & charitate fraterna conſenſus*. Elector quoque Palatinus cum elogio vltimo liberis ſuis mandat, *vt ſibi quàm diligentiſſimè à turbulentis tam Eccleſiarum, quam ſcholarum miniſtris caveant, qui nunc in religionis & fidei negotijs, & omnis generis contentiones, logomachias, ac exitiales condemnationes in pias Eccleſias & Scholas, quæ tamen in fundamento & præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus conſentiunt, & ſalutem ſuam vna nobiſcum in vnicum noſtrum Servatorem Ieſum Chriſtum collocant, introducere conantur.* Ait inſuper, *ex ea re & in Politia & in Eccleſiaſtica gubernatione diſtractiones ſequi & vtriuſque gubernationis perturbationem*: ideoque *debere principes ſummopere à turbulentis*

iſtis hominibus, & pacis ac tranquillitatis publicæ inimicis ſibi cavere. Docet id ipſum Paræus locis pluribus, capite ad primam ad Corinthios tertio commate duodecimo, & latius in libro de vnione Evangelicorum: *Qui in fundamento conveniunt,* ait, *in bona conſcientia coitionem facere poſſunt, & debent: quamvis in minus principalibus aliqui nimium ſcientioſi ab alijs rudioribus differenter ſentiant. Si enim omnes per omnia conſentire poſſent, quorſum hortaretur Apoſtolus vt alij alios tolerent, vt firmi fide infirmos ſuſcipiant, vt alij aliorum onera portent, vt ſi quis quid aliter ſentit à Deo revelationem petat, & expectet? Optandus quidem erat plenus in omnibus conſenſus, verùm in tanta rerum humanarum fragilitate vix vnquam Eccleſiæ datus fuit, vixque facienda videtur talis fælicitas.* Exemplo ad hanc rem nobis eſſe poteſt labor piorum Principum, atque paſtorum inſumtus ad recomponendos cum Lutheranis Reformatos alios quantumvis (in Euchariſtiæ controuerſia diſſidentes, nam de Prædeſtinatione (quanquam etiã de ea cõtroverſiæ ſunt inter ipſos) nulla facta eſt mẽtio, cum pro certo haberetur eã vnitati ipſorũ impedimẽto eſſe nõ poſſe. Hæc cõglutinatio interlocutione illuſtriũ virorum confecta fuit anno CIↃ IↃ XXIX

& CIↃ IↃXXXVII inter ipſum Lutherum & Helvetios paſtores: poſtea anno CIↃ IↃ LXX in conventu Sendomirienſi Poloniꝗ inter ſectatores formulæ Auguſtanæ Bohemicæ & Helveticæ qui omnes polliciti ſunt, quanquam de Euchariſtia ſententiis diſcreparent, habituros ſe invicem pro piis cœtibus & mutuam vnitatem ſervaturos tam in audiendis ſacris exhortationibus, quam in ſacrorum rituum participatione. Factum idem anno CIↃ IↃ LXXV in Bohemia inter Auguſtanæ formulæ profeſſores, & eos qui Huſſitæ, quique Valdenſes dicuntur. Eodem allaboratum eſt anno CIↃ IↃLXXVII à legatis Reginę Angliæ, multorumque Principum qui tum Francofurtum venerant, ab Eccleſiis Belgicogermanicis libro quem ea de re ediderunt anno CIↃ IↃ LXXIX: à Synodo Hollandiæ Auſtrinæ anni CIↃ IC CV, ab Electore Palatino qui nuper vixit literis ſcriptis ad Palatinum Neoburgicum, & aliis literis quas anno CIↃ IↃ CVII ſcripſit ad regem Britanniarum, & primores noſtræ patriæ Federatos: ab Electore Brandeburgico nuper editis in eam remedictis, ab Vrſino, Ivello, Danæo, Vvithakero in libris ſuis, à Molinæo in conſilio quodam quod Gallicè ſcripſit hoc de argu-

mento, à Paræo in eo quem iam laudavimus libro. Cui conſequens eſt Eccleſiaſticam vnitatem & poſſe,& debere retineri cum ijs doctoribus qui ſuper Euchariſtia conſentientes,cum Lutheranis commune tantum habent dogma de prædeſtinatione quæ conditionem in ſe habet. Semper enim quod majus eſt, in ſe continet id quod eo eſt minus.

Vt rem propiùs commonſtremus, legatur præfatio Calvini ad Gallicè à ſe verſos locos communes Melanchthonis,vbi Melanchthonem ſummis extollit laudibus, cum tamen fateatur ſe in Prædeſtinationis negotio ab eo diſcrepare. Perquinzius inter controverſias quæ fundamentum ſalutis noſtræ inuiolatum relinquunt, ponit dogma de Gratia vniverſali,& de libero arbitrio. Parȩus etiam inter concluſiones quæ ad neceſſaria capita non pertinent,recenſet eas quæ ſunt de Prædeſtinatione, eius cauſis, atque effectionibus, de liberi arbitrij natura: additque ſi Euangelici doctores attendere vellent ad hoc diſcrimen capitum,multo minus rixȩ in Eccleſijs fore, & ſanando vulneri, ſarciendȩque paci remedia haud longè futura. Idem Regi Britanniarum viſum eſt,qui cum legiſſet indiculum quȩſtionum, quȩ de Prȩ-

deſtinatione, & annexis capitibus apud nos exortę erant, literis ſcriptis ſexto Martij anni CIↃ IↃ CXIII. pronuntiavit, non ita inter ſe diſtare ſententias, quin cum Chriſtiana veritate & ſalute animarum poſſent conſiſtere. Molinęus eo de quo loqui cœpi conſilio quęſtionibus illis quas in communi ſymbolo concipiendo prętermitti poſſe exiſtimat, ac ſine quarum notitia hominem ait poſſe ad ſalutem perpetuam peruenire, accenſet ea quæ ab Arminio eſſent propoſita de libero arbitrio, perſeveratione piorum, & prædeſtinatione. Quæ Arminij ſuper his rebus ſententia eſſet, notū ſatis erat Amſtelodami, cum inde dimitteretur in Academiam Lugdunenſem iturus: neque eo minus Eccleſia Amſtelodamenſis diſcedenti Arminio dedit præclarum teſtimonium dogmatum ac vitæ. In Academia cum aliquoties hac de re colloquia eſſent inſtituta, teſtati ſunt Gomarus, Trelcatius, Arminius, Cuchlinus inter ſe nullas eſſe controverſias ad fundamentum pertinentes. Superioris conſeſſus in Hollandia iudices, qui cætus ſi vnquam tunc certè viros ingenij iudiciique ſummi habuit, vt ſatis omnibus notum eſt, controverſiis hiſce apud ſe diſceptatis, iudicarunt non aliud præſentius

eſſe remedium quam in ſe invicem ferendi æquitate. In eo colloquio quod coram Hollandiæ conventu habitum eſt anno CIↃ IↃ CVII collocutores ſe mutuò fratres ſalutarunt: neque contradixerunt quicquam procerum hortamentis pacem ipſis commendantium. imo multo poſt tépore perſtiterunt in Eccleſiaſtica communione. Quibuſdam in locis vt Lugduni etiam pactiones ea de re ſunt confectæ. Synodus Gallicarum in Belgicogermania Eccleſiarum anno CIↃ IↃ CXII & CIↃ IↃ CXIII teſtata ac pollicita eſt, quominus fraternitatis iura cum paſtoribus ſui corporis ſervarent controverſias iſtas non obſtituras. Etiam Pleſſæus, & alij viri ſapientes non minus quam eruditi ad retinendam inter diſſentientes pacem hortatores fuêre.

Excipitur alias fuiſſe controverſias quæ notis quinque capitibus non continerentur: & earum in numero nonnullas ad fundamenta religionis pertinentes. Sed reſpondeo, nullam eſſe cauſam ea de re conquerendi quando Hollandiæ proceres decreta de ferendis diſſidentibus ſemper adſtrinxerunt ad quinque illa capita, in cæteris nihil conſtituentes novi, vt videre eſt in decreto quod factum eſt vice-

ſimo menſis Maij anni CIↃ IↃ CXI, in eo quod factum eſt anno CIↃ IↃ CXIV, in alio facto die decimotertio Decembris anni CIↃ IↃ CXV, in alijs quæ facta ſunt, alterum decimo octavo Martij, alterum viceſimo octavo Aprilis anni CIↃ IↃ CXVI: item in edicto quod proceres eidem ediderunt quinto Auguſti CIↃ IↃ CXVII, in reſponſo dato legatis Zelandiæ, aliiſque actis pluribus. Proinde ſi qui putabant extra quinque capita factum à quoquam quod alios meritò offenderet, eis liberum fuerit exſerere aciem Eccleſiaſticę cęnſuræ. Sed inſtatur non potuiſſe adverſus tales agi, quod Synodi non haberentur. ſed rurſum parata eſt reſponſio has cauſas non directè ad Synodum pertinuiſſe, ſed primum ad Preſbyteria loci, deinde ad conventus vicinales quos claſſes vocant? quod ſi ab ijs provocatum eſſet, tum demum tempus fuiſſe veniendi ad Synodum Hollãdicam, quam convocare Hollãdiæ proceres parati ſemper fuêre, dummodo ſuper quinque capitibus decretis de pace colenda factis pareretur, vt videre eſt in eorum decreto quod factum eſt IV Decembris anni CIↃ IↃ CIX. Multi ſolent aggerere colloquium Delphis Batavorum habitum quaſi in quo Remonſtrantes, id eſt paſtores qui ſub condi-

tione prædeſtinationem docebant, recuſaſſent mentis ſuæ ſenſa aperire de magni momenti rebus. Sed res eſt, obtuliſſe ipſos aperturos ſe ſua ſenſa, modo prius alij de ferendo in ipſis quinque capitibus dogmate profeſſionem edidiſſent. Deinde ſemper apud nos etiam à proceribus, magiſtratibuſque id iuris habitum eſt in cauſa religionis, accuſatione, non inquiſitione graſſandum: probationes foris adferendas, non petendas de reo. Si prę ſto erant documenta culpę circa dogmata commiſſæ, cur ſilebat cenſura? Si non erant, quid attinebat in ſuſpicionem vocare homines integræ famæ?

Objicitur vlterius in ipſo argumento Prædeſtinationis, & eorum quę inde pendent eouſque potuiſſe de via deflecti, vt læderentur fundamenta, atque ideo illicita eſſet pax mutua. Sed & hoc perfacilè ſolvitur. Antiquitus enim ab ea parte quę ſub conditione Prędeſtinationem ſtatuit, vnus tantum ſcopulus formidatus eſt: ea ſcilicet ſententia quæ docet poſſe hominem aliquid boni ſalutaris perficere, aut certè incipere ſine interna divinę bonitatis operatione, ac proinde talem opem homini non eſſe neceſſariam. legantur attentè omnia quę in Conciliis Carthaginien-

ſibus, Milevitano, & Affricano contra Pelagium & eos qui Pelagij reliquiæ dicebantur, conſtituta ſunt, apparebit omnia in id quod dixi, redire. Atqui huic malo obviam itũ eſt illorũ quinque capitũ capite 3. ita vt nemo qui illis capitibus aſſentitur, ſuſpectus eſſe poſſit Pelagiani aut Semipelagiani erroris. Sed & proceres Hollandiæ decreto anni CIↃ IↃ CXIV huic periculo præcaverunt, iubentes doceri principium, progreſſum, & conſummationem humanæ ſalutis, ipſamque ſalutiferam perſuaſionem non nativis hominum viribus aut factis, ſed ſoli neque promeritæ Dei ob Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum benignitati aſſcribi debere, contraque doceri vetantes id vnde quod his contrarium eſt ſequeretur, hoc ſcopulo vitato, nihil vltra in dogmate de Prædeſtinatione, quæ conditionem ſibi innexam habet, rebuſque conſectaneis cogitari poteſt, vnde metus ſit ne fundamenta convellantur.

Ad id quod præterea dicitur non debuiſſe de ferenda diſcrepantia ſententiarum decretum fieri niſi rebus bene exploratis : vnde porro inferunt nonnulli prius convocandam fuiſſe Synodum, conſiderandum eſt neque Synodos à proceribus Hollandiæ omnino fuiſſe reprobatas (vt

partim iam oſtenſum eſt,partim infra oſtẽdetur) ſed eas demum quæ ad deciſionem controverſiarum ducerent. Tum verò poteſtas ſumma (cuius officium eſt non neceſſarijs Eccleſiæ ſciſſuris intercedere) etiam abſque Synodo inſtrui poteſt de natura controverſiarum , hactenus ſaltem tolerabiles ſint ; ex partium ſcilicet contendentium confeſſione : quomodo hîc ex his quę vtrinque dicta erant in còlloquio anno CIϽ IϽ CXI promtum erat colligere quæ inibi diſceptata erant,non excedere terminos intra quos ferre alter alterum poſſent : aut etiam veteris Eccleſiæ iudicio , quæ certè minus ponderis apud nos habere non debet, quàm noſtrorum temporum Eccleſia : quomodo in hoc argumento Concilia habita adverſus Pelagium & Pelagij reliquias ſatis oſtendunt, totam tũc de Prædeſtinatione controverſiam habitam eſſe tolerabilem,& quæ definitionis non egeret: quo & illa ſpectant Cæleſtini Romæ Epiſcopi hac de re ſcribentis verba : *Profundiores verò difficilioreſque partes intercurrentium quæſtionum ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere.* Conſpicua etiam ſunt in rem eandem exempla veteris Eccleſiæ. Neque enim negari poteſt dogma Prædeſtinatio-

nis conditionem complectentis magno conſenſu & creditum fuiſſe, & traditum ab omnibus tractatoribus ante Auguſtini ætatem, & poſt id tempus à Græcis omnibus, qui tamen in eadem fuerunt communione. Imo Hieronymus & Auguſtinus, qui eodem ęvo vixere, & ambo Pelagium ſcriptis oppugnarũt, & communionis eiuſdem fuerunt, deprehenduntur ſuper his rebus ſententiis diſſidere, cum Hieronymus vbique etiam in libris noviſſimis Prædeſtinationem doceat ſub conditione, quam ſine conditione ab Auguſtino doceri plerique credunt.

Cùm igitur probatum ſit nefas non fuiſſe ferre ſe in vicem paſtores in hiſce controverſiis, ita vt diximus circumſcriptis, videndum reſtat, an id ipſum fieri etiam potuerit. Ad cuius quęſtionis explicationem, primùm rationes & argumenta pertinent iam ante prolata, quæ ſcilicet non hoc tantùm docent fas eſſe, vt in his & ſimilibus rebus feratur opinandi diverſitas, ſed etiam id ipſum fieri oportere; quicquid autem fieri oportet id prius tale ſit neceſſe eſt, vt fieri poſſit. Pertinẽt eodẽ multarũ Eccleſiarũ exẽpla: neque multũ hîc refert, ſint ne eæ pluribus, an paucioribꝰ vitiis inquinatæ: quia id ipſum ſpectandum

eſſet ſi ab earum auctoritate duceretur argumentum, non vbi per exemplum duntaxat oſtenditur quid fieri poſſit. Quis mos fuerit veteris Chriſtianitatis tam in hiſce quam in aliis controverſiis, iam ante commonſtratum eſt. In Romanenſi Eccleſia quæſtiones ſunt plures centum, quę ſalva vnitate, inter eruditos diſceptantur: inter quas eſt & illa de Prædeſtinatione, quanquam de libertate conſenſus humani, & piorum perſeveratione idem inter ſe ſentiunt. Etiam in Lutheranorum cætibus qui æquiores ſunt ſuper controverſia, an vbique ſit Chriſti corpus, ferunt alij alios. Habent & qui Reformati peculiariter dicuntur inter ſe controverſias, manente tamen pace fraterna, qualis eſt quęſtio de obedientia Chriſti quæ in agendo, quæque in perpetiendo conſiſtit, vtra ſcilicet ſit ob quam Deus nobis peccata condonet, ac pro innocentibus nos habeat, qua de re non tantùm cum Piſcatore actum eſt placidè, ſed & inter Tilenum & Molinæum interloquente Pleſſæo, atque aliis citra definitionem tranſactum eſt. De regimine Eccleſiæ, de ſacris ritibus à Chriſto inſtitutis, ſunt quæ ventilantur quæſtiones vnitate incolumi. Vt propius ad negotium noſtrum accedamus,

videmus, pridemque vidimus inter eos qui puram defendunt Prædeſtinationem, eſſe qui ponant eam ante ſpectatam Adami ruinam, eſſe qui eandem ruinam ei ſubſternant, at ne hoc quidem vnitatem abrumpit. Dubitari tamen non immeritò poſſet, an non illi alter ab altero tantum differant, quantum ab vtriſque hi qui ſub conditione, Prædeſtinationem tradunt. Verum quidem eſt, illos vtroſque adverſum tertios in eo conſentire quod decretum de ſalute cuiuſque hominis factum ponunt ante conſideratam aſſenſionem Evangelio præbitam: ſed rurſum tertiis cum ſecundo ordine id commune eſt adverſum primos, quod putant non decreviſſe Deum hominis cuiuſquam perniciem æternam, ac ne potuiſſe quidem decernere, niſi eum vt ſontem intueretur. Si fieri poteſt & fit reipſa, vt iſti alij alios ferant retinentes vnitatis compagem, cur non & iſti ſimul tertios ferre poſſent? Sed & hoc fieri poſſe iudicavit Hollandica Synodus Harlemi habita anno CIↃ IↃ LXXXII in qua deliberatum eſt quatenus tolerari poſſent, qui Prędeſtinationis dogma probare non poſſent.

Sunt qui putant hanc mutuò ſe ferentium pacem conſiſtere non poſſe, niſi vbi

pars altera docet, altera quod ſentit ſilentio premit, ſed ſcripta, tum veterum, tum eorum qui nunc ſunt in Romanenſi Eccleſia, Lutheranorum quoque & Reformatorum contra nos docent ſententias diſcrepantes & doceri,& defendi ſine pacis ruptura. vetus dictũ eſt, incolumi amicitia poſſe amicos ſeorſim ſentire,& quod ſentiant,modeſtè rationibus munire: quod non in divinis tantùm,ſed & in humanis rebus vſu venit.

Alij poſſe id fieri exiſtimant, ſi diſſidentes in diverſis ſint locis,vt hîc illud,ibi aliud doceatur pace incolumi, non ſi in vno loco munere ſuo fungantur. Quæ ſubtilitas primum valde aliena eſt à natura Eccleſiæ Chriſtianæ quæ vbique diffuſa vnum corpus facit, ita vt dogmata quod attinet, nihil hic neceſſarium eſſe poſſit,quin ſimul vbique ſit neceſſarium. Deinde libertas illa Prophetarum Apoſtolo memorata quæ in veteri Eccleſia Chriſtiana viguit, ſatis oſtendit poſse in vna Eccleſia diverſas ſententias proponi illæſa fraternitatis concordia. Etiam teſtibus evincere poſſem ex eodem ſuggeſtu, noſtris in terris ſine offenſa propoſitas fuiſse ſententias diverſas,etiam de argumento cuius ante memini pertinẽte ad cauſam ob quam Deus

culpis

culpis noſtris ignoſcit: quod ſunt qui putant maximi eſſe momenti. Imo in his ipſis de quibus agimus controverſiis diu vidimus non vno in oppido ſine vllis incommodis pacem cultam inter ſententiis diſſidentes, donec ſeceſſio de induſtria omnibus modis promota eſt. Et qui credibile eſt,cũ Reformati Lutheranos invitarunt ad Eccleſiæ vnitatem, id eos ſenſiſſe non poſſe concordiam retineri, vbi tum fit,tum illi eſſent in eodem oppido? Imo contra recte etiam iiſdem in locis manere poſſe inter diverſa ſentientes fraternitatis conſortium,docet adductum modo Poloniæ exemplum. Sed & eorum qui apud nos ſæpe in vna Academia,aut Eccleſia alij Prædeſtinationem Adami culpæ præviam, alij eidem culpæ conſectaneam docuerunt.

Qua propter alij propius in rem intuentes aiunt non negandum quin fieri poſſit, vt diverſæ ſententiæ proponantur,dum id fiat æqua ac placida ratione: Sed vbi per illationum gradus alter alteri odioſa placita impingit,nõ poſſe tum quietem & pacem retineri; quod ſine accurata diſtinctione tranſmittendum non eſt. Nam in privata veri indagatione eam argumentandi rationem prohibere velle,qua oſten-

ditur ex adverſaria poſitione abſurda ſequi, id vero foret abſurdiſſimum, cum omnes qui diſputandi artem tradiderunt, nos doceant eam docendi rationem facillimam eſſe cōprehenſu: non quod æquum ſit quenquam onerare quaſi omne id ſentiat, quod ex ipſius ſenſu per legitimas conſequentias deduci poteſt (ſæpe enim accidit, vt is ipſe eam conſequentiæ neceſſitatem non videat, ac potius quam id quod infertur concedat, effatum ſuum ſit deſerturus) ſed vt horrore eius quod ipſius aſſertio ſecum trahit, connexione rectè expenſa, ab errore abducatur, quod ipſum tamen in colloquijs etiam privatis ita fieri debet, vt evitetur quicquid aſperare animos poteſt, vereque appareat non ruborem alterius, ſed emendationem quæri. Sed publicas allocutiones quod attinet, ſapientiſſimum mihi videtur eorum conſilium qui putant ea, quæ abſurda cum ſint, defenſorem habent neminem, refelli quidem poſſe, ſed ita ne ſimul ſignificetur ea ſequi ex ſententia aliorum in eadem communione viventium, vt ſcilicet mos geratur plebis infirmitati quæ per orationem eiuſmodi incendi animis divellique poſſet. Verum putate ideo vnitatem retineri animo nequire, quia alter alterius ſenten-

tiam incommodis premat, extra rationem eſt, & exemplis refutatur. Reformati Lutheranis, hi illis viciſſim multis in libris abſurda multa ſæpe, nec ſine ludibrio obiecere tanquam quod ex ſententia ipſorum flueret: non eo minus Principes, doctoreſque iam ante nominati, etiam Beza in Montipellicardēſi Colloquio pacem fraternam Lutheranis obtulerunt. Qui apud nos Prædeſtinationem puram conſiderationi humani generis in crimen lapſi anteponunt, ab alijs qui eandem Prædeſtinationem ſuper communi culpa ædificant, Deum aiunt ſtatui improvidum. Hi contra aiunt ab illis Deo manifeſtam iniuſtitiam aſſignari: neque tamen ideo rumpitur vnitatis compages. Idem in Romanenſi Eccleſia videre eſt inter diverſa docentes de quæſtione an citra originariam labem concepta ſit, quæ futura erat Domini noſtri mater, de Prædeſtinatione etiam, rebuſque aliis. In diſputationis certamine arripit quiſque, & vrget quod ſibi vſui putat: ſed non ideo communionis nexus diſſolvitur.

Ego verò ſemper exiſtimavi in publicis allocutionibus facilè eum poſſe modum reperiri qui non modò animos non exaſperaret (quod multi ad tranquillitatem

plebis retinendam ſatis eſſe exiſtimant, & extra controverſiam exempla habet, tum in antiqua Chriſtianitate, tum ſæculo noſtro) ſed talis etiam eſſet, vt in docendo diſparitas, aut eſſet nulla, aut non appareret. Et hac quidem in cauſa eo facilius, quia hi qui puram docent Prædeſtinationem, & Contraremonſtrantes appellãtur (vtinam ignota eſſent illa partium nomina) in Colloquio Hagienſi faſſi ſæpe ſunt quædam ſuorum dogmatum non niſi adductè & temperate proponi debere. Beza ipſe in Montipellicardenſi Colloquio dicebat incõſultum eſſe de iis quæ ipſe tuebatur placitis apud populum certare, quod ea res plures offenſura, quam inſtructura eſſet. De reiectione hominum Contraremonſtrantes in eodem illo Hagienſi Colloquio ne agerent, deprecati ſunt invidiæ declinandę ergo. Multi eorum gregis & hoc dicunt, quoties ad vſum res confertur, dogma ſuum de Prædeſtinatione non eſſe proponẽdum niſi ab imo ſurſum, quæ docẽdi ratio plane cum Remonſtrantium docendi ratione conſentit, vtrunque ſententiæ diſcrepant. Legere memini inter Zanchium & Marbachium, qui pariter in Argentinenſi ſchola iuuentutem ſacris diſciplinis informabant, in eum modum

conventionem factam. Quin & apud nos curatores reipublicę Geldriæ & Zutphaniæ concordiæ formulam in modum eundem conſcripſerant quæ mihi impenſè placuit: vt & conſilium ab eximijs Zelandiæ(ni fallor) paſtoribus miſſum ad Principem Mauritium, quod mihi monſtratum, vt ad publicam tranquillitatem valde faciens commendaui. Etiam in allocutione ad rectores oppidi Amſtelodamenſis quædam aperueram quę huc pertinere mihi videbantur, ac ſerius etiam ex libris partis vtriuſque ea excerpſeram in quibus quam proximè alij ad alios accedere videbantur, vt inde hauriri poſſet bene temperata docendi præſcriptio quę nullius animum læderet. Comperi & Rotterodami, cum ibi primum agitari cæperant controverſiæ de proponendis dogmatibus initam conventionem, quæ & placidè obſervata eſt, dum ibi fuit Colonius. Poſtea quoque cum iam me rectores eius oppidi vterentur, à paſtoribus publicis conditiones quædam latæ ſunt his qui ab Eccleſia diſceſſerant tam ęquæ, vt eas repudiandi cauſa me certè iudice, nulla eſſet. Neque aliorſum ſpectant tot monita Hollandiæ procerum quę in omnibus ferme decretis apparent, vt de his capitibus doceretur ad plebis in-

ſtitutionem, ad Dei gloriam, ad ſalutem publicam, ad Eccleſiarum incrementum, vt fraterna & Chriſtiana charitate ſe mutuò foverent, cunctaque dirigerent ad quietem & pacem, ad introducendam retinendamque charitatem, vt ſacra ſcripta modeſtè explicarent, vt ad Chriſtianum amorem, vnitatem, & bona exempla componerent ſeſe, pluraque alia eius ſenſus quæ in ipſis decretis videre eſt, ad quæ acceſſit quod menſe Februario anni CIↃ IↃ CXVII proceres Hollandiæ teſtati ſunt ſibi non diſplicere, *vt benignis ſuaſionibus & peccatorum hominum conſilio prorſus negotium expenderetur, conciperetur que formula aliqua pravis ante decretorum interpretationibus vitandis, & regendo eorum vſui, ſecundum quam orationes ad populum à paſtoribus diſſentientibus animo non reluctante haberi poſſent ad pacem ſimul, emendationemque populi.* Sic & in Edicto quod evulgatum eſt menſe Auguſto CIↃ IↃ CXVII, aiunt proceres eidem *ſemper ſuam mentem fuiſſe, ne controverſa placita niſi modeſtè & ad bonam plebis frugem tractarentur.* Si quid adverſus hęc peccatum fuiſſet, id omne imperio publico coerceri poterat ſi de re principali, hoc eſt de retinenda inter diſſentientes vnitate, conveniſſet. Certo mihi conſtat penes nobiles & maiorem

oppidorum partem non ſtetiſſe quominus acerbitatibus cunctis obviam iretur.

Quod ſi fas erat, fierique poterat vt ſe ferrent mutuò diſſidentes, certè quin id expedierit, vtiliuſque fuerit quàm decidi controverſias, puto neminem ſani iudicij dubitaturum. Ita certè ſenſerũt non Hollandiæ tantùm proceres qui hoc nomine non rectè accuſantur: ſed & iudices ſuperioris confeſſus. Quid deciſio ſibi præmiſerit, quid poſt ſe traxerit videre eſt operæpretium. Pij paſtores magno numero finibus ſunt expulſi cõtra proclamatam ſemper à noſtris animorum libertatem: dejecti ſunt ſuis muneribus legitimi magiſtratus, ſuffecti alij extra ordinem, & contra leges, pro quibus legibus, & illa quam dixi animorum libertate ſumpta, arma ſemper profeſſi ſumus: anxietate, ac mœrore premuntur multa civium millia qui ſtudioſiſſimi ſemper fuerunt publicæ ſalutis: interim præſidia ad fines tuendos neceſſaria abſumuntur in eorum iniuriam quorum ſumtu ſuſtentantur. Quæ verò plura adhuc ſequi hinc poſſint mala, Deum quæſo vt propitius avertat. Ex adverſo recepta admonitione ferendi ſe invicem, primum diſputandi libido, quæ initijs accerrima eſt, refrixiſſet paulatim: reſpublica con-

cordibus animis fuiſſet gubernata, cives vixiſſent in pace ac charitate mutua, rectorum amantes, ac reverentes. Hæc quæ exſpectanda erant hinc bona, mala inde non à me tantum, ſed & ab aliis mecum legatis (quos inter fuit Hugo Muſius quæſitor Dordrechtanus) rectoribus oppidi Amſtelodami accuratè ſatis commonſtrata fuerunt; quod ſi tum ipſis libuiſſet diligentius ad rationes noſtras attendere, & rogatu noſtro venire ad colloquia propiora, multa incommoda quæ Hollandiæ, ac proinde & oppido Amſtelodamo ſupervenerunt iam, aut ſupervenire adhuc poſſunt, in tempore potuerant anteverti.

CAPVT V.

Convocationem Synodi ad definiendas controverſias non modò illegitimam fuiſſe, ſed & tranquillitati publicæ procurandæ inidoneam.

EX eo quod demonſtratum eſt hactenus, nationis cuiuſque Proceribus, non autem Federatis communiter, deberi arbitrium religionis, rerumque Eccleſiaſti-

carum, evidenti neceſſitate ſequitur non potuiſſe communem Synodum convocari niſi ex nationum omnium conſenſu, quando Synodos indicere ſummi eſt imperij, vt tum alibi oſtenditur, tum in libro qui dicitur Recognitio Synodi Tridentinæ libro tertio, ſeptimo capite. Quod cum viderent quidam, ius convocationis eius de qua controverſia eſt, deducere voluerunt ex conſenſu quem Hollandia præbuit anno CIↃ IↃ XCVII. Sed cum is conſenſus adnexam haberet legem, vt in litteris indictorijs insereretur præceptum recognoſcendæ formulæ quæ Confeſſio Belgica appellatur, certè manifeſti eſt iuris ea conditione ceſſante pro non conceſſo habendum, quod non niſi ſub ea conditione conceſſum fuerat. Præterea notum eſt, omnes aſſenſiones eiuſmodi, quamdiu res eſt integra, neque in contractum itum eſt, revocari poſſe, præſertim mutata rerum cauſa, ſicut in Hollandia per ſecutam ſeceſſionem, multaque alia rem valde mutatam negari non poteſt. Iam verò hoc tempore Hollandiæ primores & nationes aliæ profeſſæ ſunt ſe hoc rerum ſtatu in Synodi talis indictionem aſſentiri non poſſe.

Sed & hoc inquirendũ, dicine poſſit indictio talis Synodi ad cõtroverſias definiẽdas

(vndè non poterat non ſequi Eccleſiaſtici corporis divulſio) facta ex ſententia maioris partis nationum. Nam Hollandos & Traiectinos vſque ad mutatam rempublicam interceſſiſſe nemo ignorat? Mandatum Geldriæ legatis datum pertinebat ad vitandam ſciſſionem: quam ob cauſam è legatis non pauci, quod vlteriora mandata non haberent, dixerunt ſibi non placere quicquam decerni ex maioris partis ſententia. Quin poſt etiam, menſe ſcilicet Martio anni CIↃ IↃ CXVIII in conventu Geldriæ conſtitutum eſt *ſuaſionibus id agendum, vt diſcrepantes nationes in convocationem Synodi aſſentirentur.* Tranſiſalana verò natio quo tempore decreta fuit Synodi indictio, conſtituerat indictioni intercedere: quanquam poſtea inducta eſt vt conſentiret, ſed in has leges modumque: *Cùm Princeps Arauſionenſis connixè poſtulaverit à nobilitate atque oppidis Tranſiſalanæ, vt indicendæ Synodo aſſenſum ſuum accommodarent: certo ipſis affirmans atque promittens non alio animo eam indici, neque aliò tendere, quam vt placide componerentur Eccleſiaſtica diſsidia, & religionis controverſiæ ad pacem atque concordiam nationum, quod quidem futurum eſſet abſque detrimento iuris, legum, atque imperij tum nationis cuiuſque*

tum eius partium, atque ita etiam ne religionis cauſa cuiquam noceretur : ſuper qua & hoc à Principe affirmatum eſt, æquis rationibus ac perſuaſione nationes diſſentientes eodem permotum iri, vt cuncta concorditer ſine vlla nationum divulſione peragantur: neque verò ratum habitum iri quod Synodus definÿſſet, niſi nationes ſingulæ auctores fierent, ſub his legibus ac pollicitatione Principis, nobilitas & oppida Tranſiſalanæ aſſenſerunt, vt eum in modum convocetur Synodus, ad pacem ſcilicet atque concordiam nationum, & placidam tranſactionem diſsidiorum Eccleſiæ, & controverſiarum in religione: hoc addito, vt capita perſcripta antehac de modo atque ordine agendorum in Synodo communi conſilio expenderentur, & emendarentur quoque, ſi ita opus eſſe iudicaretur.

At verò legatis nationum aliarum (legatos nomino quia de ipſis nationum proceribus idem affirmare non auſim cùm ſciam primoribus Zelandię ſemper viſum diviſioni Eccleſiæ omnibus æquis modis obviam eundum) ſed vt dicere cæperam legatis aliarum nationum, id fuiſſe propoſitum, rem perducere ad controverſiarum definitionem, apparet ex oratione legatorum Zelandiæ ad Hollandiæ primores anno CIƆ IƆ CXVII, qua rogãtur Hollandi (nam de iure decernendi quicquam ex

ſententia maioris partis nationum nihil dum cuiquam in mentem venerat) *cum nationibus aliis quam citiſsimè indicere communem legitimam Synodum, in qua ea quæ erant controverſa, expenderentur, atque definirentur.* Ac poſt iterum loquuntur *de exſpectanda deciſione.* Sic & Friſiæ cis & vls Lavicam legati ad eoſdem Hollandiæ proceres aiebant, *nullum ſe remedium invenire melius definitione per Synodum communem.* Ea mens apertiùs etiam inde detegitur, quod trium illarum nationum legati paſſi nunquam ſunt in actis indicendæ Synodi mentionem fieri tolerandæ ſententiarum diverſitatis. Sed & eventu idem comprobatum eſt: nam ad componendas amicè controverſias nihil actum in Synodo eſt, ſed ad diffamandos, damnandoſque Remõſtrantes inſtituta omnia.

Definitione tali nõ potuiſſe pacari animos ſatis inde intelligi poterat, quod ab iis fiebat definitio qui in hac cauſa partes fecerant. Nam indigenarum paſtorum præcipui quique Remonſtrantes qua voce, qua ſcriptis prædemnaverant: partim & exemplo ſuo ad ſeceſſionem prçiverãt, aut etiam de ea promovenda in arcano coiërant. Extranei autem quorum maximus eſſe debuerat vſus in pace concilian-

da ex partium altera erant conquiſiti. Neque enim Eccleſias tantùm Auguſtanæ profeſſionis quibus fraternitas toties oblata hac ſuper re auditæ non ſunt, ſed & in alias Germaniæ Eccleſias inquiſitum, an eius eſſent ſententiæ cuius victoriæ ſtudebatur, priuſquam inde peterentur legati. Amplius conſtitutum fuiſſe ne quis cum Remonſtrantibus ſentiens in Synodum admitteretur, ex ſententia in me lata apparet, quæ mihi vertit vitio quod operam dederim, vt ad Synodum venirent nonnulli, qui novis dogmatibus (ita Remonſtrantium dogmata appellantur) non erãt cõtrarij. Ipſa mandata externis data damnationem Remonſtrantium præ ſe ferebant, vt & orationes habitæ ante causã cognitam. Ad hoc ſunt qui regerunt exceptionem hanc aduerſus iudices alteri partium addictos in civilibus negotiis valere, non in Eccleſiaſticis, quòd ſatis mirari nequeo; cum origo eius exceptionis ex naturali æquitate deſcendat, quæ in negotijs omnibus valere debet. De Eccleſiaſticis negotijs loquebatur Optatus Milevitanus, cum diceret: *non poſſumus facere quod non fecit Deus, qui in iudicio ſuo perſonas ſeparare dignatus eſt: nec eundem voluit eſſe accuſatorem, & iudicem.* Et alibi idem: *Quærendi*

ſunt iudices , de vtraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. Eccleſiaſtica erant negotia de quibus agebat Conciliũ Conſtantinopolitanũ cũ diceret natura nos doceri vitandos eſſe iudices ſuſpectos. Athanaſius,Cæſareenſem,Maximus Patriarcha Hieroſolymitanus,Antiochenam,Occidẽtis Epiſcopi,Smyrnenſem,Paulinus,Mediolenenſem recuſarũt, quod qui eo mittebantur iniqui in ipſos eſſent: qua in re factum ipſorum communi ſapientum iudicio probatur. Compara ea quæ à Proteſtantibus dicta ſunt contra Synodum Tridentinam : Dixerunt non modo Romanum Pontificem, ſed omnes Epiſcopos ipſi parentes,eo quod in partibus eſſent iudices, eſſe non poſſe. Vide recognitionem Concilij Tridentini libro primo,capite tertio,& quarto:addiderunt id eo eſſe iuſtius quod Pontifex ipſos iam prædamnaſſet. Inſpice ad hanc rem ſcriptum Federis Smalcaldici, factum anno CIↃ IↃ XXXVIII , item dictam modò recognitionem libr. I.cap. 5.

Quæ ineundæ ſunt viæ quoties aperta ſunt ſtudia , imo iam rumpi vnitas cæpit, non imprudenter oſtendit eiuſdem recognitionis ſcriptor ita loquens: *veniendum ad aliquam viarum quas iam monſtravimus:*

nempe vt aut Chriſtianæ poteſtatis iudices dent partim ex civili, partim ex Eccleſiaſtico ordine pari numero de parte vtraque, aut vt amica inſtituatur collatio cum pio pacis deſiderio. Deinde porro agens de tali conventu non ad definiendas, ſed ad componendas controverſias, adijcit. *Hæc libertas in eo quod convocatur concilio tum apprime neceſſaria eſt cum magnus eſt numerus, ſic atque aliter credentium, cumque iam in partes itum eſt, & ſententiæ vindices habent gentes totas aut nationes*: addit deinde, *ita cum ſe res habent, cenſura ac damnatione partis alterius res non indiget: nam per illa nil profici exitus oſtendit veniendum ad benigniora, ad colloquia amica, ad tranſactiones*, & quæ ibi ſequuntur plura. Rurſum interrogans quis iudex ſit futurus provectarum eouſque controverſiarum, *non*, ait, *accuſatores, nec qui accuſantur: & quo ſe ei magis ingerunt, quo magis ſe reddunt ſuſpectos atque ejurabiles.* Vnde intelligi ſatis poteſt, ſi quis in hac cauſa dicat ius poſſidendi ſtare ab hac aut illa parte; aut hanc illa eſſe validiorem, eo negotium non expediri. nam vbi de ijs quæ credenda ſunt, agitur, poſſeſſionis vix vllum eſt privilegium: neque poſſunt qui pauciores ſunt in hac re aliorum qui plures ſunt, dominatu premi niſi per vim, vt multis oſtenderunt Proteſtantes temporibus

Synodi Tridentinæ.

Quod ſi etiam ſpectare libeat eum qui in Synodo propoſitus erat agendi modum, nihil boni inde ſperari poterat. Nam nimium manifeſto apparuit quæſitos obtentus quo ius ſententiæ dicendæ adimeretur Remonſtrantibus qui eius dicendæ ius habebant: cum tamen vt hi ipſi non niſi pauci eſſe poſſent, iam ante proviſum fuiſſet ejectis per iniqua iudicia in Synodo cuiuſque nationis quotquot eijci poterant, & vbi qui ſuperfuerant appoſita illis æmula Eccleſia: deinde quo qui citati advenerant, è conventu eijcerentur, ne quis externorum (inter quos etiam nonnullis per litteras domo ſcriptas incuſſus eſt metus) eorum argumentis moveretur, atque vt ita condemnatio iis abſentibus quorum res agebatur facilius procederet. Neque verò Remonſtrantibus dum in Synodo fuere libertas conceſſa eſt, quam Proteſtantibus in Synodo Tridentina negatam non memini, proferendi citra impedimentum argumenta quibus ſententiam contrariam oppugnandam cenſebant (quanquam indictionis litterę id continebant) ſed tantum quatenus id Synodo, quæ ex adverſa parte conſtabat, videretur: planè adverſus æquitatem naturalem, cum in diſputando tam

tam opponendi aliena quàm ſua tuendi par eſſe libertas debeat: quippe etiam impares cætera hac in parte pares ſe faciant oportet quoties rationum pōderibus examinanda eſt veritas. etiam præter iudicum omnium morē qui nunquam litigatoribus prҫſcribunt quem ad modum ſive in oppugnando, ſiue defendendo cauſam ſuã acturi ſint, quia argumenta in partium debent eſſe libertate, non in arbitrio iudicis.

Iuſtam libertatem huic Synodo abfuiſſe etiam apparet ex manus iniectione in Remonſtrantes paſtores facta Dordrechti, tanto rigore vt in ſumma neceſſitate, nec vxores, nec liberos adire ipſis licuerit.

Quæcunque definitiones vnquam factæ ſunt rebus ita præſtructis ad obtinendam maiorem ſententiarum partem, nullius vnquam bonæ frugis fuiſſe apparebit. Multa huius rei exempla attulimus in oratione habita Amſtelodami mandatu procerum Hollandiæ.

Præterquam verò quod hæc Synodus malis internis mederi non poterat, aliud & ipſa malum attulit, cum ſpes omnis redeundi in vnum corpus cum illis qui Auguſtanam formulam ſequuntur per hanc Synodum ſublata ſit, quia eius formulæ ſectatores plane exhorreſcunt quædam pla-

cita quæ huius Synodi definitionibus, tanquam communia Reformatarum Eccleſiarum dogmata, oſtentantur.

Accedebat quod iſtud definiendi propoſitum ad mutationem rectorum contra leges ſpectabat ne ſcilicet bruta eſſent Synodi fulmina. Synodus communis nationum alia quæ celebrata eſt anno CIↃ IↃ. LXXXVI apud Trajectinos ſimiles effectus produxerat, quę ſola ratio ſufficiebat vt civilium rerum gnari & præſentis ſtatus amantes, & rebus novis adverſi à tali Synodo abhorrerent.

CAPVT VI.

Quibus modis Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, vicinarumque nationum proceres componenda cenſuerint Eccleſiæ diſſidia, & quæ conſilia in eam rem ſint data.

CVm primum innoteſcere controverſiæ cœperunt, atque Hollandiæ proceres de earum natura colloquio præcipuorum è paſtoribus edoceri voluerunt, peracto eo colloquio XX Maij anni CIↃ IↃ CXI ipſorum decreto iniunctum eſt paſto-

ribus, *vt alij alios Chriſtiano atque fraterno amore amplecterentur, reſque cunctas ad pacem ac tranquillitatem dirigerent, atque eius rei ergo plebem quantum poſſent maximè de ipſorum procerum propoſito commonefacerent, & in allocutionibus ad populū de hiſce capitibus ita adducte temperateque agerēt quemadmodum pax & emendatio populi exigerent, neque alij aliorum ſe victores aut crederent aut iactarent.* Hic decernendi modus (quanquam calidos obtrectatores habuit) plane convenit, cum eo conſilio quod iam ante à ſuperiore iudicum conſeſſu datum fuerat, ita vt ſi proceres hoc ſuo decreto dicantur aluiſſe diſſidia, idem de illis iudicibus dicendum ſit. Reperiuntur in Hollandia antiqua exempla ſimilium conſtitutionum. Nam anno CIↃ IↃ LXV præfecta Belgicogermaniæ ad aſceteria ita ſcribebat. *Cariſsimi nobis: plane compertum nobis eſt errores qui nunc plebem diſtinent, fluxiſſe ac fluere maximè ex inconſideratis tum aſcetarum tum aliorum allocutionibus ad populum: cui rei vt eatur obviam viſum nobis eſt ne quem poſthac ad docendum populum mittatis, neve quem intra cœtus veſtros docere permittatis, niſi cui adſit iudicium, prudentia, & caſtigati mores, quique in docenda plebe rectè ſit exercitatus: vtque eum qui populum allocuturus eſt, præmoneatis, vt temperet offendere populum*

fabuloſis narrationibus, vt nimium ſæpe iam factitatum eſt: neque verò aut Martini Lutheri meminerit, aut olim damnata dogmata recitet, addita comminatione ſi quis ſecus faxit in eum animadverſum iri interdictione fungendi muneris ac reipſa etiam delinquentibus adimatis ius plebis docendæ. Anno vero CIↃ IↃ XXXIX conſeſſus iudicum Hollandiæ (cui tum & in rempublicam mandata erat inſpectio) ita ſcripſit magiſtratibus. *Cariſsimi nobis. Cum ex diverſo modo populum docendi, & quia ipſi qui docent ſæpè difficilia atque ardua & populi captum effugientia argumenta tractant, nonnunquam etiam de ſuggeſtu alÿ in alios declamant, populus graviter commovetur: nos ei rei occurſum volentes, iubemus atque præcipimus vobis Imperatoris nomine, vt interdicatis paſtoribus omnibus, eorumque vicariis, & aliis qui intra fines veſtros populum compellant, caueant ſibi ne imprudenter in ſuis allocutionibus tractēt obſcura argumenta, aut quibus offendi populus poſſet, aut vnde materiam ſumere poſſet obtrectandi magiſtratibus ſuis alÿſve, ſed vt aſsignatam ſectionem Evangelÿ exponant ſecundum receptas doctorum interpretationes cum ſevera criminum inſectatione: abſtineant etiam alÿ in alios declamare: ſed ſi quid à quibuſdam dictum intellexerint quod à veris dogmatibus exorbitet, aut merito quenquam poſſet offendere eum ſolum*

ea de re conveniant, aut quæſitori, noſtrove conſeſſui indicium faciant, vt conſtituatur quod è re erit. Keckermannus, qui in Syſtemate Politico, regulas congeſſit laudatas à peritis rerũ civilium, inter cætera ſic ait: *In diſſenſionibus de religione non patiatur Princeps certamina publica nimis invaleſcere præſertim pro ſuggeſtu & apud populum, ſed diſputationes de religione ſubtiliores iubeat proponi & diſputari in Academijs & Scholis inter viros doctos & intelligentes ac capaces ſubtilium controverſiarum.* Epiſcopus Elienſis ante, nunc Vintonienſis inter ea quæ ad officium ſummæ poteſtatis pertinent ponit, obviam ire Eccleſiæ ſeceſſionibus. Neque aliò ſpectat conſilium quod Rex Britanniarum anno CIƆ IƆ CX legatis Federatorum voce, anno autem CIƆ IƆ CXIII Hollandiæ proceribus ſcripto dedit: *vt controuerſias publico imperio ſedarent, interdicentes paſtoribus ne eiuſmodi diſputationes ad ſuggeſtum & populum perferrent, cum præcepto pacem colendi & ferendi placidè diſſidentes, ſaltem donec percognita re propius aliquid imperio publico conſtitueretur.* Obiici ſolet conſilium hoc ab his qui inter nos erant præparatum ac poſtulatum fuiſſe. Fac ita eſſe. Tamen certo ſcio etiam ipſius Regis profeſſione, controuerſias ab ipſo diligenter expenſas, & quia eas ad

fundamentum religionis non pertinere compererat, ideo hoc conſilium datum fuiſſe. In præfatione quæ actis Synodi Dordrechtanæ antepoſita eſt, dicor ego compoſuiſſe indicem controverſiarum Regi exhibitum,& Regi ſubrepſiſſe, vt literas impetrarem. Falſum eſt vtrumque. Nam indicem ne videram quidem antequam Regi is fuit traditus, qui & literas ſcripſerat priuſquam ego in Britanniam venirem, ſine vlla mea ad hanc illamve rem opera. Non nego aliquot poſt annis ab eodem Rege diverſum conſilium datum eſſe ſuper indicenda Synodo communi, ſed & hoc certum eſt perſuaſum tunc Regi fuiſſe propoſitum eſſe Hollandiæ proceribus placita quædam tueri à receptis vniverſim dogmatibus aliena. An non etiam ſuſpicio Regi injecta fuerit, in republica aliquid agitatum in ipſius iniuriam (cùm tamen res ita ſe non haberet) nolo nunc anxiè inquirere. Non longè ab hac forma diſcedit interdictum factum à conſeſſu iudicum Geldriæ & edictum procerum Tranſiſalanórum.

Tendebant eodem exhortationes plurimæ quæ Regis Galliæ nomine tum à Maurerio legato perpetuo, tum à Boſſizio extra ordinem miſſo factæ ſunt, & ad

Federatos proceres,& ad proceres Hollandiæ. Item oratio quàm Scyttus legatus Regis Sueonum habuit in Hollandiæ conventu.

Eiuſdem argumenti eſt, eodemque ſpectat decretum ab Hollandiæ proceribus factum atque editum anno CIↃ IↃ CXIV: tantum ad vitandam calumniam quaſi ſine fine omnia dogmata circa has quæſtiones tolerare propoſitum eſſet,ſcopuli quidam vtrinque ſunt indicati quos vitari oporteret. Mens enim Hollandiæ primorum neque erat, neque verò eſſe debebat,tolerare in Eccleſiis ſuis aut dogma quod gratuitam Dei opem abnegaret, aut illud quo Deus conſtitueretur peccandi cauſa, ſed illam docendi rationem quæ ab iſtis præcipitiis ſibi cavens quod in medio reſtaret diſcriminis ſuper capitibus controverſis id charitate velaret. Eum in finem memorato iam decreto hæc docendi ratio ſufficere iudicatur. *A Deo Domino omnipotente ab æterno placito ſuo quod quidem in ſervatore ac ſoſpitatore noſtro Ieſu Chriſto fundatum eſſet, ad perpetuam ſalutem electos eos qui gratuito atque incommerito Dei beneficio & Spiritus ſancti operatione in Dominum Ieſum Chriſtum fiduciam ſuam reponerent, atque in ea fiducia per vim ſimilis incomme-*

riti beneficij ad exitum vſque perſtarent: reiectos vero ad damnationem qui Ieſu Chriſto non confiderent, atque increduli permanerent. Quæ docendi forma illis verbis tradita, non eſt, vt quidam exiſtimant, Remonſtrantium propria, ſed Remonſtrantibus, Contraremonſtrantibuſque inter ſe communis. Fatetur enim pars vtraque qui ſuo tempore Deo confidunt atque in eo perſeverant eoſdem ab æterno electos, incredulos vero rejectos eſſe. Præceptum de cauendis præcipitijs quod attinet, Remonſtrantes nunquam recuſarunt parere parti ad ſe maximè pertinenti, cavendum ſcilicet dogma quod ſecum ferret nativis hominum viribus aut factis æternam ſalutem parari. Sed & Contraremonſtrãtiũ non pauci paratos ſe oſtenderunt vitare de quo ipſi monerentur. Quin & Dordrechti rectores re cum paſtoribus ſuis communicata decreti iſtius formulam receperunt, & eius oppidi quæſitor Hugo Muſius Holitanus pariter mecum apud rectores Amſtelodamenſes eam formulam defendit. Sed pauci homines alios contra hoc decretum concitarunt proferentes res à ratione alienas & inter ſe pugnantes. Nunc enim clamabant Eccleſiam iniuria per eius decreti verba accuſari: nunc vero

prohiberi decreto id doceri quod divinæ paginæ veritas teſtaretur.

Prius illud quod attinet, tantum abeſt vt proceres Eccleſias notare voluerint quaſi culpæ talium prçcipitiorum affines, vt etiam Contraremonſtrantes qui pars tantum Eccleſiæ erant ab ea culpa immunes cenſuerint. Quid ergo attinebat, dicet aliquis, iſta præcipitia indicari? quia ſcriptores nonnulli improvido certãdi calore in vltima quæque abrepti, aut eadem illa aut tantundem valentia defenderant, quod ſi opus ſit, oſtendi poteſt clarius ſole meridiano. Sicut ergo monentur Remonſtrantes vt à Pelagij veneno ſibi caveant, ita Contraremonſtrantes monentur vitare errorem eorum quos Prædeſtinatianos appellabat antiquitas. Neque illud firmius eſt quod in alteram partem dicitur divinæ veritati illo decreto ſilentium imponi. Veritas enim divina etiam Heidelbergenſi Catecheſi teſtata hæc eſt, creatum à Deo hominem vt ipſi ſerviat & cum eo perpetuum vivat: item nolle Deum id quod perverſè fit, neque aliunde quam ab homine eſſe hominis exitium, vt tradit etiam Belgicogermanicæ profeſſionis formula, tum vero quos Deus ad felicitatem æternam invitat eos ab ipſo ſerio invitari, quia

ſcilicet hominis obedientia ac ſalus ipſi placeant, neque vllum ab eo præiudicium factum ſit adverſus hominem ſine culpæ intuitu. Multis locis colloquij Hagienſis demonſtratum eſt hæc omnia à Contra-remonſtrantibus concedi. Quid igitur hîc eſt quod ipſos oneret? Aiunt quidam ita tamen exponi poſſe decreti verba, quaſi ipſorum ſententia illis notetur. Certè in pravum ſenſum detorqueri omnia poſſunt, etiam ſacri codicis effata. Sed qui pacem amant, ad pacem interpretantur omnia. Prava eſt ſubtilitas, ſummarum poteſtatum leges extra mentem ipſarum adverſus ſemet exponere, vt imperia earum detrectandi prætextus quæratur. Alij probant rem decreto contentam, non decernendi modum, quia ea de re conſtitui oportuerit ex ſententia Eccleſiaſtici cœtus. Atqui in Trajectina terra id factum iam erat. Nam res eadem continetur regulis Synodi Trajectinæ quæ & conſenſu paſtorum & procerum imperio ſunt probatæ. Neque tamen id ſuffecit, ſed hoc quoque opus mutatis rectoribus everſum eſt. Tum verò ad hanc obiectionem reſponſum eſt in oratione quæ habita eſt Amſtelodami, requiri conventum Eccleſiaſticum, vel vt ſuppleatur quod juri ſum-

mæ poteſtatis deeſt, vel vt re plene cognita aliquid ſtatuatur. De iure, omnium Proteſtantium perpetua eſt ſententia iuris ſatis eſſe penes ſummam poteſtatem iubendi omnia quæ vero bono & æquo congruunt. Edoceri verò de eo quod faciendum eſſet, poterant proceres non minus ex antiquis quam ex novis Synodis, tam ex Trajectina quam ex Hollandica Synodo, tam ex ipſorum in Hagienſi collatione collocutorum ſcriptis ac verbis, quam aliunde. Antequam editum eſt hoc decretum, opera Iſaaci Caſauboni Règi Britanniarum, & inſignibus Theologis aliquot oſtenſum eſt: reſponſumque in hunc modum. *De edicto Illuſtriſſimorum Ordinum, quod nuper miſiſti, egi accuratè cum Rege Sereniſſimo, cum D. Archiepiſcopo, cum alijs præſtantis doctrinæ Præſulibus. & Rex & omnes qui legerunt, conſilium vehementer & probarunt & laudarunt. Intereſt enim religionis Chriſtianæ, & ad Proteſtantium exiſtimationem vel maxime pertinet curioſis hominibus fibulam imponi, vt deſinant tandem φρονοῦντες παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, pacẽ Eccleſiarum turbare, & ſua illaudabili πολυπραγμοσύνῃ infamiam ἀκαταστασίας & νεωτεροποιΐας, apud veritatis hoſtes Reformationem profitentibus inurere. Summa igitur laude Illuſtriſſimorum Ordinum*

prudentia digna eſt quæ huius ſui Edicti publicatione, & curioſas hominum mentes, Deo cœptis favente, in officio continebit, & ſui Imperij Eccleſiis publicam reddet tranquillitatem. Faxit Dominus Ieſus ille vnicus Eccleſiæ auctor & conſervator, vt quem boni ſperant fructum ex hoc ſaluberrimo conſilio, Illuſtriſſimi Ordines percipiant, & nos pro ſtabilita inter Eccleſias veſtras tranquillitate occaſionem ipſis gratulandi brevi habeamus. Neque vero conſilium duntaxat Rex εὐσεβέςατος, & a'ÿ viri graviſſimi probarunt, ſed & formulam quoque ipſam, iuſſu Ordinum conceptam. Apparet enim id eſſe actum, vt à duobus ſcopulis in hac doctrina æque periculoſis, hinc Manichæorum, inde Pelagianorum populi avertantur, & in ea doctrina confirmentur, quæ ſalutis noſtræ proram & puppim, principium inquam, progreſſum, & πλείωσιν vni Deo adſcribens, contemptum tamen bonorum operum non inducit. XIII Kalendas Iunii CIↃ IↃ CXIV.

Sed vt vndique omnia amoverentur quæ offendere quenquam poterant, ſæpe in conventu Hollandiæ lata eſt conditio, ſi quid in decreto eſſet prauæ interpretationi obnoxium, id ipſum commoda interpretatione ab eo periculo liberandi: tandemque XXI Februarii die anni CIↃ IↃ CXVII pars maior placere ſibi oſtendit,

congruenter ei conſilio quod iam ante protulimus ex recognitione Synodi Tridentinæ, *Vt certo numero diligerentur viri eruditi, placidi, & rerum ſacrarum periti, tum qui in civilibus, tum qui in Eccleſiaſticis muneribus verſarentur, qui primum hortamentis ac ſuaſionibus adhibitis apud paſtores qui colloquio interfuerant, aut quomodo idipſum vtiliſsimè conficeri poſſet, audito etiam ſi opus eſſet aliorum æquorum hominum conſilio de toto negotio propius viderent, certamque regulam conciperent, non tantum vitandis decreti pravis interpretationibus, ſed & vſui eius ordinando in certum modum, quem paſtores vtriuſque ſententiæ in allocutionibus ad populum ſalva animi ſui religione ad pacem & tranquillitatem populi ſequi poſſent, cunctaque dogmata cum Reformatæ Eccleſiæ placitis pugnantia ritè arceri, quæ regula primum exhiberetur Principi Mauritio, & poſt eius ſententiam intellectam referretur ad conventum Hollandiæ, vt re expenſa id ſtatueretur quod ad Dei honorem, ſalutem populi, & proſperum Eccleſiæ ſtatum conduceret.* Prima huius conſilij mentio facta erat ab Enchuſanis: etiam à quibuſdam Amſtelodamenſium, ego cum ſperarem futurum, vt ipſorum oppida ei conſilio acquieſcerent, & nobis auxilio eſſent

ad res placidè componendas, eos qui opera mea vtebantur, alioſque eodem laboravi perducere: rogatuſque ab Oldenbarneveldio, conventus Hollandiæ adſeſſore (Advocatum vocant) ſcripto eam rem complexus ſum. Optima fide profiteri poſſum huic conſilio promovendo datam à me operam, quòd id imprimis vtile iudicarem ſanandis animis qui iam erant exulcerati, & procurandæ quieti quod vnum mihi propoſitum erat in hoc negotio. Si rectè memini oppidis, quæ à nobis diſſenſerant hactenus, conceſſum eouſque eſt, vt cùm numero eſſent perpauca, tamen in facienda ad hanc cauſam delegatione cum oppidis cæteris æquarentur, hac lege, vt à nobilibus ſuprà numerum aliqui delegarentur, eo quòd dicerent nobiles nolle ſe haberi in partibus, vt qui nunquam huic aut illi de controverſiis ſententię acceſſiſſent, ſed tantùm ferendi ſe mutuò auctores vtriſque fuiſſēt. Etiam hoc additum erat, vt delegati rem hanc tractarent communicatis cum Principe Mauritio conſiliis. Negari ſanè non poteſt quin interventio virorum in civilibus imperiis verſantium multum ſæpè contulerit ad componendas Eccleſiæ controverſias: eademque via pridem ini-

ta fuerat à proceribus Hollandiæ in cauſa Harmanni Herberti, Cornelij Vviggeri atque aliorum.

Synodos ſingulare eſſe remedium diſſidiis ſanandis nunquam intelligere potui, gnarus multis olim controverſiis impoſitum finem aut colloquio, aut arbitrio publicarum poteſtatum bonis conſiliis vtentium: quin & noſtro ſæculo à Regibus, Principibùs atque aliis poteſtatibus colloquia inſtituta ad reſarciendam Chriſtianitatis concordiam (quod ſæpè in Germania tentatum inter Romanenſes & Proteſtantes, etiam in Gallia Poſſiaci, ſæpè & à Reformatis oblatum Lutheranis tanquam optimum ad pacem reconciliandam) interim & à poteſtatibus vſurpatam in rebus eiuſmodi vim imperij: neque tantùm in recipienda Reformatione vniverſa ſed poſtea quoque in Palatinatu, in Haſſia, Brandoburgica, Boruſſia, ac ſpeciatim de controverſiis ſuper Prædeſtinatione apud Bernates. Attamen nequid intentatum relinqueretur, vnde ſpes pacis appareret, ne Synodos quidem omnino recuſarũt Hollandię & Vveſtfriſiæ primores: ſed & huic conſilio aptarunt ſeſe (quanquam non exigua impedimẽta

ob animum verſabantur) verum hoc propoſito vt negotium omne ad ferendam ſententiarum diverſitatem, non ad partium alteram damnandam dirigeretur, in quem finem omnia conſilia, lataeque ab ipſis conditiones ſpectabant.

Iam anno CIↃ IↃ CIX antequam ſuper his controverſiis certi aliquid decretum eſſet, poſtquam Gomarus & Arminius hac de re in conventu auditi fuerant, placuerat Hollandiæ & Vveſtfriſiæ proceribus certamen hoc deferri ad Hollandicam Synodum modis legitimis indicendam, atque congregandam. Cauſam cur talis Synodi indictio non proceſſerit, ipſi proceres in decreto diei quartæ Decembris hanc proferunt, quod conventus Eccleſiaſticus tractus Alcmariani deſignatis paſtoribus negotium facere cœperat quæſtione ſuper hiſce capitibus inſtituta, hoc propoſito, vt qui ab ipſis diſcrepare invenirentur eos paſtorali munere arcerent, quod cauſæ toti præiudicabat: quodque hac de re & ob poſtulatam novo more ſubſignationem ſymboli Belgicogermanici, & Catecheſeos à proceribus admoniti, ab hac rerum innovatione (quæ pendente deliberatione ſuper re principali attentari non debuerat) abſiſtere noluiſſent.

luiſſent. Pollicebantur vero proceres decreto eodem indicturos ſe ex Hollandia Eccleſiaſticum cœtum ſimulatque conventus ille tractus Alcmariani paruiſſet, vt moris eſt antequam de re principali quicquam ſtatuatur imperare ea reſtitui quæ ſunt innovata, vt res partium in integro ſit.

Menſe Maio anni ciↄ iↄcx ad conſilia convocandæ Hollandicæ Synodi reditum eſt. Procerum pars major, quo certius ad pacem negotium regeretur per homines ęquos & extra ſtudia poſitos deligi à ſuo conventu optaverant eos qui ad Synodum mittendi eſſent, non ſine exemplo: nam & olim ab ipſo Conſtantino in cauſa Donatiſtarum dilecti erant arbitri: vt & à Bernatibus in hac ipſa Prędeſtinationis controverſia. Sed oppida nonnulla non quod hanc rem per ſe inconſultam ducerent, ſed quod metuerent ne id in offenſam paſtorum pateret, pętierunt Synodo convocandę ad tempus ſuperſederi. In hac deliberatione eam retinentes iuris publici Amſtelodamenſęs fuere, vt cenſerēt ab Eccleſiaſticis conventibus tractus cuiuſque nominandos complures, vnde nonnulli ad Synodum ituri ab oppidis maioribus legerentur, & ab ipſo procerum

conventu acciperent rei agendæ poteſtatem.

Cum de Synodo ſilentium aliquamdiu poſthæc fuiſſet, quia ſpes erat decretum aliquod in ipſo procerum cœtu conſenſione vnanimi inſtitui poſſe quod omnibus placeret (quo pertinuerant tot formulæ ſuper ratione mutuo ſe ferendi partim ante à nobis commemoratæ) memoria recolo, cùm ab Amſtelodamenſibus ſemper Synodum vrgeri animadverterem, cum eius oppidi legatis locutum me, vt intelligerem an propoſitum ipſis eſſet eo laborare in Synodo, vt diſſidentes alij alios tolerarent. Cuius rei facta ſpe cum Pavone magiſtratuum eius oppidi aſſeſſore, Oldẽbarneveldium adij, eique permultas rationes auctor fui vt repetito illo, quod iam aliquandiu quieverat, conſilio rem ad Synodum perduceret: ſed ita vt priùs animi acceptando huic remedio rectè pararentur. Quod cum ipſi videretur non abſonum à temporum ratione, in formula decreti concepta XXI Februarij anni CIↃ IↃ CXVII, cuius meminimus ante, quæque de viris ex ordine ciuili atque Eccleſiaſtico delegandis ad vitanda prava interpretamenta decreti alterius facti anno CIↃ IↃ CXIV agebat, adſcriptum eſt: *ſperari poſt*

quam iſto modo ſuſpiciones amotæ, certamina imminuta, animi mitigati eſſent, & Eccleſiæ conventuſque Eccleſiaſtici tractuum nunc divulſi ad vnitatem rediiſſent, etiam eo negotium perduci poſſe vt cum ſpe bonæ frugis æqua & legitima Synodus convocaretur.

Sed cum conventus Hollandiæ partes concordare ſuper deligendi modo non potuiſſent (inſtigatu maximè eorum paſtorum qui æquitatem ferendi alteros adverſabantur) eodem anno CIↃ IↃ CXVII alia lata eſt conditio de æqua & legitima Synodo indicenda, Hollandica ſcilicet ab ipſis proceribus gubernanda, hac lege vt prius quæ morbo leniendo erant, adhiberentur: quorſum concepta eſt epiſtola quæ à proceribus mittenda eſſet ad tractus cuiuſque conventus Eccleſiaſtici continens pollicitationem Synodi, & paſtoribus iniungens, *vt capita in colloquio Hagienſi tractata, quantum ferrent explicanda ſacri codicis loca, devitarent, & ſi qua ea attingendi neceſsitas incumberet, facerent id prudenter, modeſte, atque temperate, continentes ſe inter loquēdi modos in divinis verbis vſitatos, ac ne in alios ſuper eiſdem capitibus à ſe diſsidētes acerbè aut contumelioſè inveherentur, ſed cives qui reformatæ eſſent religionis ſalutaribus præceptis*

imbuerent hortarenturque, tum ad mutuam charitatem atque amicitiam & vitæ emendationem, tum ad obſequia & reuerentiam legitimis rectoribus debitam, quando præſentia tempora id vel maximè exigerent. Nam ad eam formam ad conciliandas ſententias in epiſtolæ modum mutatum atque mitigatum eſt quod ante conceptum erat vt edicti publicandi pars. Quod attinet fugam controverſiarum quãtum eius fieri poſſet, id congruebat cum conſilio à Zelandis quibuſdam paſtoribus dato, cuius iam ante facta eſt à nobis mentio. Siqua vrgeret neceſſitas, ne alia tamen loquendi genera vſurparẽtur, quam ex ipſo ſacro codice ad verbum depromta, conſilium Zanchij eſt, qui in quarti præcepti divini explicatione ait, quandiu libera Synodus haberi non poteſt, *debere Principem mãdare, vt vtraque pars contenta ſit ſimplici locutione Chriſti: item ne altera pars alteram publicè damnet.* Quod interdictionem convitiandi & alios criminandi attinet, ſæpe ad eam rem prolatum eſt exemplum inſigne Caſimiri qui Palatinatum tentorio nomine rexit, atque inibi diſſidentes de Euchariſtia paſtores prohibuit mutuo ſe inſectari: quod nuper imitati ſunt Bohemiæ proceres, & Elector Brandoburgicus, ita vt in hoc omnipræpa-

ramento nihil eſſet quod iuſte à quoquam obtrectari poſſet. quod vero proponebatur decernēdam primum Synodum Hollādicam, non verò ſimul communem omnium nationum, quod volebant alij, evidens erat eius conſilij ratio. Nam ſimul decreta Synodo communi, ex Hollandica nihil exſpectari poterat, cum hi qui condemnandi libidine tenebantur, certi eſſet per communem Synodum conſequendi quod optabant, cum contra decreta tantum Hollandica Synodo ſpes eſſet auctoritate procerum, qui per legatos ſuos Synodum erant gubernaturi, facilè rem perduci poſſe ad æquam tranſactionem, quæ deinde etiam communis Synodi iudicio potuerat approbari. Memini Lugduni Batavorum colloqui me cum viris eruditionis eximiæ inter Contraremonſtrantes (erat inter illos & Fraxinus qui nunc obijt) atque vnanimem eorum fuiſſe ſententiam à communi Synodo præter condemnationem nihil poſſe exſpectari, ex Hollandica vero componendi negotij ſpem dari aliquam. Iam olim anno CIↃ IↃ LXXXII in Hollandica Synodo tractatum eſt quouſque tolerari poſſent paſtores de Prædeſtinatione diſſidentes: manifeſto argumento in Synodo Hollandiæ ſolius diſceptari

hoc negotium ritè poſſe. In ea epiſtola quam conceptam modò retulimus, id quoque affirmabatur, quod & alibi affirmatum fuerat ſæpius, procerum mentem non eſſe vlterius quam ad quinque capita proferre mutuam tolerationem: ſed liberum Eccleſiis fore cenſura vti adverſus eos qui quicquam proponerent vniverſalibus dogmatibus contrarium: & ſi Eccleſiaſticus cœtus maior quàm ex tractibus ſingulis Hollandiæ coïre ſolet, requireretur, ipſos proceres aut dilectos reipublicæ curatores ei rei proviſuros. Formula edicti eodem tempore concepti prætere vetabat libellos, & ſcripta omnia aut dicta quæ ipſos proceres, Principem Mauritium, magiſtratus aut iura ipſorum læderent. In conſcribendo tam edicto quam epiſtola mea opera vſus fuit: vereque teſtari poſſum arbitratum me idoneam eſſe hanc rationem mitigandis animis atque ita muniendæ viæ ad placidam conventionem. Quid contradictum ſit ab animoſis quibuſdam paſtoribus & rectoribus oppidi Amſtelodami ſit traditum, videndi cuiuis copia eſt quando id publicatum exſtat. Ego æquis omnibus iudicium permitto. Verum iſtis quæ ad præparamenta

Synodi ſuadebantur reiectis ab Amſtelodamenſibus & aliis quibuſdam, tantum adhuc penes Hollandię proceres ſtudium pacis fuit, vt nihilominus de Synodo Hollandica cogitarent, hoc magis ſolliciti de dilectu eorum qui Synodo erant adfuturi, deque huius habendæ modo ac gubernatione, quod illis rebus repudiatis quæ ad leniendum morbum valituræ fuerant, difficilior facta eſſet ad pacem via. Cumque profeſſi ſæpe eſſent Amſtelodamenſes paratos ſe in Synodo omne illud ius proceribus Hollandiæ tribuere quo maxima Chriſtianæ poteſtates vllæ vterentur, propoſitum eſt, vt ſecundum ea quæ à Marſilio Patavino, Evangelicis in Germania atque aliis ſcripta erant ſuper hoc argumento, magiſtratibus locorum injungeretur, adeſſent dilectui mittendorum ad Synodum, operamque darent, vt qui placido eſſent ingenio eo mitterentur: (videat ad hanc rem, cui otium eſt, in recognitione Synodi Tridentinæ quæ leguntur libro tertio capite decimo.) Addebatur, vt ſi eos recuſandi nulla eſſet iuſta ratio, ab ipſo procerum conventu, qui dilecti eſſent, ius poteſtatemque acciperent: alij inſuper viri eruditi atque iſtis negotiis tra-

ctandis idonei ab ipſo conventu procerum adiungerentur cæteris: vtque Synodi regimen ac principatus penes ipſos proceres eſſet, quo turbida & iniqua omnia rectius vitarentur. Obiectum eſt abire hęc à veteri more: ſed reſponſum eſt quæ ante Liceſtrica tempora habitæ ſunt Synodi, non imperio publico procerum, ſed ipſis diſſimulantibus celebratas: neque confirmata Synodorum acta: eam vero quæ ſub Liceſtrio habita eſſet, communem Synodum proceribus extortam, qui & poſt habitam Synodum oſtendiſſent eam ſibi diſplicere. Sed enim præterquam quod oppida à cætero conventu diſſentientia, de modo Synodi habendę movebant controverſiam, etiam in eo perſtabant non decernendam Synodum Hollandicam, niſi communis nationum Synodus ſimul decerneretur, quæ via certo ducebat ad partis alterius condemnationem, cui vni maximoque periculo, ſi qua ratione occurſum fuiſſet, nobiles atque oppidorum pars maior quantum poterant de modo habendæ Synodi cæteris conceſſiſſent, vt non ſemel teſtatum fecerunt.

Neque hac ſtetit procerum benigna æquitas: ſed fine anni ci) i) cxv propoſitum eſt, *vt decerneretur Hollandiæ & Veſt-*

friſiæ Synodus in qua pio animo ad ſenſum divini codicis expenderentur, atque explorarentur quinque controverſa capita, operaque daretur conſtituendæ Chriſtianæ paci illæſa veritate ſalvaque vnitate cum his qui eiuſdem Reformatæ religionis participes eſſent: ſimulque ab Hollandiæ & Vveſtfriſiæ proceribus per literas edocerentur vicinarum nationum proceres quo loco ac tempore, & quorſum Hollandica illa Synodus celebranda eſſet, & quo in ea Synodo cuncta cum conſilio atque conſenſione paſtorum ex vicinis nationibus tranſigi poſſent, rogarentur dicti proceres pios, eruditos, & pacis cupidos è ſuis paſtores ſuorum Eccleſiaſticorum conventuum bona cum gratia ad Synodum mittere, qui ad pacem conſtituendam, opem, conſilia, ſententiamque contribuerent.

Sine vllo certè periculo tentari hæc via poterat, præſertim cum conſtaret ſæpe antehac vſitatum, vt ad vnius nationis Synodum vicini auxilio vocarentur. Mihi vero & hoc liquebat, hunc agēdi modum apud nationes nonnullas, tum civilis, tum Eccleſiaſtici ordinis præcipuis gratiſſimum fore. Sed calor paſtorum qui per impenſos ad eam rem labores Synodum communem, & quod per eam Synodum ſperabant certo ſibi pollicebantur (quod ipſum in litteris jactabant quæ in lucem pro-

dierunt) tantillum æquitatis à ſe imperari paſſus non eſt. Ego verò cum vehementer perhorreſcerem mala quæ rigor oppidorum quorundam apud nos, obfirmantibus iam cum maximè eorum animum legatis ſociarum nationum, minabatur, animo revolvens quicquid ad ſedamen pertineret,& repetens memoria ex literis Caſauboni intellexiſſe me non diſpliciturum Regi Britanniarum vniverſalem è Reformatis conventum Eccleſiaſticum indici, vbi & de reconciliandis Lutheranis ageretur, (quorſum ſpectabant Paræi Irenicum, conſilium Molinæi, Pleſſæi atque aliorum pridem labor, & eiuſdem argumenti liber à Polonicis Eccleſiis editus anno CIↃ IↃ CX) perſuadere mihi non potui externas Eccleſias benè edoctas de natura controverſiarum, deque impenſa ad pacem cõſtituendam opera, rigidius quicquã definituras quam olim Pelagij tẽporibus & ſtatim poſt illa definitum fuerat(quod ipſum me iudice contendentibus apud nos partibus ſufficere poterat, atque debebat) ac propterea ſuaſi in conventu, vt primum per Hollandicam Synodum paci ſtuderetur; quæ ſi contra quam ſperandum videbatur nõ eveniſſet, vt definitio vniverſali Synodo ſervaretur, quippe multo vtilius ſic fa-

cienda, quod rationibus & exemplis demonſtrabatur: Interim vero poſt Hollandicam convocaretur communis Synodus è Federatis nationibus non vt ibi definiretur quicquã (apparebat enim non niſi iniquum iudicium fore) ſed vt per colloquia res ad vniverſalem Synodum prępararetur. Iam ante huius conſilii mentio aliqua facta fuerat in edicto quod Hollandiæ proceres evulgaverant menſe Auguſto anni CIƆ IƆ CXVII vbi cum actum eſſet de Synodo Hollandica convocanda ad inveniendas pacis rationes additum fuit: *Si poſt eam Synodum deprehenderentur capita quædam deciſionis agere id negotium per Synodũ communem è Federatis nationibus ad vniverſalẽ deferretur, quæ non tãtum de veritate, ſed & de neceſſitate eorũ capitum ex verbo Dei cognoſceret: atque Hollandiæ proceres paratos eſſe eo conferre quicquid ſuæ eſſet opis.* Hoc conſiliũ congruẽs cum iis quæ ipſi Contraremonſtrantes in colloquio Hagięſi dixerãt, ſalubre eſſe, ipſa etiam alterius ſententiæ oppida fatebãtur: ſed rem aiebant in longum duci: cum tamẽ intra idem tempus nec maioribus impenſis vniverſalis Synodus potuerit convocari intra quod tot legati ex tam diſſitis terris petiti sũt. Id tantũ intererat, quod ad vniverſalem Synodum qui vẽturi fuerant

mandata attuliſſent ab Eccleſiis & earum nomine dixiſſent ſententiam. Sed qui hoc conſilium defugerunt, conſiderabant id ſi fieret, primùm Eccleſiis patefacienda fuiſſe quæ acta erant ad id tempus, vnde credibile erat ſecutura ad pacem conciliandam mandata, deinde in Synodo quæ vniverſalis titulum prætuliſſet Synodum è federatis nationibus conſtantem, vt partem vnam illius corporis facilè aliorum ſententiis ſuperari potuiſſe, cum nunc Synodus è Federatis nationibus compoſita externis duntaxat adſidentibus totius cœtus pars eſſet maxima; quin etiam, prout res ferret, externorum ſententiæ aut cœteris accenſeri poſſent pari iure definiendi, aut duntaxat æſtimari in vicem conſilij dati ita vt planè, certus eſſet qui deſtinabatur eventus, condemnatio ſcilicet Remonſtrantium, & ſub ea latens reipublicæ mutatio.

Anno CIƆ IƆ CXVIII cùm diligenter apud animum expendiſſem quæ difficultates conſenſum vtrinque morarentur, quæſitis anxiè rebus omnibus quę ad conciliandas procerum ſententias facere videbantur, per viros graves partim in publicis dignitatibus conſtitutos, partim paſtores partis Contraremonſtrantium Principi

Mauritio & Comiti Vvilhelmo copiam feci conſilij quod apud me excogitaveram: quod & perſcriptum poſtea quo intelligeretur rectius vt Principi traderetur, effeci, id autem ſic habet.

Ad præcidendas contentiones vlteriores teſtabuntur proceres Hollandiæ nolle ſe extra controverſias quinque capitibus comprehenſas alias vllas moveri niſi in conventu omnium Reformatarum Eccleſiarum: ſed cupere ſe vt paſtores omnes in cæteris doceant convenienter iis quæ per Reformatas Eccleſias hactenus credita ac tradita fuere, atque apud nos conſignata ſymbolo Belgicogermanico, & Catecheſi Heidelbergenſi. Contra ſi quis fecit, faxitve in eum agatur cenſuris Eccleſiaſticis, etiam publici imperij poteſtate ſi res exigat: rogabunturq; proceres aliarum nationum vt idem de ſe teſtentur: ac proinde pro hoc tempore ſuperſedebitur recognitioni eius ſymboli atque Catecheſeos.

Quamprimùm ſub ductu procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ habebitur Synodus nationis einſdem, cui adſidebunt interpretes ſacrarum literarum qui ſunt in Academia Lugdunenſi & bini rerum ſacrarum magiſtri ex quaque nationum vicinarum.

Poterunt paſtores etiam qui à tractus ſui conventibus Eccleſiaſticis delecti non erunt accedere ad Synodum, & quæ videbuntur aperire ac rationibus firmare.

Inibi amica inſtitutione ex ſcriptis divinis dabitur opera, vt perveniri queat ad conſenſum ſuper quæſtionibus quinque capitum.

Id ſi non ſuccedat, ex divina regula inquiretur quid inſit illis quæſtionibus ad fundamenta religionis pertinens, quid non, & in iis quæ ad fundamenta non pertinere deprehendentur, quæ ratio ferendi ſe invicem, aut alioqui tranſigendi negotium cum bono Eccleſiarum iniri ſervarique poſsit.

Conſilia aut conſentientia, aut ſeorſim partis vtriuſque, perferentur ad communem Synodum è nationibus Federatis.

Ei fini communis illa Synodus concordibus nationum ſententijs decernetur, confecta prius teſtatione nihil imminutum iri hoc facto ſummum cuiuſque nationis ius in res Eccleſiaſticas.

Ex nationibus ſingulis aliqui delegabuntur, qui modum habendæ Synodi perſcribant, quique videant de numero eorum qui ex quaque natione iuxta proportionis modum ad Synodum regendam conſtituendi ſunt, de adſciſcendis ad opem ferendam exteris, deque aliis negotiis ad Synodi conformationem pertinentibus.

In ea communi Federatorum Synodo dabitur opera per amicam ex verbis divinis inſtitutionem vt ad conſenſum perveniatur ſuper iis quæſtionibus quæ in conventibus Eccleſiaſticis nationis cuiuſque controverſæ manſerint.

Quod ſi id nequeat obtineri, tum legentur, & ad divinam regulam expendentur meditationes traditæ in Synodo nationis cuiuſque de iis quæ in quinque capitibus ad fundamenta pietatis aut pertinere, aut non pertinere iudicata fuerint, cùm conſiliis de modo ferendi ſe mutuo, aut aliter negotium tranſigendi, vt ſi fieri poſſet de communi ſententia concorditer aliquid ſtatuatur: Cæterùm ne citra communem conſenſum Synodo iſti liceat definire quicquam, aut pro parte altera inve partem alteram pronuntiare de quæſtionibus quinque capitum.

Si verò in eo cœtu res ad conſenſum vnanimem perduci nequeat, tum inſumatur opera ad convocandam Synodum generalem Reformatarum Eccleſiarum, vbi omnia peragantur quæ ad ſervandam inter eas Eccleſias in dogmatibus vnitatem neceſſaria atque vtilia cenſebuntur: atque etiam ex divina lege pronuntietur quænam quæſtiones quinque capitibus involutæ habendæ ſint ad fundamenta pietatis pertinere: & ſuper his quæ eo pertinere non iudicabuntur, quæ tranſigendi via bono Eccleſiarum iniri ſervarique poſſit.

Atque vt interim animi ad pacem & quietem rectius parentur, edictum ſtatim publicabitur, ſevereque obſervabitur adverſus ſeditioſos & famoſos libellos atque ſermones etiam adverſus ſcripta has controverſias tractantia.

Interim quoque res Eccleſiæ maneant quo ſunt ſtatu.

Serio monebuntur paſtores ne alter alterum probris proſcindant, aut condemnent, aut odioſis conſequentijs traducant, deque hiſce controverſijs, ſi loca divinæ paginæ id omnino exegerint, loquantur non alio modo quam loquuntur ipſi libri divini, aut certe ſymbola Reformatarum Eccleſiarum.

Vbi dogmata Eccleſiarum per conventum è nationibus aut generalem, aut alio quovis modo ad concordiam perducta erunt, conſultabitur de adijciendo ad Fedus Trajectinum pacto de religione.

Quo facto auditis conſilijs eruditorum civilis atque Eccleſiaſtici ordinis ex communi nationum conſenſu ſub nomine procerum Federatorum concipietur, ac publicabitur communis lex ſuper negotijs Eccleſiaſticis, vt tollantur diſsidia quæ de regimine Eccleſiarum ſuborta ſunt.

Sed Princeps Mauritius, & Comes Vvilhelmus ab alijs, quibus nihil minus quam pax erat propoſitum, vt ſatis apparuit, averſi ſunt à conſilijs eiuſmodi : ita vt nationum legati pergere voluerint in cœpta convocatione Synodi communis ad definitionem faciendam ſpreta interceſſione Hollandiæ atque aliarum nationum. Quo tempore proceres Hollandiæ magno numore

mero accedentes ad conventum Federatorum vt eos ad æquiora perducerent, voce Oldenbarneveldij dixerunt: *Quantum ſibi conſtaret in dogmatibus non aliam eſſe controverſiam quam de Prædeſtinatione & quæ ei cohærent quinque notis capitibus comprehenſa: quando ſemper ipſi voluiſſent atque edixiſſent, nunc etiam vellent atque edixiſſent, vt in cæteris omnibus paſtores plebem Chriſtianam inſtituerent congruenter ſacris literis & ei formæ quæ hactenus in his terris recepta eſſet, ſummatimque comprehenderetur Symbolo Belgicogermanico & Heidelbergenſi Catecheſi, tanquam concordiæ teſſeris quas par eſſet iuxta divini codicis normam intelligi: atque vt qui contra facerent Eccleſiaſticæ cenſuræ, & ſi opus eſſet publicæ animadverſioni eſſent obnoxij. Præterea verò paratos ſe ſuo ductu convocare ac celebrari facere Synodum Hollandicam & Vveſtfriſicam intra menſes tres proximos, & ad eam ſuis impenſis rogare nationès vicinas, vt ex iis qui apud ipſas eſſent paſtoribus, pios eruditos & pacis cupidos allegarent qui Synodo adeſſent, conſilium darent, etiam ſententiam dicerent pari cum cæteris iure. Quod ſi intra menſem aut ſeſquimeſtre tempus poſt inchoatum negotium res ad expectatam pacem, tranſactionem Chriſtianam, aut mutuo ſe ferendi rationem, ſaltem per interdicti modum perduci nequeat,*

tum commodum intra tempus ex Germania, Gallia, Britannia, & Helvetiis qua fieri optimè poſſet ratione ac modo evocarentur viri pij pacis amantes & rerum ſacrarum ſcientes, vt eorum ope atque conſilio inſtauraretur negotium, atque opera daretur conſtituendæ vnitatis per modum ferendi ſe mutuo aut etiam tranſactionem: quod ſi id contra quam ſperaretur intra menſes duos poſt inchoatum negotium nequiret ad exitum perduci, ab illis tum conſilium peteretur an Reformatæ Chriſtianitati expediret controverſa illa definiri, & quomodo ritè atque vtiliter perveniri eo poſſit. Simul rogabantur nationum legati: *æqui conſulerent hæc quæ proponebantur, vt ex conventu Eccleſiaſtico ſalutares fructus exſpectari poſſent.*

Sed ne hæc quidem placandis animis ſufficere videbantur, adeo penitus illud ſederat nihil remittere de ſummo rigore. Itaque hæc menſe Iulio cum eveniſſent, menſe Auguſto nos capimur. Ego in cuſtodia conſtitutus, quamdiu conceſſus mihi eſt vſus calami & chartæ, patriæ caritate vetus inſtitutum meum perſequens, tempus animumque impendi inveniendis rationibus quibus Eccleſiaſticæ controuerſię componerentur, quorſum pertinuit libellus quem Latino ſermone ſcripſi, & ad Principis manus veniſſe arbitror. Eidem Principi per miniſtros domeſticos

oſtendi manere me in ea ſententia: *Omnibus æquis modis id agendum ne cogerentur Remonſtrantes ſeorſim Eccleſiam facere.* Atque ideo aiebam molliter habēdos qui in controverſis capitibus de Prædeſtinatione & rebus annexis conſenſum ſuum alijs accommodare non poſſent, commemorans ſimul quæ olim cum Hermanno Herberti, cum Tacone Sibrandi, cum Clemente Martini placide erant acta, atque addens ſi quid conſtitueretur ſeverius, id ſpem concordiæ cum Lutheranis præciſurum magno malo federis Germanorum Proteſtantium. Sed quantū ab hoc animo meo, & eorum qui meo tempore Hollandiæ & eius oppidis præfuere, diverſus fuerit aliorum animus qui, clam præſtructo pridem negotio, nobis captis palam rempublicam occuparunt, ſatis aperuit magiſtra rerum plurimarum dies.

Ex tot latis conditionibus ad inveniendam pacem ſatis intelligi poteſt quantum à vero abſit, quod priſtinis rectoribus exprobrari ſolet, propoſitum ſcilicet fuiſſe ipſis paſtores Contraremonſtrantium ſententiæ opprimere & ob eam ſententiam deijcere paſtorali munere. Contrarium manifeſtè teſtantur omnia decreta, quibus monentur pars vtraque fraternitatem co-

lere & factis teſtari : atque ita quidem vt nemini (verba ſunt decreti facti xv Novembris anni CIↃ IↃ CXI) quinque capitum ſententia nolenti obtrudatur : nec quiſquam huius aut illius opinionis ergo (verba ſunt decreti facti XXVIII die Aprilis anni CIↃ IↃ CXI)calumniam malumve patiatur. Edictum vulgatum ab Holladiæ Proceribus Auguſto menſe anni CIↃ IↃ CXVII diſertè dicit neutiquam procerum mentem fuiſſe ſententiam ſublimiorem ab Eccleſijs excludere. Iam ante anno CIↃ IↃ CXVI vna cum cæteris Amſtelodamum legatis nomine eorundem procerum atque eorum mandatu dixeram : *velle eos qui huius aut alterius eſſent ſententiæ arcere à munere paſtorali, neque Chriſtianum eſſe, neque exitum reperire. Chriſtianum non eſſe quia Ieſu Chriſti inſtitutio plus æquitatis requirit, quam vt collatæ cuiquam dotes ingenij ſterilitati damnandæ ſint, tantum ob diverſitatem opinandi in rebus tam arduis & captum multorum fugientibus. Sed neque exitum reperire, quia major eſſet tum paſtorum tum aliorum ita ſentientium numerus quam vt fieri id poſſit ſine reipublicæ incendio.* In Apologetico octo oppidorum dictum eſt : *Omnibus civibus atque incolis ſine diſcrimine ſuæ de ſacris ſententiæ ſecuritatem deberi & vitæ & in ſentiendo libertatis contra vim om-*

nem externam internamque, nec libertatem animorum ad ſola publicè recepta dogmata aſtringi. Scio contra adferri exempla eorum qui paſtorali munere moti aut oppidis ejecti ſint: ſed nunquam id factum eſt aut ob opinionem ſolam aut etiam ob eius prolationem. Imo vero manifeſtum eſt in omnibus Hollandiæ oppidis, etiam Rotterodami, Colonij tempore dogma Contraremonſtrantium publicè fuiſſe permiſſum atque defenſum. Sed quod eius factum eſt plane idem eſt ei quod in Palatinatu, Paræus iure ac merito Lutheranis quibuſdam accidiſſe memorat, & quidem eo in libro in quo Lutheranos ad pacem invitat. *Ad concionatores quod attinet*, ait, *turbulenti quidam ſtentores annis abhinc* XXV *in Palatinatu Electorali dimiſsi fuerunt quod mandato Principis pio & æquiſsimo de non calumniando, ſed de Evangelio ad ædificationem prædicando, ſine acerbitate deque controverſijs modeſte & abſque virulentia ad populum tractandis obtemperare recuſarent.* Nihil tale Simoni Goulartio obijci poterat, cum Gallicanæ Eccleſiæ paſtoratu moveretur non alio obtentu quam quod contradixiſſet placito dicentiũ quoſdam Chriſtianorum liberos intra infantiæ tempora morientes ad ęterna ſupplicia reiectos eſſe: cum tamen para-

tum ſemper ſe oſtéderet cũ collegis pacem colere,quin & illud rogaret,ſi quid ipſi excidiſſet durius benigne ignoſceretur:offerens etiam non aliter ſe docturum quam docuiſſet Melanchthon. Verum & hoc eſt,quibuſdam in oppidis interdictos conventus ſegreges. Sed maius eſt quod factum olim eſt à Bernæ magiſtratibus cum cives quidam ob prædeſtinationis controverſiam Genevam irent ad Euchariſtiæ communionem:quod illi ſub magnis pœnis vetuerunt, laudati eam ob rem à Beza. At illud vel maximè notandum eſt adjectum ſemper à noſtris magiſtratibus,paratos ſe ad publicum docendi ius admittere paſtores ſententiæ alterius qui cum Remonſtrantibus fraternitatem colere vellent,quod Roterodami & Brilæ etiam publicatum eſt. Regerent fortè nonnulli libertati animorum hac re non factum ſatis, quod ſcilicet ipſis dictet animus fas non eſſe cũ Remonſtrãtibus hanc inire ſocietatem.Sed in promptu reſponſio eſt , haud facilè credi id poſſe de ijs qui Lutheranis eandem ſententiam tuentibus pacem fraternam ſemper obtulerũt. adde quod verba,ſcripta,facta illorum ſatis monſtrabant aliquid in republica illos movere. Sed fac ſola animi religione actos , poterat ea ex-

pleri alijs in locis. nam loco religionem non offendi apertiſſimum eſt. Qui Schonhoviæ erant, iis liberum erat ſacrorum cauſa convenire in ipſo pomœrio. Roterodamenſes & qui agrum Scianum colunt in Delphorumportu, vico Tranſciano, & Scidami, poſtea & Rotterodami. Sed enim ad res novas eos ſpectaſſe qui cœtus hos ſegreges ſectabãtur, vel inde apparet quod qui domi ſacrorum vſum habebant ex voto, vt Lugduni & Scidami, magnis catervis ad vicos agri Rhenani & Sciani veniebant, vt eiuſmodi cœtibus intereſſent. Tum verò oppidorum rectores qui intra fines ſuos ſeceſſionem talem probare non poterant, ſemper dixerunt etiam illis qui ſeceſſerant paratos ſe prę̧ſtare indulgentiã, dummodo aliquid in cõmune & vtrique parti æquum cõſtitueretur: quanquã ſimul profitebantur nihil futurũ ſibi gratius quã vt vtriuſque opinionis cives in eadẽ manerent ſacrorum cõmunitate. At qua fronte audẽt obloqui huic curæ inſumptæ ad ſervandam pacẽ ferendo ſe invicem, cui Remonſtrantes ſemper ſe aptaverãt, quorum facto Remõſtrantes, qui vt tolerarentur cũ id vellent, vnicè non obtinuerunt, adverſariorũ iudiciis ejecti ex Eccleſia, privatos quoque extra tẽpla cœtus, quib⁹ religioni

animi ſui ſatisfaciant, nullo in loco Federatorum imperij habere permittuntur: ſed paſtores perpetuis addicuntur carceribus, interdicto vxorum quoque & liberûm conſpectu, cæteri vero vexantur acerbè ſæpe etiam non citra ſanguinem, idque eo in ſolo, vbi arma tam ab illis ipſis qui nunc tam duriter habentur, quam ab alijs ſumpta ſunt prolegibus & religionis libertate: ſub qua ex ſenſu & more Chriſtianorum omnium etiam ſacrorum vſus comprehenditur?

CAPVT VII.

De vſu legis Eccleſiaſticæ anni CIↃ IↃ XCI.

INter controverſias de religione, etiam alia exorta eſt de gubernatione Eccleſię, & nominatim de collatione Eccleſiaſticorum munerum. Huius contentionis culpam ſunt qui magiſtratibus aſſignent, quaſi qui occaſionem diſputationum de dogmatibus arripuerint ad intendendam vim potentiæ ſuæ: alij vero illos de Eccleſiaſtico ordine accuſant, qui poſtquam

obtentu ſtudij pro vero , ac repudiata ferendi ſe mutuo æquitate magiſtratuum concordiam ruperant, & reverentiam in eos exuerant, ius Eccleſię, quod vocant, ad excludendos ab ea cura Magiſtratus multo quam ante confidentius & aſſerere cæperunt,& in rem conferre. Nunc quid eius apud nos verum ſit,videamus.

Paſtores cum de hoc argumento agitur, provocare ſolent ad legem divinam: vnde inferũt ius electionis ad Eccleſiaſtica munera deberi Eccleſiaſticis hominibus , id eſt ſibi & ſenioribus quos plerunque ſibi addictos habent. Sed præter quod Seniorum illud genus in multis reformatis Eccleſijs vſitatum divinæ legi ignotum eſt (quanquam non eo volo evincere ratione ſua caruiſſe hanc inſtitutionem,præſertim ſi prima Reformationis tempora inſpiciãtur) etiam præceptum nullum (vt à viris ſacrorum peritis commonſtratum eſt) reperitur, vnde appareat penes quem talis electio eſſe debeat neceſſario atque incõmutabili iure. Nam exempla aut conſuetudines omnes in legem vertere iniquum ſit,præſertim cum appareat in primæ ætatis Eccleſia, munera quædam fuiſſe (puta Diaconiſſarum) etiam mores qui nunc vix vſquam obſervantur : ita vt regula vnica

huius rei eſſe videatur, facienda omnia ritè atque ordine, & vt maximè expedit pro temporum ac locorum ratione. Proinde ſentiunt veteres viventibus Apoſtolis plerunque collata munera Eccleſiaſtica indicio Spiritus ſancti. Abſentibus illis aut mortuis videtur electio facta plerunque popularibus ſuffragijs, quomodo & civilia munera per Aſiæ ac Græciæ civitates mandabantur. Sed hoc in deſuetudinem multis poſtea in locis abiit, ac poſtremo interdictum eſt à Synodo Laodicena quæ vniverſalis Synodi iudicio cõprobata eſt. Igitur antequã poteſtates Chriſtianiſmum ſunt profeſſæ plerunque Epiſcopi Preſbyteros delegerunt, ſed ita vt eorum nomina proponerent, hortantes populum vt ſiquis quid haberet criminis probaret manifeſtis rebus, vt Lampridius in vita Alexandri Severi loquitur, cuius moris aperta apud Cyprianum indicia ſunt. Circa electionem ad Epiſcopi dignitatem itidem diſcrepavit conſuetudo. Nam quibuſdam in locis electio facta eſt à Preſbyteris & Diaconis (Diaconos intellige qui Eccleſiæ miniſterio in omnem vitam ſe addixerant) alibi ab eiſdem ſed conſcia plebe, aut de plebe præcipuis: quod ſi qua incideret controverſia fermè Epiſcopus vrbis matricis quẽ

metropolitam vocant certamen dirimebat. Bulingerus libro ſecundo de Epiſcoporum ordinatione atque inſtitutione ſic loquitur: *Vtrum totius Eccleſiæ comitijs, an paucorum ſuffragijs Epiſcopum deſignari melius ſit, nulla poteſt certa præſcribi omnibus Eccleſijs conſtitutio. Sunt enim alijs regionibus alia iura, alij ritus & inſtituta. Si qui abutuntur per tyrannidem, cogantur in ordinem à ſancto magiſtratu, vel transferatur ab eis ius deſignandi miniſtros. ſatius enim eſt eligendi munere ſeniores aliquot ex Regis, vel magiſtratus iuſſu defungi, advocatis conſultiſque illis qui norunt qualis ſit functio Epiſcopi, quæ eius populi aut Eccleſiæ ratio, cui aliquis præficiendus eſt, qui item poſſunt de ingenijs, eruditione, & moribus cuiuſque iudicare.* Bucerus amplius ait, *formam electionis à pijs principibus præſcriptam.* Qui hiſtorias temporum eorũ ex quo Imperatores ac Reges Chriſto nomen dederunt cognitas habẽt, non ignorant ſępe à Principibus ſuper hoc negotio non modo leges conſtitutas ex Synodorum cõſilio, aut etiam citra Synodos: ſed & ab ipſis factas ſæpe electiones, ita tamen vt explorandi electos atque probandi ius (quod manuũ impoſitione ſignificatur) penes inſpectores eſſet Eccleſiæ & libertas obijciẽdi crimina, ſiqua ad impugnãdã electionẽ valerẽt penes populũ. nã electiones

quæ eam libertatem non relinquunt, merito ſunt antiquitus improbatæ. Ita Theodoſius Nectarium elegit ad pontificium Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ. Multaque alia exempla in eam rem tum ab alijs, tum à nobis quoque antehac ſunt prolata. Nam in Occidentis partibus, puta Italia, Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania, Hungaria tam ante quam poſt Caroli Magni tempora, tam ſæpe id factitatum eſt, vt plena ſint eius rei acta publica & annales. Ipſi Antiſtites apud Reges precibus monitiſque contendunt eo iure vt rectè vtantur. Pugnare hunc morem cum lege divina Epiſcopi illorum temporum non crediderunt: neque magis Marſilius Patavinus cum ita loquitur: *Non eſt lege divina prohibitus legiſlator aut Princeps ab officiorũ Eccleſiaſticorum inſtitutione, collatione, ſeu diſtributione.* Interdum quoque Imperatores ac Reges ſatis habuerunt alijs permittere electionem, ita vt eius aut confirmandæ aut reſcindendæ ius ſibi retinerent. Notant annalium conditores ab Imperatoribus amiſſam partem imperij alteram poſtquam eo iure exciderunt. Thomas Bilſonus Vintonienſis Epiſcopus in libro quem de gubernatione Eccleſiæ ſcripſit, diſertè ait: *Nullam eligendi formam divino iure præſcriptam: quumque*

Principes populi ſui ſint capita, & divino atque humano iure omnis externæ & publicæ adminiſtrationis curam tam in ſacris quam in civilibus cauſis creditam ſibi habeant, has rationes neceſſario evincere electiones eorum fidei committi debere, ſaltem ſi onus illud in ſe ſuſcipere voluerint. Eiuſdem hæc ſunt verba: *Luce clarius apparet alios etiam Principes præter Romanos Imperatores à prima Chriſtianæ fidei profeſſione non ſolum ſummam poteſtatem in electionibus Epiſcoporum habuiſſe: ſed quos dignos eo honore iudicarunt non exſpectatis populi aut cleri ſuffragijs propria auctoritate conſtituiſſe.* Apparent & paſſim exempla Archimandritarum, paſtorum, Diaconorum quos Principes, poteſtateſque alię conſtituerint: quæ non ideo adferimus, vt mos ille vbi receptus non eſt, introducatur, ſed vt pateat ſemper ita fuiſſe iudicatum, liberum eſſe hac in re cuique genti arbitrium. Muſculi effatum eſt: *Paſtorem Chriſtianum de vocatione ſua ſollicitum eſſe non debere, neque ambigere quin Chriſtiana ac legitima ſua ſit vocatio, vbi ad Evangelium prædicandum à pio Magiſtratu aut Principe vocatus eſt.* In Palatinatu curę paſtorales conferuntur arbitrio Senatus, qui mandato & nomine Electoris Eccleſiis præſidet. In ditione Baſileenſi Eccleſiarum extra vrbem in paſtore eli-

gendo poteſtas nulla. quem magiſtratus vrbis ad paſcendum illas mittit etiamſi docentem nunquam audierint, reverenter accipiunt.

In patria noſtra Vvilhelmo Principi Arauſionenſium id videtur fuiſſe propoſitum, vt paſtorum electiones omnino ad magiſtratus pertinerent, vt videre eſt in formula quadam legis ipſius iuſſu concepta & rationibus atque exemplis defenſa. Eandem fuiſſe procerum ſententiam docent nos mandata quæ ab ipſis ei quem diximus Principi ſuper præfecturæ ſuæ adminiſtratione data fuerunt anno CIϽ IϽ LXXXV in quibus hoc eſt caput: *Ne ullis in oppidis, locisve inſtituantur collegia aut conſiſtoria niſi de conſilio nominatione, atque inſtitutione aut conventus procerum aut Magiſtratuum.* Longè alia mens non paucis eorum, qui in Eccleſiaſticis muneribus verſabãtur. hi enim id ſemper egerunt vt ius hoc omne ad ſe pertraherent: quod conſpicere eſt tum in Synodis aliis, tum in illa communi nationum Synodo quæ Hagæ celebrata eſt anno CIϽ IϽ LXXXVI temporibus Liceſtricis, vbi totũ hoc negotium Eccleſiaſticis hominibus permittitur, nulla re magiſtratibus relicta, niſi hoc ſolo, poſſe ab ipſis exquiri numquam iuſtam haberent cau-

ſam contradicendi quæ electi vitam converſationemque ſpectaret. Quod quidem nihil amplius magiſtratibus concedere eſt quam minimo de plebe Quiriti debetur. Nam ei quoque liberum eſt adferre quod in electi vita culpandum exiſtimat, quorſum ſpectat electorum prædicatio. Huic Synodico decreto proceres Hollãdiæ decretum contrarium ſuo in conventu fecerũt anno eodem: *Tum ſibi, tum nobilibus, atque oppidorum rectoribus ſalvum fore ius ac morem eligendi, deſtituendique paſtores, hac tamen cautione ne qui paſtores reciperentur niſi qui poſt diligentem explorationem vitæ ac dogmatum inculpati in vtroque reperirentur.* Eo verò iuſtius fuit hoc decretum, quòd ante belli tempora Comites Hollandiæ, quorum ad ipſos ius devenerat, eo iure vſi fuerant vt Epiſcopos nominarent, quemadmodum à cõſeſſu iudicum Hollandiæ annotatũ eſt inter animadverſa ad Conciliũ Tridentinũ, ſicut & rectores oppidorũ locorumque aliorum vſi fuerant iure legendi paſtores. Sed nec Zelãdiæ proceribus placuit illud Synodi Hagiẽſis decretũ. nam ipſi pro ſua poteſtate anno CIↃ IↃ XCI Synodũ peculiarẽ indixerũt, in qua conſtitutũ eſt, vt magiſtratus rogarẽtur quoſdã ſui ordinis qui in Eccleſiæ publicæ cõmunione eſsẽt legare

qui ſimul cum preſbyterio conſultarent de eligendo paſtore.

Ad Hollandiam vt redeamus ibi, nedum hinc proceres & magiſtratus, inde Eccleſiaſtici ſerram reciprocarent (quamquam non obſcurum eſt ęquis hominibus vtrius potius officiū ſit concedere ne in negotiis quas lex divina nón definit) omnia conturbarentur, tantum de iure ſuo deceſſerunt proceres anno CIↃ IↃ XCI, vt delegatis ex publico & ſacro ordine viris primariis de gubernatione Eccleſiæ leges iuſſerint concipi, quæ leges ius electionis ita partiuntur; vt de magiſtratuum numero quatuor; de Eccleſia (id eſt de preſbyterio in oppidis, de conventu vicinali per agros) totidem electionem peragerent eamque factam offerrent magiſtratibus vt probaretur: quod ſi illi eam probare defugerent, nova inſtitueretur electio: qui agendi modus idem ferme eſt cum eo quē præſcribunt Romana iura quæ apud nos quoque auctoritatem habent quoties loci certa conſuetudo non exſtat. Iuſtinianus enim novellis quas vocant conſtitutionibus ius eligendi defert tum Eccleſiaſticis, tum primoribus vrbium. Concepta eo tempore formula vtrique conceſſui iudicum per Hollandiam probata eſt:

ſed

ſed quominus perrogaretur oppida quædam interceſſerunt exiſtimantia magiſtratibus nōn ſatis poteſtatis per eam tribui. Aiunt Amſtelodamenſes ſibi fuiſſe mandatum non aſſentiri in eam legem niſi prius in Synodo legitima expenſa fuiſſet ad legem divinam: quod ipſum tamen in actis non invenitur. Sed vt ita ſit própria, vnius oppidi ea fuit ſententia. Quanquam verò formula hæc ob ea quæ diximus impedimenta perrogata non fuit, vt vim habere poſſet legis publicæ cui parere omnes tenerentur, cenſendi tamen sũt & proceres & magiſtratus non dereliquiſſe poſſeſſionem iuris priſtini in paſtoribus inſtituendis, vt habet decretum anni CIↃ IↃ LXXXVI: ac proinde etiam ius fuit magiſtratibus ſequendi formulam anno CIↃ IↃ XCI conceptam, vt quæ non magiſtratibus ſed Eccleſiaſtici ordinis hominibus plus tribuat quam proceres, quorum erat leges dare, ante eum quem dixi annum CIↃ IↃ XCI deberi ipſis exiſtimaverant. Cui conſequens eſt, nullam cuiquam à proceribus factam iniuriam, nullum de ſua poſſeſſione deiectum, cùm anno CIↃ IↃ CXV & ſequentibus pronuntiarunt poſſe rectores oppidorum vicorumque quibus id ex vſu videretur eam for-

mulam ſequi atque ipſos in eo publico imperio tuendos. Præſertim cum & Harlemenſes, & alij manifeſtum fecerint etiam poſt annum CIↃ IↃ XCI vſurpatum à ſe ius maius quam ferret illa formula, nempe vt paſtores ipſi eligerent de conſilio preſbyterij. Quod ſi etiam alicubi non in vim legis, ſed conſenſu peculiari quicquam conceſſum foret, id cum meræ ſit facultatis ad poſſeſſionem evincendam, præſertim adverſas publicas poteſtates, valere non poſſet. Quòd vltra dicitur nihil hoc de negotio debuiſſe decerni antequam compoſitæ fuiſſent religionis controverſiæ, ſpeciem veri haberet, ſi ad componendas eas controverſias per mutuo ſe ferendi æquitatem opera communiter data fuiſſet: & ſi interim Eccleſiaſtici ordinis homines non laboraſſent magiſtratus de iure ſuo deijcere. Nam ſine eo cum quotidie multa munera Eccleſiæ vacua fierent, omnem de electionibus normam tenere in incerto, id verò nihil fuerat aliud quam ſummam inducere rerum confuſionem. quod mihi tam clarum videtur, vt æquos omnes facilè mihi aſſenſuros non dubitem. Sunt qui dicant hac formula plus aliquanto tribui magiſtratibus quam Eccleſiaſtici

ordinis hominibus, ius ſcilicet electos recuſandi. Sed obſervandum contra eſt Eccleſiaſtico ordini tãtundem, aut plus etiam tribui per examen & impoſitionem manuum: deinde verò ius illud poteſtatum publicarum in recuſando tam eſſe manifeſtum in vſu omnium gentium & ante & poſt inſtitutam reformationẽ, vt de eo dubitare nullius ſit, niſi qui dubiæ ſit ſanitatis.

Ab hoc iure quòd poteſtatibus publicis, qua tales ſunt, competit, veniamus ad ius quod patronatus dici ſolet iis conceſſum initio qui ære ſuo ædificaſſent ſacras domos. Paſtorum quidam adverſus hoc ius libros ſcripſere, præcipuè apud Friſios Tranſlavicanos, vbi ius hoc in vſu viget. Sed vbi venitur ad probationem, poteſtatem hanc ſcilicet quæ deſignationem ſolam continet eorum qui paſtorali muneri deſtinantur, in quos tamen, & Eccleſiaſtico ordini explorandi curam & dogmata. ius eſt & plebi cauſas adferendi ob quam recipi non debeant, hanc inquam poteſtatem cum lege divina pugnare, ſubſidunt argumenta, vt ab Epiſcopo Vintonienſi late probatum eſt, vbi & hoc quærit quæ ratio, quæ auctoritas nos cogat talem poteſtatem ſenioribus qui vocantur

deferre potius quam viris eminentibus quales eſſe ſolent quibus competit ius patronatus. Neque verò in Anglia tantum, ſed & in Palatinatu id ius in vſu eſt, credito ſcilicet illis in locis per reformationem Eccleſiæ nulli ius ſuum adimi, quod ſane nulli religioni (quocunque tandem nomine ea appelletur) licere debet. Sed neque novitium hoc commentum eſt, nec vt quidam contra hiſtoriæ fidem prodiderunt à Pontificibus Romanis inventum. Nam circa annum IↃ XLI Iuſtinianus; circa annum IↃLV Synodus Toletana ac poſt Carolus Magnus ius hoc ſuis conſtitutionibus confirmarunt. Quanti autem apud nos hoc ius æſtimatum antiquitus fuerit multis documentis apparet. In legibus conceſſis oppido Lugduno Batavorum ita loquitur Vvilhelmus Hanavius Comes Hollandiæ: *Præterea cum ius patronatus Eccleſiæ de Leiden ad me pertineat pleno iure, atque conſanguineus noſter Comes Florentius, cuius animam Deus habeat, bona fide pollicitus ſit & promiſerit quod cedente vel decedente magiſtro Gerardo iam dictæ Eccleſiæ rectore duos presbyteros idoneos ſucceſsive & perpetuo ad dictam Eccleſiam preſentaret*: & quæ ſequuntur. In pace facta cum Vveſtfriſiis anno CIↃ CC XCIX ex-

ſtat hoc caput. *Collationes omnium Eccleſiarum in Vveſtfriſia ad nos & ſucceſſores noſtros perpetuo pertinebunt niſi quatenus Epiſcopus Trajectinus & Abbas Egmondanus probare poterunt ſibi id ius deberi.* Eiuſdem ævi aut antiquiora etiam ſunt documenta quæ oſtendunt idem ius in Zelandia valuiſſe vt Middelburgi, Ziriczææ, Gœſæ. Inter cætera anno CIↃ CCC XXVIII Comes ita loquitur. *Cum collatio Eccleſiæ Vveſtmonaſterienſis in oppido Middelburgo noſtra ſit, vbi ea Eccleſia vacabit noſtrumque oppidum & oppidani Middelburgenſes precibus ſuis nobis commendabunt virum probum & placidum ſi nobis videbitur eum Eccleſiæ & oppidanis vtilem fore, ita vt animi noſtri religioni in eo promovendo ſatis poſſimus facere libenter amore Dei, & ad preces oppidanorum Eccleſiam ei conferemus.* Vvilhelmus Baioariæ Dux in accuſatione ſua adverſus Abbatem Middelburgenſem hoc etiam ponit. *Quamvis multæ Eccleſiæ ſitæ ſint intra officium multorum officiatorum, quapropter collatio dictarum Eccleſiarum ad eos officiatos ſpectat, quod ipſum conferendi ius Abbas Oliverus & alij ante eum Abbates non attentatum officiatis reliquerunt, acceptantes eos qui præſentabantur, cum præſentarentur, hic tamen Abbas*

id recuſavit & ei iuri contradixit, vnde lites & controverſiæ multæ ortæ ſunt, quinetiam homicidium; quæ res ad noſtri & officiatorum fraudem pertinent. Verba Philippi de Leidis qui in Hollandia natus iuriſprudentiam in Gallia profeſſus eſt quo tempore Vvilhelmus & Adelbertus Baioarij Hollandiam regebant antehac in alio opere à nobis producta ſunt. Inter iura Comitatenſia in rerum fiſcalium inventario, invenitur notitia Eccleſiarum in quas Comes haberet jus patronatus. Anno CIↃ IↃ XXIV Carolus Imperator vt Hollandię Comes edictum edidit, quo imperabat omnibus qui in Eccleſias ius aliquod conferendi ſibi vindicarēt, eius iuris documenta exhibere cum comminatione, ni id fieret, ſe in eas Eccleſias conferendi iure vſurum. Et cum filio Philippo principatum Belgicogermanię tranſcriberet inter cætera principatus iura cōmemoravit iura patronatus. Quinquaginta & amplius nobiles in Hollandia familiæ intra iuriſdictionis ſuæ terminos hoc iure in Inveſtituris ſuis comprehēſo gaudent: ſicut & oppida multa id ius legibus Comitum ſibi donatum obtinent. In ijs quæ ad Synodum Tridentinam ab antiquo conſeſſu iudicum Hollandiæ obſervata ſunt, etiam locus quidam ex eius Sy-

nodi actis obelo. notatur pugnans cum iure patronatus: atque eam maximè ob cauſam multæ nationes oppida atque Collegia eius Synodi actis publicandis interceſſerunt : quæ res Philippum Principem movit, vt publicari acta iuberet aſſcripta lege ne ius ſuum aut ſuorum ſubditorum eo deterius eſſet. Hoc ergo ius patronatus (quod in nonnullis reformationem profitentibus populis plenam ſuam vim obtinet) per formulam quam diximus anni CIↃ IↃ XCI eum in modum conſtrictum eſt, vt Patronus qui dicitur non per ſe paſtorem (vt olim) offerre poſſit, ſed ad electionem peragendam quatuor viros deleget, quos alioqui quæſitor, & loci iudices delegaturi fuerant.

Amoliends ſcrupulis omnibus, cum formula iam ſæpe memorata dicat generaliter à magiſtratibus, aut patronis delegãdos viros quatuor quos idoneos iudicaverint, proceres Hollandiæ Amſtelodamenſibus dici iuſſerunt, atque etiam in edicto quod publicatum eſt menſe Auguſto anni CIↃ IↃ C XVII clarè teſtati ſunt, eos idoneos maximè intelligi qui ſaluti Eccleſię quam optimè conſultum vellẽt. Iudicium iam cuilibet permitto an iniquum fuerit interim dum certius aliquid conſtitueretur regu-

Iam adeo temperatam in exercendo magiſtratuum & patronorum iure obſervari.

Quod verò ex eadem formula anni CIↃ IↃ XCI tralatum eſt, licere magiſtratibus de ſuo numero mittere qui adeſſent Eccleſiaſticis conventibus, novum non erat, quando antiquitus poteſtatum legati interfuere Synodis, neque vero inter Synodos & cœtus minores Eccleſiaſticos vlla ad ſubſtantiam rei pertinens differentia poſſit recitari. Adde quod Enchuſæ & alijs nõnullis in locis à belli initio ita vſurpatum fuerat: & aliis vero magiſtratibus liberũ fuerat idem facere, ita vt nulla cõtrarij iuris poſſeſſio adverſum eos allegari poſſet. Neque vero hæc delegatorum prę̨ſentia eo pertinebat, vt Eccleſiaſtici ordinis hominibus ius cenſendi liberum adimeretur: ſed nequid inibi tentaretur quo perturbari poſſet reipublicæ & oppidorum quies, quod vt caveretur iuſtas fuiſſe cauſas, inferius docebitur.

Si quis ſcire avet quid ſpectaverint qui æquum modum ne pro tempore quidem recipere voluerunt, nõ difficilis erit conіectura. Acronius librum conſcripſerat contra ius patronatus, Adrianus paſtor Harlemi, Mænius in Geldria & alij ſcriptores librorum nomina nõ præferẽtium,

totidem Synodi anteambulones, poteſtates publicas, vt profanas, ab inſpectione Eccleſiæ,&electione ad munera Eccleſiaſtica arcebant penitus. Plus dicam. Harlemi ſeceſſio, cùm de dogmatibus non diſſentiretur, orta eſt ex eo tantum quod magiſtratus in electionis partem veniret, quãquã eouſque conceſſerant vt profiterentur à ſe delegatos ſuffragium laturos tanquam Eccleſiæ cives. Etiam coïtiones ſcriptæ ac ſignatæ fuere de abſtinẽdo ab eorum communione qui illam anni CIↃ IↃ XCI formulam probarent, aut ſequerentur, vt mox narrabitur. Bene hunc animum perſpexerant Trãſlavicani proceres cũ ad formulã continentem mandata dãda delegatis qui ituri erãt ad Dordrechtanam Synodũ dixerunt: *Non permiſſuros ſe vt in Synodo illud examinaretur an iura patronatus & quæ alia apud ipſos erant, divinæ legi eſſent conſentanea nec ne*: quod ipſum in acta referri voluerũt. Qui antea quanquã ſæpe admoniti hoc nõ conſideraverant, certè nũc ſaltẽ agnoſcere id debẽt conſpectis canonibus quos Synodus Dordrechtana fecit de Eccleſiæ gubernatione, qui tales ſunt, vt nõ tantũ complures viri eruditi è gẽtibus exteris eos ſibi diſplicere oſtenderint, ſed & nationum pars maxima eoſdem recuſet approbare,

autcertè multa in ijs inveniat quod vt iuri ſummarum inferiorumque poteſtatum nocens mutationis egeat, quæ ipſa mutatio alicubi ſic facta eſt, vt re ipſa conveniat cum illa formula anni cIↃ IↃ xcI. Optem ſane harum nationum proceres, ſicut hac in re quod ſui eſt officij faciunt, ita etiam propius intendant aciem, videantque annon ijdem illi qui poteſtatum ius multis in partibus læſerunt, etiam Dei honorem alicubi violaverint, revocantes ſibi in memoriam illam Reformatorum vocem ad Regem Hiſpaniæ tunc Hollandiæ Comitem: *Tuum eſt clementiſsime Domine, de negotio cognoſcere vt te erroribus opponas, quantumvis multo ævo radices egerint*, & preces eorundem Reformatorum ad eos qui tum proceres erant, ne diutius miniſtri eſſent, ac ſatellites iudiciorum & cenſurarum Eccleſiaſtici ordinis, cum poteſtatum publicarum munus eſſet de iſtis rebus cognoſcere: quibus hæc addebantur verba: *Cum Deus Ioſuam conſtitueret populi ſui ductorem atque Principem, vetuit ne legis liber vnquam ab oculis manibuſque eius diſcedat*: vnde inferunt, iniquum eſſe poteſtates publicas ab vſu legis arceri qui in dijudicandis ſecundũ legem dogmatibus conſiſtit. Quod delegati procerum qui Synodo Dordre-

chtanæ interfuerunt acta Synodi non probarunt, ſed tantum quid ſe præſentibus geſtum eſſet, teſtati ſunt, haud equidem miror: ſed illud magis, quod poteſtates adeo non certæ intra animum ſuum Synodi decreta divinis edictis congruere, ſuper illis tamen decretis exſtruunt edicta tam dura, quorum ius ſæpe ad ſanguinem quoque extenditur.

CAPVT VIII.

De iure maioris partis in conventu Hollandiæ.

NOn mos tantum omnium gentium quæ ſub civilibus inſtitutis vivunt, ſed & ipſa natura docet vbi penes cœtum eſt poteſtas aliqua, veniendum ad illud legitimum: hæc pars major videtur: Nam neque rerum in deliberationem venientium difficultas, neque humanarum mentium varietas permittit, vt ſuper re quaque eadem ſingulis placeant, tum verò res multæ nihil agendo fiunt deteriores: & vt pars maior minori cedat manifeſtam habet iniquitatem. Iuriſperiti qui hoc argumentum pertractarunt, diſtinguunt inter

ea quæ communia ſunt, vt ſingulis, quale eſt fundus cuius cohęredes quatuor ſinguli quartam partem in dominio habēt, & ea quæ communia ſunt vt vniverſis, quomodo baſilica eſt civitatis. Itaque in prioris generis rebus negant ius aliquod præcipuū eſſe partis maioris, exceptis dūtaxat negotijs quibuſdam in quibus lex civilis ius tale conſtituit : at in ijs quæ corporis alicuius ſunt, ſive vniverſitatis, majori parti idē eſſe ius quod toti vniverſitati, niſi ſi quod negotium lex civilis ſpeciatim exceperit. Huc illud pertinet Plinianum: *Singulos integra re diſsentire fas eſſe: peracta quod pluribus placuiſſet cunctis tuendum* : Et Livianum illud: *Dicendi aut ſuadendi quod quiſque aut velit, aut optimum putet occaſio eſt priuſquam quicquam decernamus: vbi ſemel decretum erit, omnibus id, etiam quibus ante diſplicuerit, pro bono atque vtili defendendum.* Quibus ſimilia apud Demoſthenem , Dionyſium Halicarnaſſæum & Dionem Caſſium exſtant. Religionem quod attinet, certum eſt liberam electionem penes vnūquemque eſſe iure proprio. at arbitrium de ſacrorum ſtatu publico haud dubiè ad ſummam poteſtatē pertinet, ſive ea eſt vnus homo, ſive corpus aliquod ex iuris præſcripto perſonę vicem ſuſtinens. Proinde in procerū impe-

rio penes proceres id ius eſt,& quod ſequitur, quod maiori parti placuit,ſequendum eſt, cum alioqui nullus poſſit negotiorum exitus reperiri. Ita apud Helvetios atque alibi conſpectum eſt ſacra publica ordinari prout viſum fuerat parti maiori. Quod ſi apud Venetos huius generis controverſia aliqua oriretur, nihil poſſet conſtitui niſi ex parte maiore ſententiarum. Apud nos notũ eſt per Hollãdiam & Zelãdiam,deinde & apud nationes alias mutatũ eſſe religionis ſtatũ arbitrio partis maioris in quaq; natione. Sic & in Zelãdia & alibi leges de Eccleſię gubernatione cõditæ ſunt,vt viſũ parti maiori. Anno CIↃ IↃ LXXXI in Hollãdiæ conventu lex ſcripta eſt de modo habẽdi conventus & rerum ibi agendarũ hoc continens: *In negotijs omnibus decretum faciendum ex ſententia partis maioris: ac proinde dinumerandas ſententias vt antiquitus in omnibus deliberationibus ad rempublicam ſpectantibus: atque ita facto decreto vim ſuam fore in omnibus, dempto quod maior pars minorem vincere non debeat in tributis & oneribus inſtituendis, in pace aut bello faciendo, in mutanda Reipublicæ forma. Teneri verò & nobiles & oppidorum maiorum minorumque rectores ſequi & curare vt effectæ reddantur, quod ad ipſos & ſub regimine ſuo habitantes attinet, leges*

omnes atque decreta hoc modo ritè & conſilio publico facta de omnibus quæ in conſultationem venient negotiis ſine vllo reniſu ſeu directo, ſeu per obliquum. Iam vero ex iure notum eſt verba ſoni vniverſalis vt illa in omnibus nihil excipere: tum vero additis exceptionibus (quales hic tres reperiuntur) hanc eſſe vim, vt in iis omnibus quæ excepta nō ſunt, regulam confirment. Si quis dicat arbitrium religionis, ac ſacrarum rerum non minoris eſſe momenti quam quæ excepta ſunt ac proinde hoc quoque cenſeri debere poſitum extra ius partis maioris, obſtabit ei ius illud quod docet à paritate quam quis mente ſua concipit non eſſe confingendas exceptiones alias adverſus legem exceptiones diſertè continentem. Sed nec procedit illa quæ fingitur paritas. nam tributa, pax, bellum, reipublicæ mûtatio in vniverſum decreta partes ſingulas communi ſubijciunt neceſſitati, cum publicis ſacris in hunc vel illum modum conſtitutis, quilibet tamen incolumem retinet libertatem alio modo Deum colendi, ſi id ad ſalutem ſuam referre exiſtimet.

Illa vero obiectio, in conventu Hollandiæ pugnatum pro iure partis maioris, in Federatorum vero conventu ei iuri contradictum, facillimè ab alicuius ſenſus ho-

mine ſolvi poteſt ex his quæ iam diximus. Non enim hoc quærebatur, an in Federatorum conventu valere deberet quod parti maiori placuiſſet in negotijs quę vniverſitati Federatorum attributa ſunt, (id enim omni controverſia caret) ſed an de ſacris imperium Federatorum corpori delatum ſit. Negamus id nos, & dicimus ſiquando in Federatorum cœtu actum ea de re eſt, id factum non ex iure antecedente, ſed ex peculiari nationum omnium conſenſu, vt pote cum res ea non corporis illius, ſed partium & quidem partitim propria eſſet.

Aiunt alij, cum inter Hollandiæ membra non conveniret abſtineri à decernẽdo debuiſſe, vt factum eſſet antehac aliquoties. Ego vero fateor conventum (etſi iure ſummo id facere non obligetur) rectè tamẽ facere ſi ſe partibus ſuis attemperet, & ſuſtineat ſe in rebus moram ferentibus. Sed & in hoc negotio ſuaſiones plurimæ, etiam legationes eum in finem decretæ ſunt, vt concors ſententia eliceretur. Sed cum ortæ eſſent de religione cõtroverſię, abſtinere proceres non poterant quin modum eis ponerent non definiendo, ſed pacem conciliando, quod poteſtatum ſummarum officium eſſe civilium rerum periti ſciſcunt.

Similiter in tanto paſtorum quorundam conatu ad deijciendos magiſtratus de iure electionis ad munera Eccleſiaſtica, quieſcere proceres non poterant quin magiſtratus infra ſe poſitos, præſertim id poſtulantes, tuerentur in eo iure modo quodã benè temperato, ſaltem dum plenius aliquid ſtatueretur: præſertim cùm omnes qui in conventum veniunt iurare ſoleant, curæ ſibi fore vt iura leges moreſque defendantur: primumque fedus factum inter Hollandos & Zelandos contineat magiſtratus alios alijs ope atque auxilio pro virili adfuturos. Neque verò in negotio hoc vna, aut altera ſententia pars minor ſuperata eſt: ſed cùm conſtet conventus ex nobilitate (cuius ſemper in Hollãdia ſumma fuit auctoritas) & oppidis octodecim, plerunque nobilitas aſſenſum habuit quatuordecim aut tredecim oppidorum neque vnquam minus duabus tertiis partibus.

Adde iam quod omnem obiectionem elidit, ſemper à conventu dictitatum non eam ſibi mentem eſſe, vt oppida aliter ſententia cogeret decretis ſuis obtemperare atque ea effecta apud ſe dare, quod tamen ſummo iure maiori parti licet. Itaque cum mitteretur ad magiſtratus formula anni

CIƆ IƆXCI,

CIϽ IϽ XCI, dictum ſimul eſt: *Si qui rectores oppidorum vicorumve Hollandiæ & Veſtfriſiæ in eligendis paſtoribus, & habendis conventibus Eccleſiaſticis vicinalibus eam formulam ſequi vellent id ipſis fas ac ius futurum, atque eos publico imperio tuendos.* Sic & decreta facta mēſibus Martio & Aprili anni CIϽ IϽ CXVI, aiunt, *decretis anni* CIϽ IϽ CXI *&* CIϽ IϽ CXIV *per oppida vicoſque omnes quorum rectoribus vtilia aut neceſſaria videantur paritum iri: non autem eam eſſe procerum mentem vt conſules rectoreſque, & decuriones oppidorum qui ea decreta apud ſe neceſſaria non exiſtimarent ijs decretis vti compellerentur.*

Ipſi Amſtelodamenſes circa initia æquū hoc iudicarunt: nam in ordine oppidi ſui conſtituerunt, & mandatum dederunt legatis ſuis ad conventum euntibus dicendi, ſibi probari non poſſe vt in ſuo oppido decreta illa ad effectum perducerentur: quod multum abeſt ab eo quod dici cœpit poſtea, decreta iſta pro legitimis non habenda.

Notandum & hoc; non hic actum de nova religione introducenda, (quod facere nulli rectorum in animo fuit) ſed tantum de ponendo modo controverſijs quæ inter Reformatos doctores alibi plus, alibi minus ab initio fuiſſent agitatæ: Atque

apud nos ſemper ex vſu viſum ius attemperare ad oppidorum locorumque ingenia, vt Goudani oppidi exemplo iam ante oſtenſum eſt. Anno CIↃ IↃ LXXVI proceres Hollandiæ,& Zelandiæ Vvilhelmo Principi Arauſionenſi (qui ad id tempus Regis Hiſpaniæ,vt Comitis Hollandiæ vicarium ſe ferebat) *mandarunt,vt ſuper vſu Evangelicæ religionis ſtatueret id quod pro temporum ratione oppidorũque ingenio ad tranquillitatem publicam & populi commoda optimum factu iudicaret, ſine divini nominis detrimento*: Talia mandata poſt id tempus data ſunt nemini ac proinde poſt eiuratum Regis Hiſpaniæ principatum penes ipſos proceres manſit ea poteſtas.

Illud vero nullum habet colorem quo defendi poſſit,oppida ſcilicet & vicos quibus ius dicendæ in conventu ſententiæ non eſt aliud quicquã ſequi debere quam quod viſum ſit parti maiori, præſertim vbi maioris partis decreta ipſis etiam locorum magiſtratibus vtilia & apta rebus videntur.

Meminerint Amſtelodamenſes , Enchuſani,atque alij ſæpe in rebus longè maximis ſuam quoque ſententiam ad vincendos alios valuiſſe , & quidem eouſque vt (quod hic factum non eſt) qui ſenſiſſet

aliter ſequi decreta cogerentur. Non æquum eſt pati legem quam tuleris quaque vſus fueris in alios.

Imo ipſa illa oppida in conventum adferebant ſententias quas domi ex maioris partis placito perrogaverant, & quidem ita vt ſæpe duo treſve tantùm conſentium plures eſſent in parte victrice. Et talibus ſententiis impedire volebant ne in conventu perrogaretur quod maiori parti viſum eſſet, quiſquamne ab affectu vacuus id probet atque defendat?

CAPVT IX.

De his quæ acta ſunt contra pacem mutuam in Eccleſia eiuſque ſuaſores vt ad mutandum reipublicæ regimen perveniretur.

HAud dubiè omnibus quos non abripuit partium æſtus mirum videri debet, quod cum Lutherani ſuper his controverſijs à Contraremonſtrantibus diſſẽtiant, atque eorum dogmata earundem conſequentiarum abſurditate impugnent, præterea vero & alias cum eis controver-

ſias habeant, multi tamen Contraremonſtrantium quam illæſa (vt aiunt) animi ſui religione Lutheranis offerunt vnitatem, eam cum Remõſtrantibus eadem religione ſalva (vt aiunt) colere poſſe ſe negant. Quæ res fecit, vt dubitarent multi an religionis hoc negotium fuerit apud eos præſertim qui cæterorum incentores erãt, an ſtudium potius factionis res in ſtatu publico novas molientis. quod vt rectè dijudicetur, noſci convenit quę in hoc negotio ſuccedentibus ſibi temporibus geſta ſunt.

Neque minus mirandum quod cum Reformati, tam in Anglia quam in Germania, ſummis poteſtatibus plenam liberamque concedant ad munera Eccleſiaſtica electionem, quin & eorum magiſtri morem hunc libris editis probent atque defendant, tamen noſtris in locis Reformati ab Eccleſia ſeceſſerunt ea ſola de cauſa quod magiſtratus ſibi in electione tali ius non niſi dimidiatum vindicarent.

Certè ſi quis attenderit ad ea quæ Iunius, Paręus, multique alij ſcripſere, is facile advertet ex dogmate Reformatorum cœtuum multo graviores cauſas requiri antequam rectè atque piè ab Eccleſia aliqua divortium fieri poſſit.

Res ipſa experimento docuit, vbi pauci erant peregrini (vt in oppido Roterodamo) ibi paucos etiam fuiſſe quibus receſſio allubeſceret, & quidem eius fermè notæ qui ad publica munera aditum ſperare vix poſſent, quod alij multi ad ea aptiores eos præcederent. Contra vero Harlemi atque Lugduni (quæ oppida magnam advenarum multitudinem receperunt, cum oppida alia id recuſarent) vidimus magnos divertentium greges atque in eis partem multo minimam indigenas.

Neque vero ſponte ſua natum eſt, atque proceſſit divortium, ſed teſtimonijs patuit veniſſe aliunde paſtores qui tranquillis in locis turbas concitarent, & collecto exiguo quamvis numero Preſbyterium novum, id eſt altare contra altare, exſtruerẽt, vt perpetuam atque manſuram ſegregi Eccleſiæ formam darẽt: vt inter alia à Samuele Borrio Schonhoviæ factum apparuit. Sic & vicinales conventus diu quieti, vt in tractu Vorenenſi, & Putteno, alijs inſtigantibus rupti ſunt.

Sed cum ne ſic quidem pro lubidine impellentium ſatis procederet ruptura, libri multi conſcripti ſunt qui plebem diſtraherent, etiam conventus inſtituti annis CIↃ IↃ CXII, CIↃ IↃ CXIII, CIↃ IↃ CXIV, CIↃ IↃ CXV

vbi concepta ſunt capita quædam tum ad excludendas poteſtates ſuperiores atque inferiores ab omni Eccleſiarum cura, tum contra pacis inter diſſidentes ſtudium, qualia illa fuerunt quæ caloris initio conſcripta ſunt Scidami, ſcriptæ & literæ ad abſterrendos eos qui ad pacem proniores videbantur, & procerum edicta pro pace publicis libris refutata. Poſt quæ anno CIƆ IƆ CXVII Amſtelodami clam cætus eſt habitus, vbi paſtores quidam ac ſeniores, huius rei primarij auctores vt exẽplo ſuo atque auctoritate cæteros ad divortium impellerent, profeſſi ſunt, *rectè facere fratres eos qui ſe ſubducerent à conſortio* Remonſtrantium quos *perturbatores & vexatores Eccleſiæ* vocant. Quin imo *habendos Remonſtrantes eo loco vt cum quibus fas non eſſet communes habere cætus neque agnoſcendos eos vt membra concorpora, ſed faciendum ab eis plenum divortium donec à dogmate ſuo abſiſterent:* Simul rogabant, *fratres cunctos ſecum eiuſdem ſententiæ participes, vt idem ſubſcriptione ſua firmarent, quo in hunc modum ad finem bonum* (vt loqui ipſis lubet) *inter ſe colligarentur.* Cum vero in multis conventibus vicinalibus viri probi idem cum illis de dogmatibus ſentientes tamen iſtud *divortij Chirographum* (nam id nomen chartæ

ipſi dederant) ſignare cunctarentur, miſſi ſunt à ſignatoribus primis qui ad ſignandum cæteros vrgerent, & qui pro afflictis Eccleſijs, (id eſt ſegregibus) ſtipem colligerent. Secutus deinde eſt inter ſe ſociatorum conventus clandeſtinus Hagæ, atque ibi decretum eſt, *cum illis tanquam cum fidis minimeque ſuſpectis fratribus colendum propius commercium qui Remonſtrantes & eis adhærentes alios pro falſis doctoribus haberent tantumque Synodum è nationibus exſpectarent, cuius nunc magna ſpes eſſet* (ita loquuntur) *vt ibi ſeceſſio à Remonſtrantibus ritè ex iudicio Eccleſiæ ad exitum perduceretur: promitterentque, vt ſi ea Synodus propediem non indiceretur ſe cum fratribus cæteris qui iam ſeceſſerant* (quod huius inſtrumenti ſcriptores iuſtis atque ſufficientibus de cauſis factum pronuntiant) *conſultaturos ſe modo ac via qua res perduci poſſit ad plenum atque vnanime divortium.* Apparet hinc quorſum communis nationum Synodus poſtulata fuerit, nimirum vt iam penitus conſtituta ruptura plus inde acciperet auctoritatis. Eodem tetendit conventus alius qui Scidami habitus eſt menſe Ianuario anni CIↃ IↃ CXVIII & alij cœtus eius generis. Dici ad hoc ſolet etiam à Remonſtrantibus cætus habitos & perſcripta quædam ac fa-

ctum id vt ſe ſubtraherent à conſortio pacem ſecum colere cupiētium dictum non eſt, tantum abeſt vt probatum ſit.

Qui vero hunc in modum diſceſſionem fecerant, contenti non fuerunt ex vetere Chriſtianorum exemplo pietatis cultu intra privata tecta, ſed auſu privato publica templa occuparunt, partim dum publicum divortium introducunt in ea loca in quibus ſervata vnitas fuerat, novumque Preſbyterium & cōmunionem peculiarem inſtituunt, neque vero id ſaltem permittunt vt docente paſtore Contraremonſtrante paſtor ſententiæ Remonſtrantium intra ſepta ſederet, quæ Veteribus aquis acciderunt, partim dum paſtores novos non ritè atque ordine in cathedra locant, vt Huſdę, partim dum per minas magiſtratui templum extorquent, vt Brilæ, vbi ſeceſſores rumorem ſparſerant invaſuros ſe templum quicunque tandem futurus eſſet exitus, partim etiam dum reipſa invadūt templa, ſicut plebs ſegrex Hagienſis cum primum Noſocomij ſacellum obtinuiſſet ſub pollicitatione preſbyterium novum ſe nō erecturos, ea fide violata mox templum clauſtrale nondum benè ad ſacros vſus paratum irrupere, allatis eo ſuggeſtu & ſubſellijs, atque ibi concio habita eſt, ne con-

ſultis quidem aut proceribus Hollandiæ (quorum erat & ſolum & ſuperficies) aut magiſtratibus Hagienſibus, adeo ſine eorum conſenſu: quin & maiore cum contemptu procerum Henrico Roſæo (quem proceres munere fungendo interdixerãt) ibi vſi ſunt paſtore. Excuſant hæc nonnulli dicentes templa plebis eſſe, quod ita acceptum & eo modo ad rem perductum, non poteſt non magnis ſeditionibus ac tumultibus cauſam præbere. Nam in plebe, id eſt inter eos qui ſub vno imperio vivunt, multæ ſunt diverſi inſtituti familię, vt Romanenſes, Lutherani, Mennonitę atque alij. Si iam partes hæ ſingulæ plebis nomine ſibi publicas ædes vindicarent, quid inde aliud quam cruenta colliſio ſequeretur? Propterea penes quem publica templa eſſe debeant, ſummæ poteſtatis arbitrium eſt, ſicut & Romanæ leges inter iuris publici partes ſacra & ſacerdotia cæremoniaſque commemorant. Aliter quicquid fit ab omnibus reipublicæ moderandæ & legum peritis illegitimum cẽſebitur.

Iã vero vbi Contraremõſtrantes hoc aut illo modo in partem templorum venerant eo non contenti fuerunt, ſed quacunque poterant id egerunt, vt Remõſtrantes inde vi depellerent, vt apparuit in dicto

iam oppido Veteribus aquis, vbi miſſum paſtorem qui Poppij vicibus fungeretur, privati à cathedra abſtinuerunt dictitantes cum magiſtratibus nihil ſibi eſſe negotij: ipſe quoque Poppius qui magiſtratuum accitu venerat hominibus armatis impeditus eſt officium facere, quanquam comitatus veniebat quæſitore, conſulibus oppidique iudicibus cumque cõſulum vnus diceret, quod res erat, Poppium à proceribus ad ſe miſſum per ludibrium illi reſpondere, à veſtris ſcilicet proceribus.

Quid vero actum vbi Contraremonſtrantes ſoli publica templa inſidebant, vt Amſtelodami poſt motum loco Simonem Goulartium? An ibi ſecuti ſũt certiſſimam naturalis ęquitatis regulam, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nihil minus. Nam tantum cum ſuſpicio inſediſſet Remonſtrantium cœtum haberi in domo Remi Epiſcopi, qui civis erat notiſſimæ probitatis fæx ipſa vulgi (quo impulſu ſcit Deus, ſed & homines quidam non ignorant) furore incredibili clara luce domum involarunt ac diripuerunt, inaudito hactenus per Hollandiam exemplo, non impedientibus illis quorum ad officium id ſpectabat, ſed contra adventum ſuum

differentibus donec, barbaricum ſatellitium impleſſet deſtinata. Neque vero de tanto ſcelere, quod ad ſummam oppidi Amſtelodami & patriæ infamiam ſpectabat, ius dictum eſt. Pauci de tanto numero capti ſunt, & dimiſſi.

Si qua res eſt aliena à Chriſtiani nominis profeſſione, ea vero eſt libellos vulgare qui exiſtimationem cuiuſquam vulnerēt: quod & ex Romanis legibus capital cenſetur merito ſane: cum eo modo quiſque odio publico obijci poſſit, neque habere vbi ſe defendat incognito accuſatore qui eo mentitur impudentius quod ad probanda crimina ſciat ſe cogi non poſſe. Quantoperè Contraremonſtrantium paſtores nonnulli & eiuſdem partis alij hoc modo rem ſuam promoverint ex ipſis ſcriptis apparet. Multis enim libris nobiles & oppidorum magiſtratus tum vniverſim, tum ſingulatim non pauci contumelioſè traducti ſunt. Oldēbarneveldius conventus Hollandiæ adſeſſor, qui grave illud onus per annos iam quadraginta tam fortiter pertulerat, atque hanc tēmpeſtatem iam bis exhauſerat, prius ſub Liceſtrio (cum eadem omnia ipſi obijcerentur) deinde cum induciæ fierent, denuo in ætate vltima innumeris mendacijs (quæ

nemo in iudicio defendere audeat) atrociſſima accipit famæ vulnera, imo Marchioni Anchoritano confertur, vt omnino appareret quid harum rerum incitatores de illo fieri vellent. O ſanguinaria ingenia! Adverſus gliſcentem licentiã ſæpè de remedijs in conventu actum eſt. Conceptum quoque edictum, in quo honori Principis, iudicum Hollandiæ, Eccleſiaſtici quoque ordinis non minus quam ipſorum procerum, nobiliũ, ac magiſtratuum conſulebatur. Iuſſio in nihil aliud quam adverſum libellos tales & ſermones, vulgi turbamenta, concepta erat; etiam ſpeciatim contra ſcripta quędam quibus Amſtelodamenſes iniuriam ſibi factam conquerebantur. Tamen legati oppidi Amſtelodami atque alij, ne id fieret, obſtiterunt. Dicebantur eſſe leges veteres. Sed nonne vſitatum eſt antehac tanta graſſante licẽtia renovare leges, & temporibus aptare? Tandem cum anno CIↃ IↃ CXVIII ab Amſtelodamo æquiores legati ad conventum veniſſent, perrogatũ quidem eſt edictum, ſed multis in oppidis ſine vi irritum manſit; in quibuſdam ne promulgatum quidem eſt, magno cum deſpectu procerum Hollandiæ, quorum illa tantis Dei beneficiis tamdiu educata auctoritas hoc

hoc modo fædè proculcabatur. Etiam poſtquam capti eramus ſcribere cuique in nos permiſſum eſt. qui id non vetuerunt, imo per autoratos ſibi ſcriptores rerum geſtarum id ipſum prædicant, ſatis oſtendunt nos eo tempore in legitimorum iudicum manu non fuiſſe, cum qui in verorum iudicum ſunt manu, ſimul in eorum ſint fide ac tutela adverſus noxam omnem quæ extra ius inferri ipſis poſſit.

A verbis ad res venitur. Ab armorum initio duo hominum genera fuerunt in rempublicam res novas molientium: alij ſtudio ſuorum dogmatum, vt paſtores nonnulli (in quo ordine fuerunt & qui maiora inſuper congiaria, & dignitatis augmentum inde ſperarunt) alij vt ad honores perrumperent, ad quos alioquin obſeptum ſibi aditum videbant, vt externi, aut cęteroqui impares aliis quoad eas quę in mandandis muneribus ſpectari ſolent qualitates. Nam antiquiſſimæ Hollandiæ leges continent, ne quis extra Hollandiam natus honores capiat, quanquam poſtea proceribus placuit eo iure non vti niſi adverſum nationes quæ par ius in Hollandos vſurparent. Alia oppida ius habent ſpecialius ne quem admittant niſi genitum certos intra fines, vt intra Moſam

& Zypam. Quanquam verò externi ſatis habere debuerant quod placidam vitam in ſolo noſtro degerent,& contracta indigenarum affinitate exſpectare,vt liberi ſui in Hollandia nati iuxta alios honorum participes fierent, apud nos tamen non minus quam apud gentes alias experimento compertum eſt,eius generis hominum ingenia moræ impatientia magnas ſæpe turbis cauſas aut alimentum dediſſe, cum talia molientibus nunquam deſit quo præſentem reipublicæ ſtatum obtrectent. Similiter animatos videre ſemper fuit quoſdam indigenas quidem ſed ortu, divitiis, peritia rerum non inter primos quos leges noſtræ cæteris in honoribus anteponi volunt. Dudum eſt quod hic morbus aperire ſe cœpit. Incipiente primulum bello paſtores fuere qui proceribus nomen imponerent Caudicum. Cùm maximè ferreret dura illa & in omnis ævi memoriam tradenda Lugduni obſidio, veriti non ſunt paſtores de ſuggeſto apud populum magiſtratus ſuos (quorum prudentia atque conſtantia ſecundum Deum eo tempore non oppido tantùm ſed patriç ſaluti fuit) incuſare quod in nummis qui per argenti penuriam charta cudebantur, ſcripſiſſent pati ſe iſta libertatis ergo, cum

vellent paſtores dictum, tolerari iſta Reformatæ religionis ergo, quaſi non ſub communi libertatis nomine etiam religionis libertas cōtineretur, aut quaſi non alij quoque extra Reformatos odio inquiſitionis in animos & Hiſpanici dominatus fortiter pro patria feciſſent. Sed hæc licentia in magnum malum erumpere non poterat, quamdiu Hollandia ex Hollandia conſtabat. At poſtquam perditis Brabātiæ, & Flandrię rebus, magna inde multitudo noſtri moris ac reipublicæ non ſatis gnara nobis ſe infuderat, Princeps Vvilhelmus Arauſionenſis extremo vitæ proceres monuit ad eam rem intentos eſſe, & ſevere occurrere ſermonibus turbidis. Eo Principe mortuo, cùm Comes Liceſtrius qui nec leges nec ingenia noſtri populi perdidiſcerat) præfecturā accepiſſet, omnes quibus præſentia diſplicebant rei faciendæ tempus ſibi adveniſſe exiſtimarāt. Hinc factum, vt legitimi rectores traducerentur non modo vt irreligioſi homines (quia ſcilicet hominum commentis quibuſdam arctè nimis alligari ſe non patiebantur) verum etiam vt fidei incertæ, imo in Hiſpanum propendentes. His conſequenter peregrini in terra Traiectina ad honores producti, extruſis qui ex legibus

eos honores poſſederant, quod exemplum quominus ad Hollandiam penetraret, magiſtratuum Lugduni, Amſtelodami, Enchuſæ atque aliorum ſapiens virtus prohibuit. Hæc affectio cum ab anno CIↃ IↃ LXXXVIII dormijſſet, reſuſcitata eſt his noſtris calamitoſis temporibus. In curribus, navigiis, per vicos & compita palam ſermones habiti de mutanda reipublicæ forma eiuſque rectoribus. Nec facta diſcrepabant. Apparuit hoc in oppido Veteribus aquis, vbi poſteaquam rectores oppidi in ipſa baſilica per vim oppugnati coactique fuerant id facere quod aggreſſoribus placebat, inde armorum metu oppidi ordo adactus eſt legere conſules, & oppidi iudices ex arbitrio hominum regi neſcientium, qui ijdem privato auſu cuſtodias per oppidum diſpoſuerunt, ac collegium inſtituerunt quaſi alterum oppidi conſilium, qualis cœtus & Lugduni fuit inſtitutus ad regenda communia partis tam calidæ negotia. Sic & Huſdæ concurſu facto electio magiſtratuum, quæ facta erat ab oppidi præfecto vt arcis cuſtode & à quæſitore (ſecundum morem per annos quadraginta ſervatum) reſciſſa eſt & quæſitori nova extorta electio ad arbitriũ ſeditioſæ turbæ. Delphis Batavorum,
homo

homo privatus, ac ne habitator quidem eius oppidi, invitis conſulibus ac rectoribus corpus armatorum municipum coegit. Nautæ quoque edocti ſunt in apluſtribus ponere Principis Mauritij inſignia cum hoc dicto: *Potius cum Arauſionenſi ſub dio agere, quam Arminianos diutius perpeti.* Etiam in vulgus edita eſt notitia oppidorum & caſtellorum quæ Arminianis (id eſt Remonſtrantibus) eſſent contraria.

Quod motu plebis facere impetus fuerat id poſtea perſuaſum eſt Principi per ipſum fieri debere ab his qui dicebant rectores legitimos infeſtos eſſe ipſius dignitati: cum tamen partim eidem eſſent qui Principi præfecturæ ius detulerant, quique ipſius labores conſilio & ſollicita ærarij cura ſublevaverant: tum vero omnes procul abeſſent ab invidenda ei poteſtate quæ collata ipſi fuerat: quinimo paratiſſimi eſſent vicem referre meritis eius, quantam reſpublica pateretur, præſertim grata recordatione quod maximum beneſactis pretium eſt. Quantopere verò hæc res legibus adverſaretur ipſum Principem non latuit, qui in multis oppidis cum è conſilio vrbis alios amoveret, alios amotis ſufficeret, conſules quoque & oppidorum iudices legeret non ſuo tempore, neque è no-

minatis, teſtabatur facere ſe id *neceſsitatis imperio, ſine detrimento iuris ac legum, atque eo animo ne res in exemplum iret.* Ipſi novi hoc modo creati proceres idem ſe quoque intelligere oſtenderunt in decreto quo ratum id factum habebant, in rem ſuam ſcilicet, ſed metu ne in ſe recideret exẽplum, addebant ea mente ſe id facere, vt nollent per id deteriora eſſe iura legum ac libertatis. An tali teſtatione, quæ rei contraria eſt, auferatur iuris detrimentum, iudicent ſapientes. certè cum legibus, imo omnium legum fundamento id pugnare notiſſimũ eſt. Nam in ordinem oppidi qui allegũtur, eorum perpetuum eſſe munus, aut certè dum municipes manẽt, ab omni ævo vſurpatum eſt: vt & illud, in locum decedentium aut eligi, vt in plurimis oppidis, aut nominari numero maiore qui ſuccedant. Cum primum hæ nationes ſub Burgundicum imperium venêre, ſolliciti fuere proceres, vt ius hoc novis legibus confirmarẽt. Notitia conſtitutionum oppidi Lugduni ſic habet: *Vniverſitatem oppidi Lugdunenſis, ita vt antiquitus refert conſilium & conſeſſus quadragintavirûm, quorum munus durat quãdiu vivunt nec domicilium mutant. Deinde quadragintaviri cum quis de ipſorum numero vita exceſsit, domicilium mutavit, aut cætero*

qui oppidum dereliquit in baſilica congregati maiore parte ſuffragiorum mortui aut digreſſi in locum alium legunto de inſignioribus quem intra animum ſuum ei muneri aptum atque idoneum iudicabunt. Lex quam Maria Burgundica oppido Amſtelodamo dedit anno CIↃ CCCC LXXVI ſic ait : *quod ſi accidat quemquam ex trigintaſexviris mori, aut municipatu exui cæteri eiuſdem conſeſſus ſuperſtites, ita vt officij ac iurisjurandi religio ſuadebit, alios ſufficient viros inſignes ac probos*; quæ verba repetuntur in lege quam Carolus Imperator ipſis dedit anno CIↃ IↃ XXV. Sic & in Schonhoviæ archivis lex eſt quam rex Philippus anno CIↃ IↃ L confirmavit ita habens. *Si quando ex vigintiſeptemviris quiſquam vita abeat, aut ius municipatus amittat, qui de eo numero ſuperſiunt alij, aut pars eorum maior; vnum aut tot quot deficient novos eligent bonos, idoneos, inſignes.* Cæteris oppidis pares ſunt leges. Iam vero conſulum & iudicum oppidanorum munus præfinitum ad tempus durare, certo quoque tempore faciendam ſurrogationem, tum vero ius eligendi, aut nominandi penes oppidi ordinem eſſe aut penes eos quos leges eius rei compotes faciunt, aliter vero electionem ne à Principibus quidem fieri legitime poſſe norunt Hollandi omnes. Documenta paſſim in

baſilicis aſſervantur, quorum quædam exempli gratia recitabimus. Lex quam Philippus Burgundus oppido Lugduno dedit anno CIↃ CCCC XXXIV de conſulum electione ſic loquitur: *Quotannis pervigilio Martini quæſitor, iudices & ordo oppidi Lugduni, qui tum erunt, eligunto quatuor conſules vt leges antiquæ ipſis conceſſæ imperant. Et cum eius negotij ergo in baſilicam convenient quæſitor, iudices, & oppidi ordo, qui tum erit quæſitor, compellato ac moneto ipſos iudices, oppidiq; decuriones, vt memores iuriſiurandi quod nobis atque oppido præſtiterunt integra animi religione eligant conſules quatuor viros probos bonoſque nobis & oppidanæ rei vtiles. Et cui maiore ſuffragiorum parte obtigerit conſulem creari, huic quæſitor oppidi præito verba ſacramenti, ſervaturũ ſe noſtra atque oppidi iura & bona oppidi diſpenſaturũ ita vt vſus exiget.* Conſtitutionum notitia de iudicibus legendis ſic ait: *Quadragintaviri quotannis XXIII Iulij, id eſt pridie pervigilium Iacobi, maiore ſuffragiorum numero in baſilica eligunto viros ſedecim, ex quibus iuxta oppidi leges & morem hucuſque obſervatum octo iudices creantor.* In lege anni CIↃ CCCC LXXIV quam Amſtelodamẽſibus datam iam diximus, ita Princeps Maria loquitur: *Ab hoc die in perpetuum trigintaſexviri, quos iam maioris minoriſque*

cenſus municipes oppidi Amſtelodami legerunt, ius habento eligendi concorditer, aut maiore ſuffragiorum parte, idque ex fide iuriſiurandi quod eam in rem palam quæſitori oppidi, aut ſi is aberit maximo natu conſuli præſtabunt, quotannis quinto die ante diem luſtricum ſacri puerperij, viros XIV *ex opulentiſsimis, probiſsimis, nobiliſſimis & æquiſsimis municipibus oppidi Amſtelodami, nemine per odium invidentiam aliamve ſimilem ob cauſam excluſo: quos deinde quotannis tranſmittendos habebũt nobis, noſtriſve ſucceſſoribus, aut Vicario & conſeſſui iudicum Hollandiæ, vt ex eis nos noſtrive ſucceſſores aut vicarius cum dicto conſeſſu eligant ſeptem viros per eum annum ius dicturos, qui ipſo die luſtrico intra oppidum noſtrum ſolemniter inſtituantur & iurent quomodo leges veteres, & mos exigũt.* Dicta lex quam Maximilianus & Maria oppido Roterodamo dederunt, ſic loquitur: *Quadragintaviri in poſterum biduo ante diem* Kalendas *Maij eligunto per fabas albas & nigras aut alio ſortitionis genere quod optimũ iudicabunt, ſeptem homines ſui cõſeſſus:* (is numerus legibus poſterioribus in quinarium mutatus eſt) *Septem verò illi quos ſors dixerit ſtatim ſurgunto, & digitis ad cælum erectis ſancte iuranto verbis ijs quæ conſulum maior, aut ſi is abſit minor, aut ſi neuter adſit iudicum maximus, cõcipient, neque gratia, neque offenſa, neqeu*

odio, neque invidẽtia, neque vlla re alia abſtituros ſe, quin ſine mora neque cibo, neque potu, neq; colloquio cuiuſquam interpoſito, octodecim viros idque maiori ſuffragiorum parte eligant, ſic tamen vt alius alium non eligant, ſed alios extra numerum ſuum ex inſignibus maxime probis ac placidis oppidi eius municipibus, quibus ætatis & cẽſus ſatis ſit, ex præſcripto legum veterum, tam ex toto municipum corpore quam ex conſeſſu XL virûm, nemine excluſo, quos ipſi quinque pro religione ſua ac iuriſiurandi fide honeſtiſsimos & aptiſsimos iudicabunt vt per eum annum fungantur publico munere. Eorum vero octodecim nomina ſeptem illi ſtatim nobis, aut ſi nos abeſſe contingat Vicario noſtro & conſeſſui iudicum Hollandiæ perſcripta tranſmittant per eum quem de ſuo numero ad id negotium delegabunt: vnde nos aut Vicarius cum conſeſſu eligemus duos conſules, iudices vero oppidi ſeptem quos nos aut Vicarius cum conſeſſu idoneos iudicabimus gubernando oppido Roterodamo in annum vnum nec vltra: quibus ſuccedatur Kalendis Maij vt leges antiquæ iubent: hac tamen lege, vt conſules eligi fas non ſit niſi ex ipſis quadragintaviris: Nos vero aut Vicarius noſter cum conſeſſu iudicum Hollandiæ eorum qui electi erunt continuò aut certe intra Kalendas Maij nomina perſcripta per eum qui ex oppido delegatus venerit, Roterodamum remittemus, vt Kalendis Maij m-

giſtratum ineant, & ſolemni iureiurando adigantur, vt vetera iura & leges exigunt: Quod ſi evenerit à nobis, aut Vicario cum conſeſſu iudicum Hollandiæ poſt tranſmiſſa nomina octodecim virorum non eligi intra diem quartum conſules duos & iudices oppidanos ſeptem, ita vti dictum eſt: tum duo primo loco nominati conſules & ſeptem primo loco nominati in eum annum oppidi iudices ſunto: atque ij à quæſitore maiore aut ſi is abſit à quæſitore minore, aut vterque ſi abſit à maximo exconſule iureiurando adigentur ex more & legibus oppidi antiquis. Lex autem Schonhoviæ ſupra allegata hac de re ſic præcipit: *Qui vigintiſeptemviri, poſtea quotannis quarto Novembris die concordibus ſuffragijs aut eorum parte maiore eligent quatuor viros probos inſignes & idoneos, vt ex eis conſtituantur conſules duo: & quatuordecim viros bonos & æquos, vt ex eis conſtituantur ſeptem iudices oppidani: ac quatuor & quatuordecim ſic electorũ nomina nobis mittent, aut ſucceſſoribus noſtris Comitibus Hollandiæ maribus feminiſve, ſi nos intra Hollandiam eſſe contingat: alioqui mittent eos Vicario & conſeſſui iudicum Hollandiæ. Ex quibus tum quatuor, tum quatuordecim aut nos aut Vicarius cum conſeſſu tenebimur conſtituere ex illis Conſules duos, ex his iudices oppidanos ſeptem atque eorum nomina perſcripta mittere ad eum qui tum futurus eſt*

oppidi Schonhoviæ quæſitor octavo die menſis Novembris vt pervigilio Martini in poſſeſsionem honoris inducantur, noſtraque vice oppidum, & oppidi res regant, & cuilibet ius æquum dicant ſecundum leges & mores oppidi. Similes leges ſunt penes alia Hollandiæ & Vveſtfriſiæ oppida: quas quia non omnes habemus ad manum, ſufficiet earum in locum inſerere hic ipſa procerum verba in edicto quod ipſorum nomine ac mandatu Franciſcus Frãco tunc magiſtratuum Goudæ adſeſſor, iudex poſtea factus in conſeſſu ſuperiore, compoſuit, quodque anno CIↃ IↃ LXXXVII editum eſt ab ipſis proceribus, vt populus fundamenta reipublicæ (quæ iam tum quaſſari cœpta feliciter id temporis conſervata ſunt) quæ eſſent, intelligeret. *Oppida* (inquiunt ibi proceres) *ferme eundem in modum gubernantur ab ordine qui cõpoſitus eſt ex ipſo flore municipum: Hi alibi numero ſunt* XXXVI, *alibi* XXXII, XXVIII *aut* XX: *atque ei cœtus parem cum oppidis antiquitatem obtinent, aut certe talem quæ omnem memoriam longe excedat. Semel electi honorem retinent quamdiu vitam ac municipatum. In eorum qui mortem oppetunt, aut municipatum deſerunt, locum ſufficiuntur alij ex municipum corpore arbitratu ordinis ipſius.* Deinde: *Ab his cœtibus eliguntur quotannis ordinarij ma-*

giſtratus, quatuor ſcilicet tres aut duo conſules, & ſeptem plureſve iudices oppidani, quibus honos annalis. Sed nonnullis in oppidis plene hæc electio peragitur, alibi maioris numeri nominatione, ex quibus vicarius eligit q: os viſum eſt ad iuſtum vſque numerum. Quibus ſanum eſt iudicium facile intelligent in perpetuitate honoris eorum qui cœtum ordinis participant, conſiſtere regiminis firmitatem, quia permanet corpus imbutum rerum ſuccedentium notitia, ex quo corpore omnia decreta omneſque poteſtates ſuper communibus patriȩ aut propriis oppidi negotiis emanant: Tum verò in eo quod Conſules nominandi aut eligendi ſunt ab ipſo ordine aut illis quos leges indicãt, ſitum eſſe præſidium libertatis, quo perrupto tota reſpublica nihil ſit futura niſi theatrum in quo gratia aulæ, quæ ſæpe eſt apud peregrinos, cuique quam volet perſonam ſit impoſitura. Huic rei proviſum rectè eſt in formula iuriſiurandi quod præſtat Hollandiæ præfectus, inter cætera id continens, *ipſum nobilitati maiori minorique & rectoribus oppidorum Hollandiæ ac Vveſtfriſiæ, vt qui nationis ordines referant, fidum & obſequentem fore.* Sed & mandata ad eandem præfecturam pertinentia imperant: *Vt præfectus aut per ſe, aut cum principe*

conſeſſus & cæteris iudicibus Hollandiæ Zelandiæ & Friſiæ quotannis renovet conſules, iudices, magiſtratus alioſque honoratos ita vt oportet atque antiquitus ſecundum leges & mores communes, ac proprios oppidi cuiuſque factitatum eſt: eoſque honores conferat in bonos fidoſque cives patriæ amantes, & ad eam rem maxime idoneos. Tenentur verò mēbra Hollandię ex primitivo federe, alia aliis pro virili opem, auxilium ferre, conſilio ac reipſa, pariterque tueri iura ac libertatem publicam. Ex edicto eiurati principatus & vſu perpetuo nullum ius eſt Federatis proceribus in civilę regimen cuiuſque nationis: imo vero tenentur ipſi ex Traiectino federe tum nationibus, tum oppidis in ſuis legibus conſtitutionibus ſuaque libertate non modo nihil damni aut noxæ dare, ſed eis quantum poſſunt maximè, etiam vitæ & rerum (ſi opus ſit) periculo, opitulari ad tutelam iuris quod ipſis competit. Vnde ergo poteſtas proficiſci potuit tam directè agendi adverſum leges? Periculoſiſſimis belli temporibus proceres Vvilhelmo Principi conceſſerant, *Si neceſsitas aut publica ſecuritas poſcerent demoveri, aut mutari extra ordinē magiſtratus, aut honoratos oppidorum, id ei facere ius vt eſſet rebus bene expenſis, ac de conſenſu maioris par-*

tis eorum qui ordinem conſtituerent, & oppidi vniverſitatem referrent. Ecce erat ibi poteſtas illa non ſolùm neceſſitati ſummæ ſed & conſenſui maioris partis conſilij publici adſtricta: neque tamen Princeps (quanquã valde ſuſpectis temporibus) vnquam vti extraordinario hoc iure voluit. At cum anno CIↃ IↃ LXXXIV cum eodem Principe ageretur de deferendo ipſi Comitatu Hollandiæ, in pactis tum conceptis ea poteſtas repetita non eſt: ſed obligatus Princeps ſervare & curare, vt ſervarentur leges, atq; libertas tum nationis tum oppidorũ. Nationem Traiectinam quod attinet mandata eius præfecturæ vltima expreſſe hoc cõtinent: *Magiſtratus vrbis atque oppidorũ Princeps Mauritius, ſi in vrbe erit, conſtituet ex conſilio atque conſenſu procerum vniuerſorum aut eorum qui ad vrbem erunt, quibuſve ipſi id negotij dabunt, idque ex veteribus magiſtratibus & alijs quadraginta quos ipſi magiſtratus ſupra ſui numerum nominabunt ac Principi tradent perſcriptos: quod ſi ab ſit Princeps aut aliqua de cauſa ei non vacet intra vrbem electioni magiſtratuum intendere, eidem proceres, aut qui ab ipſis eam ad rem ſpecialiter delegati erũt, ex duplo nominatorum numero eligent viros quadraginta qui conſules, iudices, quæſtores & decuriones ſi. t in annum ineuntem.*

Quæ vero tandem cauſa tantæ nunc immutationis adferri poteſt? Num crimen aliquod cōmiſerant veteres rectores? Cur igitur iudicium in ipſos peractum non eſt? id vero tantum abeſt, vt decreto quo confirmatur hæc deſtitutio dictum ſit *demotis magiſtratibus honorem atque exiſtimationem illibata ſervari.* Neceſſitas obtenditur. At quid erat quæſo quod metui poſſet ab eis qui patriæ atque oppidis tanto tempore fidem ſuam probaverant, partim ipſi obſidiones oppidorum Harlemi, Lugduni, Alcmariæ toleraverant? De novo milite calebant querelę quo de agemus poſtea. at is certe, hæc cum fierent, dimiſſus iam erat. Tum vero Amſtelodami ea querela locum habere non poterat, vbi illi ipſi militem oppidanum auxerāt qui collegas ſuos honoribus pepulerunt, in quibus pulſis nonnulli erant tantæ probitatis ac fidei quantam vnquam tulit Hollandia. Quæ ergo illa neceſſitas? An illud dicent veteres magiſtratus non ſatis promptos futuros fuiſſe, vt Dordrechtanę Synodi decretis & conſequentibus edictis vim ſuam commodarent? Sed ad hanc neceſſitatem nulla neceſſitas duxerat, cum vt mutuo ferrent ſe paſtores, potuerit fieri, vtile inſuper & æquum fuerit. Hoc quoque multis mirum

& exempli gravis viſum eſt, quod poſt generalem illam mutationem aliæ quoque nonnullis in locis extra ordinem factæ ſunt, quodque nuper adeo lecti ſunt magiſtratus extra eos qui ad eam rem erant nominati, cum legum manifeſtiſſimo contemptu.

Conqueritur nobilitas quod in Hollandia, vbi ab initio belli ad vltima vſque tempora nobiles ad conventum venire non ſolebant niſi à cœtu nobilium vocati, nunc poſt res novatas nonnulli aperte defendere cœperunt, *natalium iure ſibi in conventum veniendi libertatem eſſe, neque ſe vllo colore inde poſſe arceri:* cùm contra in Geldria & Trajectina natione, vbi nobiles venire ad conventum ſolebant proprio ſuo ac gentilitio jure, multi primariarum domuum inde amoti ſint, ſubſtitutique alij, cum tamen mandata præfecturæ Trajectinæ diſerte vetent, *alios nobiles ad conventum vocari quam qui intra annum proximum* (is erat annus CIC IↃ XC) *vocati fuerant, ſine ſpeciali adſenſu procerum ac nominatim nobilium qui tum vocari ſolebant.* Sed & illud incuſant multi quod in Hollandiæ conventum introducti ſunt extra Hollandiæ fines geniti, cum olim Mariæ Burgundiæ temporibus proceres Hollandiæ Co-

mitem Naſſavium, qui Leccæ & Polanæ toparcha erat, in conventum admittere recuſaverint, quod ipſi locus natalium obſtaret. Neque minus illud multos offendit, quod tot quæſitores, tot ſcribæ, tot alij quorum fides ac probitas longo tempore explorata eſt, non judicio, non vlla probabili ex cauſa, ſed ſola imperii poteſtate tum in Hollandia tum alibi loco moti ſunt, atque inter eos nonnulli quibus munus mandatum erat à toparchis, quos toparchas nemo antehac prohibuit vti quorum vellent opera, niſi per iudicii modum aliqui aut munere dejicerentur aut interdicerentur muneris functione.

Sane hac nova neque audita hactenus agendi ratione paſci potuit multorum aviditas honoribus inhiantium: ſimulque talium inventoribus propoſitum ſtipare ſe clientelis, quomodo Romanorum aliqui ſecuritatem ſuam quæſivere militibus in aliena prædia deductis. Verum hæc eadem domi foriſque ſiniſtris rumoribus differri, ac proinde non famæ tantum, ſed & ſaluti ac tranquillitati reipublicæ periculoſa eſſe, non eſt quod multis demonſtremus. Sed & alia quæ ſuper hac re prudentibus in mentem venire poſſunt conſulto

nunc reticebuntur. Tantum omittere non poſſum quin adferam ipſa procerum Federatorum verba in epiſtola qua in Angliam miſſa quarto die Februarii anno CIↃ IↃ LXXXVII de iis quæ tum in republica gerebantur querelas exponunt. *Multi*, inquiunt, *mimi pietatis, tum indigenæ, tum exteri contra leges & æquum provecti ad honores dignitatem ac gratiam per omnes nationes multa legibus & libertati contraria moliti ſunt adverſum cives, ſpretis & in ſuſpicionem adductis nationum atque oppidorum rectoribus. Quin& hoc perfecerunt, ut poteſtas atque auctoritas illis decederet, quibus ex jure debebatur, intruſis de plebe aliis qui neutiquam muneribus ſuſtinendis eſſent idonei: qui auſi ſunt & reos facere defenſores juris, libertatis, ac legum, atque eos quorum pro patriæ ſalute ac pace indefeſſum erat ſtudium.*

CAPVT X.

De oppidorum cuſtodiis.

ET ſunt adhuc qui clamitant, quorſum oppidorum cuſtodiæ? id ne vero interrogari? Omni tempore oppidis ſui fuere conducti cuſtodes, modo majore,

modo minore numero, quos hoc tempore auxerũt, ex peculiari decreto procerum Hollandiæ facto frequente conuentu, nimirum quia & neceſſitas auxerat: primum vt templa publica defenderentur contra vim priuatam, ne vbique fieret quod Hagæ factum fuerat, & quantum conjecturis erat aſſequi alibi tranſire, non poterat ſine tumultu graui, & cædis periculo: deinde vt tuti eſſent oppidani adverſus expilationem talem ex odio religionis qualis Amſtelodami fuerat conſpecta: præterea vt legum ſervaretur ſanctitas adverſus magiſtratuum vitio creationem, qualis Veteribus aquis contigerat; Nam hæc exempla ſimulque ſermonum & libellorum vulgi animos turbantium ſumma impunitas juſto metui cauſam dederat.

Obijcitur occurri his malis potuiſſe per militem ordinarium. Sane & militis ordinarij fuiſſe officium in rebus eiuſmodi parere decretis procerum in quaque natione, ac magiſtratus tutari verum eſt, & infra argumẽtis certis probabitur. Sed primum multis in oppidis, vt Harlemi, Lugduni, Hornæ nullus erat ordinarius miles. Tum vero Princeps, cuius quanta ſit apud milites reuerentia nemo neſcit, concitatus in Hollãdiæ Proceres ab hominibus privata

ſua

ta ſua commoda ſpectantibus, aperte iam dicere cœperat, nolle ſe agere quicquam adverſus eos qui Reformatæ eſſent religionis, quo nomine tum publice tum privatim ſolos appellabat Contraremōſtrantes excluſis Remonſtrantibus: quod & re ipſa confirmabat, cum ſe ipſe ſubduceret Eccleſiaſticis cœtibus quos tanto iam tempore poſt exortas controverſias frequentaverat; ſeque adiungeret gregi templi clauſtralis. Quo vero vſque id procederet, quod negabat Princeps acturum ſe quicquam contra eos qui religionis eſſent Reformatæ, apparuit ex re nata Veteribus aquis. Nam quantumcunque laboratum eſt, vt poſt multa ibi licenter acta vna adhuc militum centuria in oppidum induceretur (quando quæ iam in oppido erat ſufficere ad vim arcendam non videretur quoniam ea inſpectante tanta inſolentia & quidem diu regnaverat) Princeps tamen & alij nonnulli eo perduci nequiverunt. Sed & alij centuriones alijs in locis agitantes præſidium dixerunt aut voce aut ſcripto mandata ſe accepiſſe à Principe (inconſcijs ſane curatoribus reipublicæ Hollandiæ quibus iuxta Principem inſpectio in militem data eſt) ne magiſtratibus parerent in negotijs ex religione or-

tum ducentibus. Federati vero proceres, qui ex federe tenebantur procerum Hollandiæ, & magiſtratuum oppidanorum imperium tueri, hæc cum geri conſpicerent, ſermones ſeditioſos audirent, libellos eius argumenti legerent ipſi, tantum abeſt vt vltro ſocijs opem amicam obtulerint, menſe Septembri anni CIƆ IƆ CXVII cum iam Veteribuſaquis multiſque alijs in locis plurima per vim ac ſeditionem acta eſſent, rogati ſerio & ab Hollandiæ Vveſtfriſiæque, & à Traiectinæ legatis, vt animum ſuum expromerent de tuenda poteſtate procerum per eas nationes, nobiliumque & oppidanorum magiſtratuum contra motus vulgi, vt id facerent permoveri non potuerunt impedientibus legatis quibuſdam nationum, qui extra ordinem miſſi aduenerant. Menſe Novembri iterum non Hollandiæ tãtum, & Trajectinæ, ſed & Tranſiſalanæ nomine inſtitum eſt, ſaltem vt edicta relegerentur ac renovarentur coercendis adverſus rempublicam rectoreſque ſermonibus: ſed conatu irrito: quæ res oſtendunt manifeſte cauſas fuiſſe cur illæ quas diximus cuſtodiæ conſcriberentur. Comprobavit eaſdem ſuo teſtimonio exitus. nam ſimulatque oppida Hollandiæ (non ſine pro-

miſſo poſt id factum cuncta in tranquillo fore) cuſtodias illas dimiſerant, ſecuta eſt contra leges magiſtratuum mutatio. Sic & in apologo lupi ovibus dicebant canes diſcordiæ cauſam eſſe; quibus ablegatis pacem fore.

Ad ius vt veniam, cum natio vnaquæque, vt oſtenſum ſuprà eſt, antiquitus ius ſummum habuerit imperij, in quo & armorum ius comprehenditur; neque vero per fedus id ius ademtum ipſis ſit, ſequitur adhuc ſingulis id ius manere. Prohibet quidem Fedus bellum ſuſcipi niſi de communi conſilio. ſed longe eſt aliud bellum ſuſcipere; aliud ſeſe adverſum vulgi motus tueri. Quanquam enim tenentur ſocij ſocijs ad eam rem opem ferre, nemo tamen ea re impeditur ſibi ſuæque ſecuritati proſpicere; quod & alijs in locis eos qui communi federe devinciuntur, facere videmus quoties ita res poſtulat. Cum verò tum cauſæ, tum ius ipſum huius negotij perſpicue admodum declarata ſint in decreto quod menſe Septembri anni CIↃIↃ CXVII proceres Trajectini fecere, cum à Federatis eſſent moniti, vt cuſtodias paribus cum Hollandia cauſis conſcriptas diſſolverent & ad Federatos tranſmiſere, pretium erit operę id ipſum huic loco inſerere.

Doctores iis quæ ſint regalia: de Feudis.

Traiectinæ nationis proceres, viſis & expenſis cum cura quæ in cõventu ſuo die Veneris proxime acto à nobilibus claris atque eruditis viris Arnoldo Rantviceno Bemmelio, Cornelio Nicolaida Drilano Conſulari Rotterodamenſi, Marco Liclema Niholdio Iuriſconſulto Quæſitore partis Orientalis Stellincuervi, Georgio Apiario Toparcha, Albranſuartiæ, illis ſenatoribus in ſenatu federis, hoc vero ærarij communis curatore, mandatu procerum Federatorum, Principis Mauritij, & ſenatus dicta fuere, ac die Saturni ſequente perſcripta ac tradita: primum teſtantur gratiſſima ſibi eſſe magnoque in pretio haberi quæ nomine conventus Federatorum, Principis ac Senatus ſibi offeruntur. Grates quoque ſe agere maximas pro officijs quæ eidem Federati proceres Princeps ac Senatus anno CIↃIↃCX *fecerunt ad reſtituendam rempublicam Trajectinam, cum ſpe ac fiducia ſi qua ſimilis ingruit neceſſitas (quam Deus à natione atque vrbe clementer avertat) eoſdem ijſdem officijs non abſtituros. Sed & ſe viciſſim paratos eſſe quoties res tulerit ſocijs per vim periclitantibus præſto eſſe, & contra invaſores commodare quicquid ſuæ eſſet opis. Sed cum res eiuſmodi multis ſoleant difficultatibus implicari, ac tempore opus ſit ad auxilia decernenda, & paranda quæ in eam rem ſunt vſui: neque vero fieri non poſſit, vt incommoda interveniant quæ effectum impediant*

ſicuti in hac terra viſum eſt, quo tempore turbæ ac factiones à Comite Liceſtrio alebantur, interventu proditionis qua oppidum Daventriæ, & caſtellum ad Zutphaniam hoſti tradita ſunt, reſtitutionem reipublicæ per biennium retardatam, quo demum exacto oppreſſi atque ejecti proceres Trajectini poſt multas miſerias damna & clades tum publicas tum privatas quas alij & ipſi perſenſerant, Deo aſpirante & juvantibus ſocijs atque amicis rem effectam dedere: Rurſum anno CIↃ IↃ CX, *quanquam multum operæ inſumtum eſt, tamen in quartum menſem res exijt antequam deſtituerentur vitio creati magiſtratus, & reſtituerentur quibus leges eum honorem adiudicabant: Imo nato interea bello Brandenburgico res in periculum & incertum adducta fuerat, an effici poſſet: Tum vero pravæ molitiones ſæpe per inſidias repentinas procedunt, vt apparuit in ſcelerato conſilio cædis deſtinatæ in pervigilium Nicolai menſe Decembri dicto anno* CIↃ IↃ CX: *Adde iam quod motus tales non ita ſanantur, quin poſt ſe relinquant ſtudia partium quæ in hac natione ne nunc quidem intermortua ſunt: Has ob cauſas proceribus Trajectinis viſum in tempore occurrere, ac proſpicere ſaluti ac tranquillitati publicæ ſuæ aduerſus vim atque licentiam eiuſmodi prauorum hominum, qui nec quieſcere ipſi poſſunt, nec alios pati. Quod genus turbarum ſummo ſuo cum dolore pridem vi-*

derunt, ac nunc etiam vident ali atque augeri in oppidis & locis ſociorum atque amicorum ſuorum, at verò per pœnas iuſtas aut alio modo medicinam ei malo adferri id vero non vident. Quæ ſola ratio præter alias in epiſtola ſcripta quinto huius menſis die comprehenſas ſatis fuit, cur maluerint ipſi vti iure imperij quod intra ſuos fines ſibi competit, ac legitimis modis incendium ac ruinam talem prævenire, quam reſuſcitata atque adulta peſte ſocios (qui quod dolendum eſt ſinguli ſatis domi habent quod agant curentque) denuo ad opem ac remedia ſollicitare, & ad labores ſumtuſque huius nationis ergo ſuſtinendos impellere. Ius quippe illud imperij poſt abdicatum Regis Hiſpaniæ principatum ſemper à ſe ſervatum vſurpatumque. Cumque pactiones omnes leges atque mandata ab ipſis quoque Federatis proceribus ad eam normam compoſita ſint, neque vero vlla nationum, quantum ipſi credunt, ea de re conſulta de iure illo imperij quicquam ſit deceſſura, certum habent proceres Trajectini nemini fas eſſe quicquam adverſum id ius attentare: ac nominatim adverſus hanc conſcriptionem cuſtodiæ ad rempublicam & eius tranquillitatem tuendam, quod vnum illa reſpicit citra noxam aut fraudem cuiuſquam. Id vero facere proceribus nationis cuiuſque quoties id ex vſu iudicāt liberum eſt ſemperque fuit. Fecerunt id antehac nationum pro-

ceres & nunc quoque faciunt ſuo arbitratu: neque Federati proceres nationum proceribus ea in re vnquam impedimento fuêre. quin ex capite primo federis (cui fundamento ipſorum conventus innititur) tenentur ipſi nationum ſingularum proceribus oppidis atque membris adeſſe ope conſilio, vitam quoque & fortunas impendere, vt mores ac iura ipſorum pertinentia ad vim ſummam imperij, cuius pars præcipua eſt ſecuritatis publicæ tutela, defendant atque protegant. Proinde impedimentum adverſus hanc rem, pugnaturum omnino eſſet cum illa iurata pactione. Quod vt faciant legati nationum ad conventum federis nullam accipere potuerunt legitimam poteſtatem, cum relatione ad nationes ſingulas facta aut perſcriptis conſultandi capitibus ea de re deliberatum nunquam ſit. Et ſi ea de re deliberare placeat, quod tamen omnino inconſultum & vtilitati publicæ adverſum ab harum rerum gnaris iudicabitur, in conventibus nationum ſingularum, ad quarum conſultationem res tanti momenti pertinent, perſpicue demonſtraretur à ſocijs citra controuerſiam ſpectare hoc ad evertendam nationis cuiuſque poteſtatem, libertatem, & pacem internam, ac proinde ad commune exitium. Princeps Mauritius, vt qui præfectus eſt Trajectinæ, tali impedimento quale diximus aſſentiri nec velle putandus eſt, nec iure poſſe, quandoquidem fide data voce ac

manu promiſit ex præſcripto mandatorum quæ ipſi data ſunt, legibus ac decretis, tam ſuper religione quam ſuper rebus alijs, quæ iam facta eſſent, aut poſthac fierent à Trajectinæ proceribus, ſe vim daturum & vt detur effecturum: iuſſibus quoque & imperatis eorum pariturum, facturumque vt pareatur. Neque magis Senatus conſentienter poteſtatis ſuæ mandatis aſſentiri tali negotio poſſet, cum eorum mandatorum peculiari capite caueatur: neque proceres Federatos, neque ſingularum nationum proceres inſtitutione eius Senatus abdicaſſe imperium, ſed ſibi excepiſſe in rebus omnibus quæ mandatorum ambitu diſerte non includerentur: imo & ſalvum ſibi eſſe voluiſſe ius, quoties ſuæ nationis oppidorum membrorumque res id exigerent, eadem illa exequi quæ ſenatui mandabantur. Iam vero illud manifeſtiſſimum eſt, res vrbis, oppidorum, terræq; Trajectinæ nulli quam ipſorum proceribus eſſe notiora, neque ab alijs certius poſſe dijudicari: ſatis quoque ſollicitos eſſe ipſos vt ſe eximant oneribus non plane neceſſarijs. Sed quia modo ſermonibus ac libellis multa in ipſorum regimen ſpargi audiebantur, modo ius ipſorum ac poteſtas alijs tranſcribebantur, tum vero nec deerant qui dicerent ac ſcriberent vtcumque ipſi ſuæ ſecuritati conſultum putarent brevi longe alium futurum rebus habitum, præter alias majoris etiam momenti rationes, hæc omnia in cau-

ſa fuerunt cur cuſtodiæ decernerentur, & rite conſcriberentur. Neque vero exiſtimant ipſi cauſas vllas eſſe iuſtas, cur ordinarius miles in vrbe præſidium agitans ægre id ferat, vt qui ipſe ex ſacramenti lege teneatur, quamdiu in vrbe aut oppidis aut agro Trajectino agit, proceribus Trajectinis, & eorum imperatis obſequi. Mirum vero quod nunc adverſus Trajectinos magis in crimen vocetur ſacramēti diverſitas, quam adverſum alios apud quos ipſe ordinarius miles qui in communes Federatorum rationes venit, mandatis peculiaribus ac ſacramento peculiari adſtringitur. Neque vero hoc modo perturbabuntur rationes onerum bellicorum, cum mens ſit procerum Trajectinorum, ſupra has cuſtodias, ad alendum militem communem quæ promiſſa ſunt tributa nō minus quam cæteræ nationes inferre. Quare confidunt Traiectini proceres, neque primores Federatos, neque Principem Mauritium, neque Senatum quicquam agere velle quod Traiectinorum iuri, imperio ac libertati detrimentum adferat: ſed potius paratos eoſdem Traiectinis opem ferre quam Federis pactio exigat. Rurſum certo ſeſe illud affirmare proceribus Federatis, Principi ac Senatui, à proceribus Trajectinis nihil ipſis exſpectādum, niſi quod ab optimis ſocijs optari ac deſiderari poſſet: prout ab initio oſtenſum ab ipſis ſit, & in qua fide decretum ſit ipſis perpetuo perſiſtere, procul à propoſi-

to quicquam agendi quo ius alterius violetur aut deterius fiat. Rogari vero legatos vt hæc omnia proceribus Federatis Principi ac ſenatui benigne renuntient, & cum amica ſalute proceres Traje-ctinos ipſorum amicitiæ commendent. Actum Traiecti xvij Septēbris anni CIↃ IↃ CXVII. *Sub-ſcriptum: iuſſu procerum Æg. Ledenbergius.*

Caput illud è mandatis Senatui præſcriptis cuius in hoc decreto mētio eſt, ſic habet: *Præterea ad ſervandum ius Belgicogermanicarum nationum univerſarum ac ſingularum declarant Federati proceres ſe hac Senatus inſtitutione nolle abdicatum ius quo poſſint aut ipſi univerſi aut ſeorſim nationis cuiuſque primores quantum ad ſe attinet, vbi neceſſitas aut vſus exegerit, imperare bono publico ijs de rebus quæ Senatus poteſtati permittuntur, & imperata ad effectum perducere, regendo negotia bellica quà terra, quà mari quæque inde pendent, cenſum agendo, diſciplinam militarem conſervando, puniendo delicta, alijſque modis. Declarant inſuper res omnes ad civile regimen aut iudicia nationum oppidorumque pertinentes neque diſerte Senatui attributas manere debere penes Federatos proceres, primores cuiuſque nationis, magiſtratus oppidorum, & alios rectores legitimos intra ſuæ iuriſdictionis fines.* Notandum vero eſt hæc mandata conſulto ita concepta eſſe vitando certamini quod Liceſtricæ

præfecturæ temporibus inter Senatum nationeſque inciderat. Si ergo nationes ſingulæ aliquam etiam rerum belli curam ſibi receperunt, quis color efficiet,vt credamus abdicatum ab ijs ius ſe tuendi adverſum ſeditionesvimque aliam? Ipſi Federati proceres, Princeps & Senatus illo ipſo anno CIↃ IↃ CXVII idem quod nos cenſuerunt. Nam in reſponſo Federatorum ad illud quod recitavimus decretum Traiectinum, quod quidem reſponſum à Principe & Senatu præformatum erat, nationibus ſingulis de eo iure nulla movetur controverſia. *Vrgetis præcipue* (aiunt Federati ad Traiectinos) *ſummum imperium quod vobis intra fines veſtros competat: eoque multum differitis de iure ac poteſtate Federatorum, Principis ac Senatus. Rogatos vos volumus expendere non id quæri: quemadmodum neque legati noſtri mandatum habuerunt hac de re diſputandi, vt nec feciſſe eos confidimus. Hoc ergo vnum quæritur, an quod licet* (en verba ſatis expreſſa) *id recte & vtiliter fieri ſemper poſſit.* Deinde in fine huius reſponſi orantur Trajectini novas cuſtodias dimittere: *incolumi tamen iure ſuo & ſine vlla eius fraude aut detrimento.* Qui eo tempore in conventu Federatorum fuere (mihi tum inter cæteros honos obtigit in eo cętu pro Hollandia loquendi) me-

miniſſe poſſunt inter legatos nationum ex occaſione ſermonum quorundam diſſeri cœpiſſe an contra fedus eſſet quod nationis cuiuſque proceres ſecuritati ſuæ etiam armis proſpicerent, & ab omnibus iudicatum non eſſe, dum non eo minus promitterentur, ac perſolverētur tributa ad communem nationũ tutelam neceſſaria. Iam vero & Hollandiæ, & Trajectinæ proceres, tum in promittendis, quæ Princeps, & Senatus poſtulabant, tum in eiſdem præſtandis officio ſuo functi erant præter cæteros, & in vtroque de aliis perpetuo erant conqueſti. Tum vero legati nationum, & ij qui in conventum Hollandiæ venerant, ſimiliter poſſunt meminiſſe, quod cum Hollandi ex ſuo conventu magno numero menſe Iunio anni CIↃ IↃ CXVIII in conventum Federatorum veniſſent, Hollandorum omnium ea erat ſententia, nullum Federatis proceribus ius eſſe impediendi quominus Hollandiæ proceres, & eius nationis partes ſecuritati ſuæ proſpicerēt quomodo neceſſarium iudicarent. Erat quidem inter Hollandiæ partes aliquid controverſiæ ſuper tolerandis ſumtibus cuſtodiarum: ſed ea controverſia facile tranſactione aut compromiſſo finiri poterat, neque vero ad iuris pertinebat quæ-

ſtionem quæ hoc loco à nobis tractatur. Quod vero dicitur laboratum, vt cuſtodię iſtæ ſumtibus Federatorum haberentur, falſum omnino eſt. Anno quidem CIↃ IↃ CXVI inter Hollandos conſultatum fuit de milite ſubſidiario conducendo: ſed tum ſpes erat id ipſum cæteris nationibus placiturum, ac proinde dilectum illum, vt ſæpe olim, fieri poſſe communiter concordi decreto atque impenſa. At vero cum poſtea conſcriptæ eſſent cuſtodiæ peculiari Hollandiæ ac Traiectinæ decreto, nunquam tentatum fuit eas aſſcribere oneribus Federatorum: quin contra proceres vtriuſque iam dictæ nationis teſtati ſunt, ſuo dilectu nolle ſe augere Federis impendia, ſed non eo minus ſe iuxta nationes cæteras implere velle quod ad ſuſtinenda belli onera condixiſſent: quemadmodum videre eſt in recitato iam reſponſo Trajectinorum: & ab Hollandiæ legatis ſæpe aliarum nationum legatis ſignificatum eſt.

Quod nonnulli abſurdum exiſtimant ijſdem in locis milites eſſe diverſi ſacramenti, & diverſis imperijs parētes ex ignorantia moris ac reipublicæ noſtræ proficiſcitur. Nam cum rectores nationis cuiuſq; & partium eius in verba adacti ſint eius na-

tionis, nationes autem federe adſtrictæ inter ſe, ipſique milites Federis teneantur proceribus cuiuſque nationis & magiſtratibus obſequi, vt poſtea docebimus, ſequitur inter iuſiurandum quod Federatis, & id quod nationis cuiuſque primoribus ac magiſtratibus dicitur nihil eſſe pugnæ. Contrà vidimus etiam aliis nationibus ſæpe commodatam operam eorum quos ad ſui tutelam alia natio aut oppidani magiſtratus conſcripſerant. Par ratio armatorum municipum qui ſolis magiſtratibus oppidi ſui iureiurando tenentur, vnde nihil vnquam incommodi exortum eſt: imò ſæpe vicini à vicinarum nationum municipibus ſublevati adiutique ſunt. Neque aliud diſcrimen inter armatos municipes & oppidorum cuſtodias, hāc cauſam quod attinet, quam quod municipes gratis arma ferunt; cuſtodiæ autem mercede conductæ ſunt in ſupplementum ac levamen municipum.

Non nationes tantum iure ſummi imperij, ſed & oppida iure naturalis tutelæ tam ante hoc bellum quam poſt id exortum vſa miniſterio armatorum hominum, & vtendi ius habuiſſe, annales & acta nos docent, reſque ipſa in recenti multorum memoria eſt. Nam Comitum tempore ſole-

bant oppida Comitibus præſto eſſe certo armatorum numero quos impēſis ſuis alebant. In actis oppidi Lugdunenſis exſtat teſtatum anno CIↃ CCCC LXXXVIII conſcriptos ab oppidi ordine cuſtodes, vigintiquinque ſub ductu quæſitoris, & ſub ductu cuiuſque conſulis vicenos, quorum opera Conſules oppidum, & oppidanos tutarentur, portaſque cluderent & recluderent. Anno CIↃ IↃ LXVI Princeps Vvilhelmus Arauſionenſis, vt motus omnis intra Antuerpiam arceretur, magno eius oppidi conſilio auctor fuit, vt mille ducentos milites ſuo ære conſcriberent: quod tandem vrgente ſæpius Principe factum eſt: atque horum cuſtodum mētio eſt in pactis ſuper religione Antuerpiæ factis ſecundo die Septembris anni CIↃ IↃ LXVI, & alijs pactis quæ facta ſunt quinto die Martij anno CIↃ IↃ LXVII. Sic & rectores oppidi Amſtelodami anno CIↃ IↃ LXVII milites quadringentos in ſuum miniſterium aſſumſere: quod cum ab ipſis primum ſuæ poteſtatis iure factum eſſet, à Principe Vvilhelmo probatum eſt poſtea, vt apparet in conſilio eius quod datum eſt XXVI Martij anni eiuſdem. Etiam ab vrbe Trajecto, & clero conſcripti ſunt octingenti primum, deinde plures numero milites, vt cognoſcere

eſt ex defenſione tum Cleri, tũ procerum Trajectinorum in commune: qui milites nihil aliud quam vrbis tutelam iuraverant, vt ibidem videre eſt: neque vero illo tam ſævo atque acerbo tempore id vrbis rectoribus crimini datum eſt, quaſi adverſum ius ſummæ poteſtatis quicquam feciſſent. Id quidem didici in colloquio cum Amſtelodamenſibus habito, Principem Vvilhelmum cum probare non poſſet, vt qui tum oppido præerant, ipſique multis de cauſis inviſi & ſuſpecti erant, militem haberent ipſis parentem, & ſacramento addictum, inter cætera dixiſſe cõtrarium hoc mandatis quæ ipſi, vt Regis Vicario, & iudicum Hollandiæ conſeſſui eſſent data. Sed nec minus verũ eſt ex adverſo dictum ab Amſtelodamenſibus ſemper fuiſſe ſibi in oppidi miniſterio ad id tempus milites ſexcentos, neque verò Vicarios Hiſpanicarum partium, Comitem Boſſuium puta, Comitem Rochium, & Toparcham Hiergium quicquam imperij ſibi arrogaſſe in eos milites qui in duas centurias partiti erant. Verum & hoc eſt inſuper, poſtquam id oppidum à probatæ fidei magiſtratibus regi cœpit, non tantum in eorum miniſterio fuiſſe cuſtodias oppidi, ſed eaſdem relatas in onera communia federis, quomodo

do

do, & cuſtodias oppidorum Dordrechti & Gorinchemi. Etiam oppida Hollandiæ ad Septentriones ſita cuſtodes plures aut pauciores partim habuere, partim quaſi haberent Hollandiæ imputarunt, eo quod Federatorum vniverſitas id oneris abnueret agnoſcere. Hoc ipſo de quo nunc diſputatio eſt tempore Amſtelodamẽſes ſuorum numerum, qui ad quadringẽtos erat, auxerant ad ſexcentos inconſultis Federatis proceribus, ſed re duntaxat denuntiata reipublicæ Hollandicæ curatoribus qui dixerũt liberum eſſe oppidis id facere ſuo arbitratu dum ſuo ſumtu id facerent. Anno CIↃ IↃ LXXXVII rectores oppidi Lugduni ſupra vigintiquinque cuſtodes quos habebant antea, centum alios ſuo ſtipendio conduxere, idque ipſum vt factum ad tutelam oppidi vicinorumque oppidorum & agri, proceribus Hollandiæ (non proceribus Federatis) ſignificarunt, dictitantes eius militis impendia à corpore Hollandiæ agnoſcenda. Eiuſdem oppidi Magiſtratus anno CIↃ IↃ CI conceperunt atque ediderunt leges impoſitas militi ſuo peculiari, quarum primum caput ſic habet: *Cum neceſſarium ſit iudicatum militem certo numero in oppidi Lugdunenſis privato miniſterio haberi.* Forma autem ſacramenti ſic habet:

Pollicemur ac iuramus nos probe modeſteque victuros ex præſcripto legum quæ iam nobis prælectæ ſunt, aut in futurum prælegentur ad diſciplinam militarem pertinentes, ac cætera omnia nos facturos quæ boni ducis, militiſque officium eſt facere. Qui alijs oppidis præfuerunt itidem norunt in ijs oppidis cuſtodias fuiſſe, quarum intenſus aut remiſſus ſit numerus conſilij publici arbitratu. Magiſtratus Roterodamenſes mihi teſtati ſunt, fuiſſe ſibi ſupra annos viginti, triginta & amplius militum centuriam ſub centurionis imperio: qui & vexillo vſi ſemper eſſent quod in baſilica pendere vidi: interdum autem pleni numeri fuiſſe centuriam, interdum minutam ad ſexaginta, interdum vltra excreviſſe: & cum per incuriam dilapſa eſſet, reſtitutam vigori ſuo ac diſciplinæ: eaque omnia eveniſſe ſine cuiuſquam querela.

Iudicent nunc omnes vtri res novarint, rectores ne nationum ſingularum & oppidorum qui iuri antiquo inſtiterunt: an illi potius qui non modo nationibus & oppidis ea in re impedimēto fuêre, ſed etiam pro crimine duxerunt, quod ſomniare non potuerint quas ipſi rerum potiti leges eſſent condituri.

Manifeſtum indicium attentatę in rempublicam mutationis & hoc eſt, quod edi-

ctum conceptum à Federatis proceribus de dimittendis cuſtodiis, in Hollandia, imo in ipſo Hollandię palatio, publicatum proſcriptumque eſt cum ad ipſos Hollandiæ primores miſſum non eſſet. Ipſi noſtri olim Principes ſolebant edicta ſua non directe inde vbi agerent mittere publicanda, ſed ea mittere ad iudices nationibus impoſitos, vt ſiquid eſſet adverſum iuri nationum de eo docerentur, ſin minus, tum vt publicatio accedente eorum iudicum auctoritate per pittacium teſtata rectè atque ordine procederet:

CAPVT XI.

De ſacramento ducum & militum qui continentur in Notitia militari Federatorum.

CVm militum vſus ſit duplex, tum vt vim externam à finibus propulſent, tum vt intus adſint magiſtratibus & eorum civilibus imperijs vt pareatur efficiant, apud nos vero rei militaris cura delata ſit communitati Federatorum (non ſine cautione tamen aliqua, vt oſtendunt manda-

ta ſenatus modo allegata) cæterum civile regimen earum quæ in federe ſunt nationum manſerit penes proceres quidem cuiuſque ſummo loco, deinceps vero penes oppidorum ac locorum magiſtratus, conſequens eſt geminam apud nos eſſe militum obligationem, alteram ratione ſui muneris cuius reſpectu ſubiiciuntur vniverſitati Federatæ,alteram territorii ratione in quo degunt: ſicut iure proditum eſt poſſe eundem hominem duabus iuriſdictionibus ſubeſſe, alteri ex munere quo fungitur, alteri ex domicilii ſui loco. Diſtinctæ obligationes iſtæ etiam peculiaribus ſacramentis diſcerni ſolebant, vt videre eſt in ſeptimo capite Federis Trajectini,quod ſic habet: *Hoc ſenſu tamen, vt centuriones ac milites præter commune ſacramentum etiam peculiare ſacramentum dicant nationi,vrbi,oppidove vbi moraturi ſunt.*

Cum vero poſt hæc tempora Comes Liceſtrius, vt Præfectus vniverſalis,negotia omnia ita ad vniverſitatem federis traheret,vt nationes ſingulę id ad ſuam iniuriam pertinere cenſerent,ipſi Federati proceres die triceſimo Auguſti mēſis anno LXXXVII poſtularunt: *Vt omnes nationum ſingularum præfecti, duces maiores minoreſque cæterique milites ſeu cum imperio eſſent,ſeu gregarij,ſa-*

cramento adigerētur fidem & obedientiam præſtare nationibus in commune, Comiti Liceſtrio, vt vniuerſali præfecto, tum vero nationibus ſingulis oppidis ac partibus vbi opera ipſorum futura eſſet vſui. Cui poſtulato à Comite Liceſtrio reſpōſum eſt: *non rectum ſibi videri, vt ſacramentum præſtetur nationi alicui, aut oppido, eorumve præfectis aut vicariis: quod ea res noua eßet & in periculum patens, ipſaque ſacramentorum diuerſitas turbis, & comtemtui cauſas eſſet datura. placere tamen, vt milites præſidio venientes in oppida, ſupra ſacramētum quo ſibi Comiti & nationum vniuerſitati obſtricti eſſent, iurent ea oppida ac loca ſe rectè cuſtodituros in fide procerum Federatorum, & præfecti vniuerſalis, neque ſe quicquam tentaturos eis locis noxium.* Quod reſponſum cum ipſo poſtulato ſi diligenter conferatur, intellectu facile eſt Comitis Liceſtrij eam fuiſſe ſententiam, vt neque nationibus ſingulis, neque oppidis quicquam iuris in milites tributum vellet, etiam in negotiis ciuilis imperij, niſi quod Federatorum vniuerſitati ſubeſſet, ipſorum autem procerum Federatorum contrariam ſuper hac re fuiſſe ſententiam. At verò nationum ſingularum primores in propoſito perſtiterunt, vt videre eſt in edicto procerum Hollandiæ quod vulgatum eſt die decimoſexto

Octobris anni CIƆ IƆ CLXXXVII vbi aiunt: *Cum viderent errationem ſubortam ſuper ſacramento, poſtulare ſe, vt ex pactorum præſcripto milites fidem ſuam iureiurando addicerēt univerſitati nationum, & Comiti Liceſtrio, vt præfecto univerſali: item nationibus ſingulis oppidis ac partibus vbi vſus eſſet ipſorum operæ, vbive præſidium agitarent.*

Duas res inſuper notari convenit, quas nationum ſingularum proceres defenderunt, & in vſum perduxerunt, quo magis iuri ſuo caverent adverſus omnes in contrarium auſus: prius eſt, quod diſtributionem militis in præſidia ita voluerunt eſſe penes Federatorum vniverſitatem, & præfectum vniverſalem, vt tamen peragi ea non poſſet niſi per præfectos peculiares conſcijs proceribus nationis, aut in ea reipublicæ curatoribus. Per præfectos peculiares diſponi præſidia debere proceres tum Federati, tum Hollandiæ aſſerunt in vtroque illo libello cuius verba citavimus. Ipſos autem peculiares præfectos ea in re nihil facere potuiſſe niſi de conſilio procerum nationis, aut in ea natione reipublicæ curatorum apertiſſimum fiet ex decreto quod iam recitabitur.

Alterum vero quo nationes ſingulæ ad iuris ſui munimentum vſæ ſunt, eſt partitio

militis in diverſas federis nationes. Voluerũt enim certo numero milites pręfecto cuiuſque nationis tanquam militum magiſtro ſuppoſitos à proceribus eius nationis petere pittacium, cuius præſcripto ex peculiari nationis ærario ſtipendium acciperent, non autem pittacio communi Federatorum aut ex eorum ærario, vt milites, qui plerunque ſtipendij datores reſpiciũt, hoc quoque vinculo nationum ſingularum proceribus validius adſtringerentur. mens enim hæc erat, vt quantum eius fieri poſſet intra nationis cuiuſque fines illi locarentur, qui indidem ſtipendium acciperent.

Quod dictum iam eſt de obligatione & ſacramento duplici, de diſponendis præſidiis ex conſilio procerum nationis cuiuſque aut in ea reipublicæ curatorum, de diſpartiendis etiam copiis, inter cætera docetur decreto quod Hollandiæ proceres cum Zelandiæ legatis fecerunt anno CIↃ IↃ LXXXVII die ſexto Februarii quod quidem tale eſt.

Proceres Hollandiæ cum Vveſtfriſia, ſimulque procerum Zelandiæ legati, accuratè expenſo præſente reipublicæ ſtatu, atque iis quæ ad eius ſalutem, & peculiaris præfecturæ per dictas nationes adminiſtrationem facto opus eſt, bene

conſultato negotio, ita decreverunt. Quando antiquitus, etiam Imperatoris Caroli temporibus, præfecto ac magiſtro militum Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ hæc cura incubuit, vt oppida ac caſtella Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ tuta ac defendi idonea haberentur: inter capita verò mandatorum quæ data ſunt ſuper pactionibus cum Angliæ Regina ineundis de offerendo ipſi principatu, diſertè cautum exſtat, vt penes nationis cuiuſque præfectos vna cum eius nationis proceribus reive publicæ in ea curatoribus maneat cura oppidis ac caſtellis quæ inibi eſſent conſulendi per fida præſidia: Principi vero Mauritio iam ante Comitis Liceſtrij huc adventum à proceribus Hollandiæ cum Vveſtfriſia ac Zelandiæ delata ſit præfectura, magiſteriumque militum per Hollandiam, Zelandiam ac Friſiam, prout habet eius poteſtatis codicilli ac mandata: quæ poteſtatis delatio vt vim plenam habeat Comes Liceſtrius pati tenetur: vtetur proinde Princeps Mauritius, iure ſibi conceſſo iuxta dictos codicillos ac mandata: Comes vero Hohenloius retinebit honorem vicarij per Hollandiam, Zelandiam ac Friſiam: Curam vero belli per Hollandiam ac Zelandiam, & militis in præſidia diſtributionem idem Princeps Mauritius adminiſtrabit de conſilio procerum ibidem aut reipublicæ curatorum. Præfecti vero militares, tribuni, ductores, centuriones qui per oppida ac caſtella Hollandiæ,

Zelandiæ & Friſiæ in præſidium miſſi ſunt, aut mittentur, ac nominatim tribuni & præfecti qui adhuc conſtituendi ſunt in partibus Hollandiæ Septentrionalibus, & in Zelandia, à Principe Mauritio accipient codicillos ſui muneris ipſiſque proceribus Hollandiæ & Zelandiæ ac Principi Mauritio ſacramentum dicent fidei atque obedientiæ. atque id quam poterit primum per Hollandiam & Zelādiam effectum dabitur, diſcingentúrque ſi qui nec parentes erunt. Mutabuntur, augebuntur, minuentur præſidia per oppida, & caſtella Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ (exceptis oppidis, & caſtellis quæ Regina Angliæ accepit pignori) imperio Principis Mauritij, aut Comitis Hohenloij, vt vicarij: Neque verò per agros Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ metari aut tranſire eques pedeſve poterunt, niſi ex pittacio dato à Principe aut vicario eius de conſilio procerum nationis reive publicæ curatorum. Ac proinde quicquid in poſterum Comes Liceſtrius, vt præfectus vniverſalis Federatarum nationum, aut Senatus de cuſtodiendis oppidis ac caſtellis Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ, de mutandis præſidiis, de metatura aut tranſitu per Hollandiam, Zelandiam ac Friſiam agendum cenſebunt id Principi Mauritio ſignificabunt, vt per ipſum de conſilio procerum nationis reive publicæ curatorum effectum detur. Ad præfecturæ verò huius adminiſtrationem, tutelamque terra-

rum ac finium illico magiſterio militum Principis Mauritij ſupponentur octuaginta militum centuriæ aut tanto amplius quantum neceſſitas exiget. Petunt vero proceres Hollandiæ cum Vveſtfriſia,& procerum Zelandiæ legati,vt hæc mandata ſinguli ad ſecuritatem ac tutelam earum nationum recipiant,& vt alij ſequantur,efficiant. Ipſi verò proceres ſimul ac ſeorſim, tum vero partes, oppida atque habitatores eorum Principi Mauritio ac Comiti Hohenloio hac in re opem atque auxilium ferent, quoties aut interpellabuntur, aut res poſtulabit. Ita perrogatum decretumque eſt à proceribus Hollandiæ, & à procerum Zelandiæ legatis ſecundum poteſtatem ipſis datam. Atque in eius rei teſtimonium nomine procerum Hollandiæ cum Vveſtfriſia Scriba eorum publicus, nomine vero procerum Zelandiæ legati decreto huic ſubſcripſêre ſexto Februarij die anno CIↃ IↃ LXXXVII. *Subſcriptũ erat, mandatu procerum Hollandiæ C. Rechterius. B. Roeſſius. Adrianus Nopperus : Caſpar Vosbergius.*

Poſt abitum Comitis Liceſtrij nemo creatus eſt præfectus vniverſalis, cuius rei ignorantia multos fefellit : ſed Princeps Mauritius à proceribus Geldriæ, Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, Zelandiæ, Trajectinæ & Trãſiſalanæ factus eſt earum nationum præfectus : at Comes Vvilhelmus Naſſa-

vius à proceribus Ciſlavicanis, & Tranſlavicanis prçfecturæ poteſtatem accepit. Sacramentum quod Princeps Mauritius, vt Hollandiæ præfectus, præſtitit, tale eſt.

Polliceor ac iuro me proceribus Federatæ Belgicogermaniæ, qui in fœdere & tutela Reformatæ religionis perſtituri ſunt, nominatim vero nobilitati majoris ac minoris gradus, & rectoribus oppidorum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, qui earundem nationum ordines referunt, fidelem atque obſequentem futurum: Legibus atque imperatis in commune quidem Federatorum procerum, & ſenatus qui ad regimen commune inſtitutus eſt, aut poſtmodum inſtituetur, peculiariter vero procerum Hollandiæ pariturum, effecturumque vt à præfectis militaribus ac centurionibus & alÿs noſtro imperio ſuppoſitis pareatur.

Qua occaſione Reformatæ religionis hîc facta ſit mentio, & quomodo eius interpretatio ſit penes nationis cuiuſq; proceres antea attigimus. Cçterum patet hinc ipſum quoque Hollandiæ præfectum duplici teneri obligatione, altera Federatis proceribus, vt eis pareat in rebus communis regiminis (id eſt belli adminiſtratione ex fœderis præſcripto) altera vero Hollandiæ proceribus, nobilibus, & rectoribus oppidorum, vt ipſis fidem ac obedientiam

præſtet,& eorum leges ac decreta peculiariter ſequatur, efficiatq; vt ſequantur alij; vnde manifeſtum eſt proceres Hollandiæ hic non ſpectari qua pars ſunt conventus Federatorum (nam eo ſenſu peculiariter eos nominari nihil attinebat, imò inutile ac noxium fuerat) ſed vt qui extra vniverſitatem Federatorum ius habent proprium iubendi atque imperandi in negotijs ſuæ nationis.

In mandatis quæ eidem Principi Mauritio data ſunt, vt præfecto & magiſtro militum Hollandiæ,præcipitur ei,*vt cuſtodiat, tueatur ac promoveat iura publicæ poteſtatis,leges ac ſalutem eius nationis*, poſt quæ ſequitur, *vſus quoque Chriſtianæ religionis*, cum nulla alia notione ſtrictiore. De præſidijs autem caput tale eſt.

Præfectus cum reipublicæ curatoribus diſpiciet de præſidijs, ſecuritate, ac tutela terrarum, oppidorum,caſtellorum,portuum,amnium,aquarumque eius.

Cui convenit caput XXXI mandatorum quæ proceres Hollandiæ, & Vveſtfriſiæ reipublicæ curatoribus dedere iubens, *curent diligenter, vt præſidia ſæpe mutentur, neq; minus tertio quoque menſe.* Friſij vt intelligo proceres in hunc vſque diem ſollicite caverunt ne qua ibi præſidia mutentur niſi de

conſilio curatorum reipublicæ qui apud ipſos ſunt. In Zelandia idem antehac, & ius eſſe creditum & factitatum eſt.

Quod militum ſacramentum attinet tum quo Federatorum communitati, tum quo ſingularum nationum proceribus magiſtratibuſque devinciuntur, ex Federe Trajectino, vt ex contentione cum Comite Liceſtrio apparet, antiquitus duplex iuſiurandū ab ipſis exactum. Poſtea videtur in Federatorum conventu inſtituta formula iuriſiurandi quæ vtramque obligationem pariter complecteretur, addita & mentione eorum qui ſtipendia prębent. Verba hæc ſunt.

Promittimus ac iuramus nos proceribus Federatis Belgicogermaniæ qui in Federe ac defenſione Reformatæ religionis perſtabunt, & nominatim nobilitati maioris ac minoris gradus, & rectoribus oppidorum Comitatus & nationis Hollandiæ ac Vveſtfriſiæ, qui referunt eius nationis ordines, ſed & proceribus nationum apud quas noſtri vſus erit, rectoribuſque oppidorum tam intra quam extra Hollandiam & Vveſtfriſiam vbicunque præſidium agitaturi ſumus, fidos & parentes fore: iiſdem ſub ductu Principis Mauritij, præfecti eiuſdem nationis, nos probe ac ſtrenue militaturos: ſed & reverentiam atq; obſequium, vt par eſt, præbituros nos tum Federa-

tis; tum nationis cuiuſque proceribus, atque aliis nationum ſingularum apud quas præſidium agitabimus, aut operam noſtram navabimus præfectis, aliiſque ductoribus qui nobis præpoſiti ſunt, aut præponentur in his quæ nobis imperaturi ſunt pro tempore quo apud eaſdem nationes; & in earum oppidis vſus noſtri erit.

Hac ſub lege vſurpari cœpit, vt codicilli poteſtatis ductoribus dentur à Federato conventu, quod tamen proceres Friſiæ Ciſlavicanæ noluerunt locum habere in centuriis ſuæ partitionis.

Sed quanquam poſtrema hæc formula omnes obligationes ſatis in ſe complecti videbatur nũquam tamen, aut nationum ſingularum proceres, aut oppidorum magiſtratus ius abdicarunt centurias apud ſe morantes adigendi peculiari ſacramento ad ſui obſequium.

Inter cæteros rectores oppidi Goudani à belli initio ad inducias vſque, & poſt eas factas, huic mori ac iuri inſtiterunt, vt diſcere eſt ex hac formula antiqua, quæ adhuc anno CIↃ IↃ CXV in vſu erat, ac proinde ab optione Altirivij ibidem præſidium agentis iurata eſt.

SACRAMENTVM CENTVRIONVM QVI cum ſuis centurijs Goudam veniunt præſidium acturi.

I.

PRomittet per ſacramenti fidem centurio, ſe cum militibus ſuis huius oppidi magiſtratui fidelem, ac parentem fore.

II.

Habiturum ſe modeſte ac ſub diſciplina militem: ac proinde effecturum, vt poſt ſignum nocturnæ quieti datum omnes ſe intra tecta contineant, cum pœna in contumaces.

III.

Neque ſe, neque milites ingeſturos ſe negotijs ad oppidum, municipes, & habitatores pertinentibus.

IV.

Si quid ad notitiam ipſius pervenerit quod oppido, aut magiſtratibus damno eſſe poſſit, ſe id illico ad magiſtratuum notitiam perlaturum, vt ij conſtituant quod ex vſu erit.

V.

Centurio, militeſque alij tum promoti tum gregarij ſibi domicilium quærent, cõtenti doma-

rio ad eam rem deſtinato: ita vt magiſtratibus ea aliave de cauſa negotium non faceſſant, neque hoſpitibus iniurij ſint.

VI.

Neque ſe neque milites magiſtratibus, aut municipibus graues fore ſtipendiorum ergo, ſed ea petituros ab his quibus merent.

VII.

Curaturum ſe vt milites agro abſtineant, ne ibi populabundi agant; contra ſi fiat animadverſurum ni. faciat, ipſos magiſtratus animadverſuros.

VIII.

Neque vero paſſurum, vt milites in pometa, aut olera municipum involent, aut damnum cuiquam inferant corporis bonorumve.

IX.

Militibus ne liceat extra mœnia prodire alijs cum armis, qualiacunq; ea ſint, niſi quæ lateri accinguntur.

X.

Neminem introducturum ſe qui oppido ſit relegatus, aut quem conſules negent ſe ferre poſſe: ſi quem habeat eiuſmodi, curaturum vt exeat.

XI.

Militibus dum in oppido erunt, neque gregatim procedere, neque excubias habere liceat niſi conſulum iuſſu.

XII.

XII.

Si quid peccauerint milites, neque id vindicet centurio, magiſtratus id vindicaturos.

XIII.

Neque militibus, neque eorum vxoribus liberum ſit, lixarum titulo vinum, fæculam aut cereuiſiam cauponari, aut aliunde in domos ſuas perferre perferrive curare, vt à militibus, aut municipibus per contubernia bibatur. Secus ſi fiat, centurionem miſſione, aut alio modo, vt res exiget, pœnas ſumpturum.

XIV.

Se dum in præſidio hic erit milites non adſcripturum numeris, niſi conſulibus apparuerit de Principis Mauritij ipſorumve procerum iuſſu, ac ſic quoque ſe indicium facturum metatoribus, vt nomina diemque annotent.

Sacramentum hoc præſtitum eſt ab optione centuriæ tribunalis toparchæ Altirivij XV *Septembris anni* CIↃ IↃ CXVI. *Et in eius rei documentum huic chartæ ab ipſo ſubſcriptum eſt. Engonnes.*

Rectores oppidi Rotterodami qui antehac fuerunt moris ſemper apud ſe fuiſſe affirmarunt mihi, vt centurias ad ſe miſſas habendo præſidio portis intercluderent, donec centurio, & qui alij cum imperio militari erant ipſis rectoribus ſacramẽtum dixiſſent: Idem ex aliorum oppidorum

rectoribus intelligere memini.

Vnde perſpicuum eſt milites in notitia comprehenſos in rebus belli (quæ ipſæ tamen quantum præſidia attinet adminiſtrari debent de conſilio procerum nationis, curatorumve reipublicæ) obedientiam debere proceribus Federatis & Senatui, ac deinceps præfectis ductoribuſque. At in negotijs nationis cuiuſque obedientiam ab ipſis deberi proceribus nationis à qua ſtipendia accipiunt, ſi in eius finibus verſentur, aut alioqui eius nationis in cuius finibus degũt, ac porro rectoribus oppidorum locorumque vbi in præſidio agunt: ac poſſe eos vbi id expedire iudicatur ad eam fidem etiam peculiari ſacramento adigi.

CAPVT XII.

De his controverſiis quæ cum iudicum conſeſſibus inciderunt.

COLLIDI inter ſe conſeſſus eos quibus reſpublica, & eos quibus iudicia commiſſa ſunt ſuper poteſtatis ſuæ finibus haud novum eſt, ſed omnibus ferme temporibus, & apud gentes omnes vſita-

tum. Sed hoc mirari ſubit partes quaſdam conventus Hollandiæ de ſacris certamine eouſque abreptas, vt iudiciorum perturbationem interpretatæ ſint id quod, & olim, & nuper fecerant, & tãquam factum pro tutandis legibus ac procerum poteſtate defenderant.

Principio notandum eſt ante belli tempora conſeſſum iudicum Hollandiæ non iudicijs ſolis præfuiſſe, ſed & conſilium fuiſſe Vicario Comitis additum ad curandas res præfecturæ, vt ex mandatis ei conſeſſui datis, & multis edictis ab eodem conſeſſu olim factis ſuper civilibus negotiis videre eſt. Sed poſt ſumta arma placuit ob negotiorũ multitudinem conſeſſum erigere peculiarem ad res præfecturæ, quos reipublicæ curatores vocamus: ſicut & ad res maris regendas inſtituti ſunt conſeſſus maritimi.

Sacrorum notio ante belli tempora partim erat penes antiſtitem Trajectinum, & eius miniſtros, partim penes iudicum Hollandiæ conſeſſum, vt qui & in Eccleſiaſticos, & in alterius ordinis homines reipublicæ ſervandæ cauſa inſpectionem haberent. At bello exorto in mandatis reipublicæ curatorum poſitum eſt, *darent operam vt procerum decreta effectum acciperent*, & in

mandatis adſeſſorum Principis Vvilhelmi, quod collegium poſtea cum reipublicæ curatoribus in vnum coaluit, *curam haberent Eccleſiaſticæ gubernationis.* In appendice mandatorum confeſſus veteris iudicum, & in mandatis conſeſſus iudicum ſuperioris, quæ vtraque poſt belli exortum facta ſunt, neutri eorum notionem vllam de religione rebuſque annexis tributam legimus. Imo id tantum abeſt, vt ſuperiori conſeſſui iudicum per mandatá interdictum ſit, ne in rebus civile imperium ſpectantibus provocari ad ſe patiatur, niſi gravis cauſa aliud ſuaſerit. Evenit olim, vt ſeniores quidam Eccleſiæ Lugdunenſis à rectoribus oppidi demoti rem pertulerint ad cognitionem Principis Vvilhelmi procerumque Hollandiæ, qui quoſdam etiam cognoſcendæ cauſæ delegarunt. Verum quidem eſt cum oppidani iudices Lugdunenſes poſtea de ea cauſa pronuntiaſſent; appellatum à ſenioribus conſeſſum iudicum Hollandiæ: ſed acta cauſæ nos docet accuſatum ab ipſis iudicium, vt vitio latum ea de cauſa quod deliberante Principe ac proceribus nihil innovare licuiſſet. Quod ſi quando ſuper negotijs Eccleſiaſticis aliqua iudicum conſeſſui cognitio attributa eſt, id non ex vi perpetuæ iuriſdictionis, ſed

ex delegatione ortum cenſeri debet. Illud certe conſtat antequam hæc diſputatio cæteris ſe immiſcuit conſeſſum veterem iudicum Hollandiæ, quoties proceres id ſe velle ſignificaverant, cauſis huiuſmodi ſe exemiſſe.

Quod ſi etiam controverſum eſſet ius de rebus Eccleſiaſticis cognoſcendi, illud tamen negari non poſſet, in procerum Hollandiæ poteſtate eſſe controverſiam talem inter iudices, & reipublicæ curatores dirimere, cum ijdem proceres iudicia de indictionibus publicis ſoli curatorum reipublicæ conſeſſui attribuerint, ſicut & cognitionem de prædis mari actis collegiis maritimis, & iudicia de ſeditione rebuſque alijs dicto conſeſſui curatorum reipublicæ ſi ipſi cauſam cognoſcere occupaſſent. A proceribus autem Hollandiæ conſtitui id poſſe intra fines ſuos etiam citra aſſenſum procerum Zelandiæ, primum probatur exemplis aliquot noviter attributæ iuriſdictionis quæ à iudicum cõſeſſibus in quæſtionem non vocantur: deinde capite ſecundo primæ pactionis initæ ſuper iuriſdictione conſeſſus ſuperioris vbi hęc leguntur verba. *Ne proceres Hollandiæ quantum ad proceres, membra, ac habitatores Zelandiæ pertinet, ac viciſſim proceres Zelandiæ quantum ad*

proceres, oppida, membra, ac habitatores Hollandiæ vniverſos aut ſingulos pertinet, quicquam ſuperiori conſeſſui imperent, aut vt imperetur curent, quod ſpectare poſſit ad mutanda aut imminuenda iudicia eius conſeſſus: Nec quicquam iubeant, iuberive curent quod proceribus, membris, oppidis aut habitatoribus nationis alterius damno eſſe poſſit: at ſi iudiciorum ordo aut celeritas, aut vtilitas tranquillitaſque publica novari aliquid exigãt id communi conſilio conſenſuque fiat. Secus factum ſi quid fuerit procerum alterius nationis iuſſu, id vim nullam habeat adverſus proceres, membra, oppida atque habitatores nationis alterius qui ſua id intereſſe exiſtimaverint. Vnde irrefragabiliter ſequitur talia imperata vim habere adverſus ſubditos eius nationis, cuius nomine mutatio inſtituitur. Neque aliter hac de re ſcripſerunt conſeſſus vterque iudicum anno CIↃ IↃ XCI, cum in ſcripto quod adverſus eius anni decretum Hollandicum exhibuere non id decretum accuſant, vt vitio factum quod Zelandiæ proceres non aſſenſiſſent, ſed hoc tantum aiunt obſervari non poſſe adverſum Zelandos, vt qui ea ſuper re auditi non eſſent.

Decreta verò conſeſſibus iudicum ſignificata parem habere vim atque edicta, & conventus Hollandiæ, & nominatim Am-

ſtelodamenſes ſenſere quo tempore decretum illud anni CIↃ IↃ XCI de quo & infra agemus factum eſt. Idem apparet ex fœdere quod inter Hollandos & Zelandos ictum eſt anno CIↃ IↃ LXXVI vetante, *ne quæ citationes fiant , neu quid iudiciale exerceatur adverſus leges & decreta procerum* , & ex ſecundo capite poſteriorum pactionum iubente, *vt ſuperior conſeſſus ſequatur imperata, decreta & edicta tum huius quam illius nationis*. Atque hic obiter obſervandum decreta quæ generalem negotijs formam præſcribunt, multum differre ab epiſtolis quæ ſæpe ſuper peculiaribus cauſis importuna flagitatione, aut per gratiam eliciuntur.

Neque vero ratione carebat , quod Hollandiæ proceres , qui vt æquum erat decretis ſuis cupiebant pareri , potius reipublicæ curatoribus hanc cognitionem aſſignabant, quam iudicum conſeſſibus, non modo quia iudicum pars erat ex natione altera, Zelanda ſcilicet, verum etiam quod eorum multi ſeceſſionem ab Eccleſia publica exemplo ſuo probabant , ac proinde damnabant decreta quibus pax mutua imperabatur. Accedebat quod ſpoliatio illa quæ Amſtelodami contigerat cum iam ab eo tempore annus iudicibus maioribus cognitionis aperiens viam trãſijſſet, diſſimu-

labatur à iudicibus, quodque ſuperioris conſeſſus iudices decretis procerum Hollandiæ factis ad poſtulata Enchuſanorum (cum tamen ea in cauſa dignitatem ſuam atrociter læſam cõquererentur) parebant, decretis autem quæ aliis oppidis poſtulantibus facta erant, non item parebant: vt nunc prætereamus epiſtolas in ius vocantes à iudicibus miſſas quæ in præcepto inhibente manifeſte pugnabant cum mandatis de ipſorum iuriſdictione. Ad hæc apud conſeſſus iudicum longæ ſunt litium ſufflaminationes, cum res civiles (quibus ſemper publicum religionis ſtatum annumero) exigua mora ſæpe in deterius prolabantur: tum vero iudiciorum rigidæ ſunt regulæ, cum negotia civilia rectius ſæpe flexu quodam ac moderatione tranſigantur.

Hæc quanquam ita ſe habebant, tamen quo inter diverſos conſeſſus æmulatio vitaretur, maiori parti conventus placuit, cognitionem de rebus ſacrorum primum oppidis permittere, deinde ipſis Hollandiæ proceribus, vt ſummæ poteſtati.

Atque adeo tota cum iudicum conſeſſibus cõtentio ad duo maximè capita rediit.

Prius horum eſt, quod in Hollandia diſtinctum ſemper fuit ius imperãdi id quod

ſalus publica exigit à iudicum poteſtate. Ipſi proceres edicto quo ius ſuum Liceſtrianis temporibus aſſerebant, ſic aiunt. *Penes hos cœtus ſolos* (ordinis ſcilicet oppidani) *eſt ius deliberandi, decernendi, imperandi de rebus omnibus quæ ſtatum reipublicæ atq; oppidi tangunt. Conſulum autem officio continetur quotidiana adminiſtratio & imperium circa negotia publica, tum quæ ad curam bonorum oppidi & obventionum, tum quæ ad eius ſalutem atque ſecuritatem pertinent. At conſeſſus iudicum oppidi in iudicijs occupatur tam circa crimina quam lites exercetque omne iuriſdictionis genus, ſummum, infimum, medium.* Inter ea quæ ſtatum remque publicam tangunt antiquitus annumerata fuit poteſtas temporibus turbidis cōſtituendi de domicilio habitatorum ſine famæ aut bonorum diſpendio, ſive ex ſua regione oppidi in alteram migrare iuberentur (quod vetus conſtitutio Rotterodamēſis vocat præcipere cuiquam, vt extra ſuum oppidi quadrantem moretur) ſive etiā oppido toto ipſis interdiceretur, quod & Dordrechti & Amſtelodami factum eſt pridem adverſum viros inſignes & honoratos qui ad iudicium rem perducere permiſſi non ſunt. Eiuſdemque moris documenta tum teſtium, tum actorum fide producta memini ab Harlemenſibus, Lugdu-

nenſibus atq; aliis. Exercetur hæc poteſtas aut à cõſulibus ſolis, aut cum oppidi conſilio, eamq; poteſtatem legitimam eſſe agnovit ipſe Princeps Vvilhelmus Arauſionenſis anno CIↃ IↃ LXXXIV cum oppidorũ magiſtratibus præciperet *ſupra ius* (hæc verba epiſtolæ) *quod ipſis muneris ratione competeret, acriter advertere homines ſuſpectos, atque eis illico ſine mora præcipere oppido vt excedant, ſine exiſtimationis damno & ſalvis rebus*. Secutum eſt hanc epiſtolam anno CIↃ IↃ LXXXV decretum procerum Hollandiæ, quo ſpecialiter iubentur Conſules id exſequi ſine litis aut iudicij forma, addito quod eum in modũ Conſules conſtituerent, id effectum haberet, quantumvis contradiceretur, intercederetur, provocaretur. Etiam edictũ ſub idem tempus vulgatum eſt, prohibens ita interdictis in oppidum regredi ſine procerum venia. Sed & anno CIↃ IↃ LXXXVI inter motus Liceſtricos ſimile decretum à proceribus Hollandiæ factum eſt, & anno CIↃ IↃ XCVIII publicatum eſt edictum in eandem ſententiam, factumq; denuo decretum de ſervando diligenter edicto. Sic & poſt inducias anno CIↃ IↃ CXIII à conventu concorditer declaratum eſt durare eam poteſtatem. Neque iudicum conſeſſus ante poſtrema hæc tempora huic pote-

ſtati controverſiam movere. Mens autem fuit ipſius conventus non exercẽdam eam poteſtatem niſi vbi neceſſitas flagitaret: ſicut & paratos ſe ſemper oſtenderunt proceres ſiquis ſine cauſa tali imperio læſum ſe quereretur eum audire, & comiter tranſigere negotium incolumi dignitate magiſtratuum & oppidorum quiete. Sed videntur qui ſe querelas hac de re habere exiſtimabant maluiſſe contemta hac via inuſitatam in negotijs eiuſmodi iudiciorum viam inire, vt legitimis rectoribus invidiam crearent.

Alterum caput eſt, quod in Hollandia ea quæ iudicata ſunt à iudicibus criminalem in modum, id eſt cauſa nõ ordinata ad formam civilium litium, vim habent poſtremæ ſententiæ, neq; vlli provocationi ſunt obnoxia, congruenter mori aliorum populorum tum in Belgicogermania, tum in Germania. Minime vero hoc novum eſt, ſed antiquitus affirmatum ab ipſis Hollandiæ proceribus, vt in lite adverſum Brabãtos, quæ dijudicata eſt anno CIↃ IↃ XLIX, ab ipſis quoque Hollãdiæ totius iudicibus vt videre eſt in eorum epiſtola ſcripta anno CIↃ IↃ XLV ad conſeſſum iudicum Machlinienſem. Facta quoque huius rei mentio in beneficio quod proceres Hollandiæ à

Damhoud in praxi crim. cap. 121. Gail. lib. 1. obſ. 1. num. 27.

Rege Philippo impetrarunt anno CIↃ IↃ LXII: poſt quod tempus conſeſſus iudicum Hollandiæ anno CIↃ IↃ LXII iterum ſcribēs conſeſſui Machlinienſi tale mori iſti teſtimonium præbet: *in cauſis criminum tam apud primos iudices quam apud nos dijudicatis vbi corporis membrorumve res agitur, tamen antiquitus in Hollandia provocationem non conceſſam*. Poſt bellum ſuſceptum cum iudicum conſeſſus inciperent contra hunc morem de cauſis cognoſcere, relatione facta ab Amſtelodamenſibus anno CIↃ IↃ XCI decretum eſt: *ne ſuperior aut alter iudicum conſeſſus literas vocatæ ad ſe cauſæ emittat rogatu eorum adverſus quos criminaliter atque extra ordinem & ex ipſorum confeſſione actum erit: ſed quicquid in cauſis eiuſmodi pronuntiatum fuerit, effectum habeat, nulla appellatione aliave provocatione permiſſa*. Verum quidem eſt contra eum morem etiam tum dictum à judicum conſeſſibus licere ſibi provocationem admittere etiam cum inhibendi præcepto adverſus ſententias pronũtiatas ſuper cauſis criminaliter tractatis, additum quoq; ſe decreto non parituros, ſed à proceribus iam tum eo tempore reſcriptũ eſt, *factum id decretum re percognita, & poſt relationem ad oppida factam conſultata; quapropter ſperaſſe proceres iudices ei decreto ſine vlla tergiver-*

ſatione fuiſſe parituros. Quod ſi tamen ea in re difficiles forent, cauſas ſcripto complecterentur, vt proceres rem quomodo oporteret expenderent: interea vero iudices obſervarent id quod decretum eſſet donec aliter conſtitueretur. Poſt id libello quodam à principe aliiſque conſeſſoribus ſuperioris auditorij conſcripto, (vt & nuper factum eſt) tunc quoque non minus quam nuper eis imperatum eſt parere decreto. Zelandiæ vero proceres ad munimentum antiquiſſimi moris eius etiam apud ſe vſitati in pactione anni CIↃ IↃ XCVI clare ponendum curarunt, *Oppidis Zelandiæ ab omni ævo ius fuiſſe de criminum cauſis poſtremo loco pronuntiandi: ne proinde iudices conſeſſus ſuperioris in cauſis eiuſmodi appellationem provocationemve vllam admitterent: neque id tantum vbi ſuper reorum confeſſione extra ordinem iudicatum erit, verum etiam vbi pronuntiatum erit ſuper indicijs à quæſitore collectis.* In pactione quoque temporaria quæ poſtea inter Hollandiæ cum Weſtfriſia & Zelandiæ primores inita eſt, dictum eſt: *De cognitione conſeſſus iudicum veteris ſuper criminum cauſis, ne plus iuris is conſeſſus haberet, quam quod iam memorata pactione priori ſuperiori conſeſſui tributum eſſet.* Amplius dicam: ipſi veteris conſeſſus iudices in controverſia quæ inter ipſos & ſu-

periorem cõſeſſum de Iacobi Wittij cauſa incidit, moris illius & decreti quod citavimus pręſidio vſi ſunt. Ne verò ſub nomine cauſarum criminaliter actarum aliæ civilem in modum inſtructæ occultarentur, receptum ſemper fuit, vt proceres ad querelas oppidorum acta cauſæ ad ſe perferri curarent, vt iis viſis per homines idoneos conſtaret quis in cognitione ordo fuiſſet ſervatus. quod idem nuper quoque factum eſt. Certumque habeo, ſi ſummi conſeſſus iudices in poſtremis cauſis non minus quam in illa Enchuſana & aliis antehac multis reveriti fuiſſent procerum iuſſa & cognitionem ſuſpendiſſent donec acta perſpecta fuiſſent, ſiquas cauſas appa- ruiſſet ordinatas fuiſſe in civilem modum, futurum fuiſſe vt ex conſeſſui ſuperiori aut alteri remitterentur: atque etiam ſi patuiſſet rem tractatam in criminalem modum, tamen operam daturos fuiſſe proceres placidè componendo negotio.

Quare mirum eſt legatos Amſtelodamenſes, Enchuſanos, Edamenſes & Purmerendanos dixiſſe apud iudicum conſeſſus: *Suis oppidis probari id non poſſe vt noxa qua habitatoribus inferretur per modum agendi extraordinarium ſive criminalem à cognitione conſeſſuum iudicialium prohiberetur,*

cum illo ipſo tempore apud eos ipſos conſeſſus ipſi faterentur: *Quædam cauſarum genera procerum conventui & oppidorum magiſtratibus excepta de quibus per edicta publica & concorditer facta decreta ſatis appareret.* Nam inter ea decreta haud dubie eſt decretum anni CIↃ IↃ XCI quod conſeſſibus iudicum omnem interdicit cognitionē de his quæ ſuper actis criminalem in modū inſtitutis iudicata erunt: cuius decreti, vt iam diximus, præcipui ſuaſores ipſi Amſtelodamenſes fuerant: ſed nec Enchuſanis tam ſubito excidere potuerat, quid ipſi in Blauhulciana cauſa feciſſent,& vt rite factum defendiſſent: cum pati nollent vt iudicum conſeſſus cognoſceret de noxa quam Blauhulcius ſibi factam querebatur,eo quod oppidi ordine motus eſſet.

Dicere iudicia claudi non debuiſſe hominibus reformatæ religionis,perabſurdum eſt: cum iudiciorum ordo communis ſit omnibus terras noſtras habitantibus., cuiuſcunque tandem ſint de religione familiæ,quod & ipſa poſcit communis libertatis ratio: ita vt Reformata religio hac quidem in re nihil cuiquam aut obſtare aut præcipuum largiri potuerit.

De me vt loquar,facile patiar vt iudicum conſeſſibus tanta concedatur pote-

ſtas quantam ſimiles conſeſſus habent apud populos qui rectè gubernantur. ſed & ipſorum æquitas hoc poſtulat ne ſuccenſeant; ſi qui oppidis iureiurandi fide obſtricti ſunt oppidorum iura tueantur. Simul opto ne vnquam in exercendo ſuo munere magis impediantur, quam impediti fuere ab illis qui proxime fuerunt reipublicæ rectoribus.

CAPVT XIII.

De his quæ vitio aut inique geſta ſunt circa noſtri capturam.

AVdivimus ſupra conquerentes proceres Federatos anno CIↃ IↃ LXXXVII de his quæ iniuſte eſſent acta adverſum vindices legum ac libertatis, publicæ ſalutis ac quietis imprimis ſtudioſos; auctoribus maxime peregrinis, ſed qui tunc quoque indigenarum abuterentur opera ſub religionis prætextu. Vetuſtior hiſtoria, temporum ſcilicet ſub Albano, nos docet *ipſius imperio, captos adſeſſores tum nationum tum oppidorum in Flandria, Machlinienſi ac Namurcenſi terra, in quos novis modis, imo crudeliter*

crudeliter & inique actum ſit: & quanquam cognati, & affines atque inſuper ipſi nationum oppidorumque legati ad eam rem miſſi crebro inſtarent detentos tamen in carcere per menſes multos antequam de eis quicquam pronuntiaretur: ac poſtremo vix quicquam eis crimini datum præter negotia quæ eorum geſſiſſent imperio quibus operam ſuam fidemq; addixerant. Idem & nunc, externorum maximè impulſu gradum ſibi ad honores facientium, fieri vidimus. Oldenbarneveldius procerum adſeſſor, Hogerbetius oppidi Lugdunenſis, ego Rotterodamenſis capti ſumus, non ordine neque ex legibus: diuque detenti in carcere, ampliata ſemper cognitione: poſtremo quid tandem nobis crimini datum? Quod nobis agendum, ſcribendum, dicendum aut à proceribus Hollandiæ ſummis poteſtatibus noſtris aut ab oppidis noſtra opera vtentibus erat imperatum. At docent iura eum qui ſub alterius eſt poteſtate nō teneri earum rerum nomine quas facere iuſſus eſt, niſi res ipſæ manifeſtum in ſe delictum contineant. Quæ autem nos fecimus ea per ſe extra controverſiam illicita fuiſſe nullo colore dici poteſt, cum noſtrorum temporum rectores quibus in nos imperium fuit ita ab honoribus ſint deſtituti, vt fama ipſis integra ſervata ſit;

L. ad ea L. is dānū, De reg. iuris L. is qui §. an ignoſcatur D. vnde vi L. ſervus D. de obli. & act. L. Sed ſi vnū §. plane D. de iniuriis Iul. Clar. §. vlt. qu. 50. nū. 15. poſt Iaſ. Boſſium & alios.

tanquam nullius delicti compertis. Cum ergo ipſi mandatores nullius criminis rei agantur, quomodo æquum eſt miniſtros conveniri ? Quod egimus omne intra naturalem tutelam conſtitit, quæ non modo licita eſt, ſed & favorem meretur. Certè quicquid à nobis actum eſt, id ſui natura & extra controverſiam in delicti cauſam incidere dici non poteſt, cum legitimum id,an illegitimum eſſet,penderet à ſummi imperij quęſtione,de qua id quod nos ſenſimus,cum plurimis ſapientibus idem placuerit , ſaltem probabile quin ſit negari non poteſt , quod vnum ſufficit,vt nos in mandatis exequendis à crimine vindicet. Alioqui diſſolvetur ius omnes imperij , ſi qui in parendi conditione eſt præſtare tenebitur etiam in controverſi iuris negotiis ius ſtetiſſe ab eo cui parebitur, aut alioqui in pœnas incidere. Cum Sophocle dicere liceat.

Non vlla maior peſtis imparentia eſt:
Hæc & domos evertit & claras diu
Proſternit vrbes : ordines turpi fuga
Conturbat.

Si quis dicat conſilium à nobis datum, reſpondebo conſilium dare noſtri fuiſſe officij : eius enim rei ergo advocati ad munus,eius ergo iuramento adacti eramus, ea

de cauſa ſalarium accipiebamus. At conſilij non fraudulenti nulla eſt obligatio, vt notiſſimi eſt iuris. Fraudis animo datum à nobis conſilium non apparet. Mentium inſpector Deus eſt, qui de me ſcit, propoſitum mihi fuiſſe Hollandiæ patriæ meæ & oppido Rotterodamo fidelem operam navare iuxta receptas in vſu leges. Addā ſæpe remiſſiora fuiſſe mea conſilia quam quæ facta ſunt decreta, quæ tamen decreta, cum ſecundum ius patrium ab his quibus parendum habebam, facta eſſent, mihi erant enuntianda.

His generaliter præſtructis, peculiariter iam commemorabimus quæ vitio ac per iniuriam adverſum nos acta ſunt: atque ea primo loco quæ ad capturam noſtri pertinent: quo in negotio conſiderandum eſt qui fecerint, in quos, vbi, quomodo.

Qui capturam decreverunt, mere fuere priuati qui neque ius, neque poteſtatem habebant quenquam capiendi.

Iidem erant pars altera in hoc negotio. Nam vt omittam inimicitias quas adverſum nos gerebant, multaque certamina ac contentiones, hi ipſi erant qui Trajecti auſi fuerant, iniuſſu procerum Federatorum, cuſtodias procerum Trajectinorum eorundem ingratia diſcingere. Iniuſſu inquam

procerum Federatorum. Nam decretum XXIII Iulij die anno CIƆ IƆ XVIII factum non aliud continebat, quam *ex conventu quoſdam nominandos, vt eis legatis Trajectum proceres Trajectini ratione quam poſſet optima, aptiſſima & benigniſsima moverentur ad dimittendas quas conſcripſerant cuſtodias.* Quæ certè verba nullo modo trahi poſſunt eouſq; vt liceret ipſis dimittere militem invitis proceribus Trajectinis, eoque minus quia addebatur, *peragendum hoc negotium congruenter decreto quod factum erat die* XII, *ac conſilio quod die* XVIII *Princeps Mauritius, Comes Vvilhelmus ac Senatus dederant:* Nam decretum illud diei XII ſic habebat: *vt pergeretur in cœpta opera ad benigne dimittendas cuſtodias.* Benigne autem non fiunt quæ nolente quoquam fiũt. Conſilium vero Principis, & Comitis & Senatus erat: *vt Proceres Federati Hollandos & Trajectinos proceres atque oppida amice perſuaderent per literas aut legatione miſſa, ad dimittendas eas cuſtodias.* Hi ergo homines qui citra & contra mandatum Federati conventus in terra Trajectina rem tanti momenti peregerũt, cuius nomine ipſi accuſari poterãt, violaſſe ſummam poteſtatem nationis Trajectinæ, ex iure & æquo non aliter cenſendi erant, quam vt adverſarij eorum qui ipſis con-

tradixerant, quorum ex condemnatione ipſis abſolutio quærebatur: ita vt omnino in hac cauſa rem ſuam egerint.

Multo autem magis captores iſti infeſtum nobis animum prodiderunt, cum ſtatim à nobis captis programma ediderunt ſignatum à nemine cõtra quam fieri oportuit, quo nos inauditos, indefenſos, atroci præiudicio confodiebant tanquam multorum malorum, & adductæ rei in plurimi ſanguinis fundendi periculum auctores, addentes Trajecti detectas res maximi ad rempublicam momẽti de quibus antehac ſuſpicio exſtitiſſet, quæ omnia à vero erant alieniſſima. Nam mala quæ ex Eccleſiaſticarum quæſtionum minus æqua deciſione metui par fuerat, vitare nobis propoſitum fuerat pace mutua inter diſſentientes, atque oppida, ex mandato eorum qui nobis præerãt, tuta habere adverſus omnem vim quæ ad ſanguinem poſſet erumpere. Neque Trajecti detectũ eſt quicquam, quod non ante cognitum eſſet, quippe cum palam optimaque fide geſta eſſent omnia. In ipſa ſententia adverſum nos lata nihil plane reperire eſt, quod dici poſſet antea in ſuſpicionem veniſſe, poſtea vero eſſe detectum: ita vt apertiſſimum ſit hoc programmate id actum, vt plebs falſis rumoribus imbueretur.

Obtendunt homines illi mandatum Federati conventus:ſed fruſtra. Nam in actis nihil tale conſpicitur. Quid ipſi in arcana charta conſcripſerint, mihi ignotum eſt. ſed qui conventui adfuerunt,ſcire poſſunt nihil datum mandati, niſi forte generaliter videndi quid ad publicam quietem faceret: ſub quo ambitu certe res momenti tanti, tam nova & exẽmplo carens comprehenſa cenſeri nullatenus poteſt,vt quæ mandato ſpeciali opus habuerit. Si qua enim res inſolita & incogitata dici poteſt, hæc illa erat,quod ſeptem, octo homines eos auderent capere qui certe dignitate nihil ipſis cedebant, idque contemto tam Hollandiæ conventu, quam iudicibus legitimis.

Dicat hic aliquis quod factum erat probatum poſtea, actis etiam gratijs. credo equidem. metuebant enim quiſque veſtigia,ſpecum leonis

—adverſum ſpectantia,nulla retrorſum.

Sed præterquam quod approbatio talis metum magis præ ſe fert,quam conſenſus libertatem,notum & hoc eſt, quod ab initio non valuit ex poſt facto convaleſcere non poſſe:quod enim factum eſt,infectum fieri nequit: Et ſpeciatim iure proditum eſt, quod non antecedente iuſſu publico

I..auctoritatẽ C vnde vi & ibi Dd.

factum eſt id publicum fieri ratum habendo non poſſe.

Fac tamen mandatum, etiam ſpeciale, à proceribus Federatis datum fuiſſe, non tamen deſineret vitioſus eſſe actus defectu iuriſdictionis, Nam proceribus Federatis nulla eſt iuriſdictio in nationis cuiuſque ſubditos, multò minus in miniſtros nationis partiumque eius, quod hîc breviter dictum infra quantum ſatis eſt commonſtrabitur, vbi de iudicum datione agendum erit. Certum autem eſt capturam conſiſtere non poſſe, niſi ſubſit iuriſdictio. Adde iam factam hanc capturam non tãtum ſine conſenſu, ſed & invitis Hollandiæ primoribus, quorum ſummum in nos imperium erat: Cui conſequens eſt, ſi proceres Federati capi nos mandaſſent (quod ita ſe non habet) hunc quoque actum futurum fuiſſe, non privatum modo, ſed & federi adverſum, cum federe caveatur, ne ſocij alij aliorum iura imminuant, ſub qua generalitate haud dubie nationis cuiuſque iuriſdictio comprehenditur; ſed vt teneantur alij aliis ea in re auxilio eſſe. Imo quod amplius eſt, fuiſſet is actus hoſtilis, quandoquidem Oldenbarneveldius Hollandiæ aſſeſſor, propter libellos ac minas quibus contra ius & æquum quotidie

L. III. de iuriſdict. omn. iud.

impetebatur, ab Hollandiæ proceribus in fidem eorum ac tutelam erat receptus: ac nos quoque, vt conſiliarij non oppidorum tantum noſtrorum, ſed & reipublicæ Hollandicæ, & pars eo tempore Hollandici conventus, ipſo iure intelligi debebamus in fide ac præſidio eſſe procerum Hollandiæ. Apertiſſimum vero eſt inter actus manifeſte hoſtiles numerari, ſi quis adverſus ſummæ poteſtatis fidem publicam quicquam attentaverit.

L. quiſquis, & ibi Dd. C. ad L. Iul Maieſt. Iul. Clarus §. Læſæ Maieſt. crim. num. 5. vbi allegat Par. de Puteo & Afflict.

Præterea (quod cum reverentiæ præfatione dictum volo) ne potuiſſent quidem iure Federati proceres capturam hanc decernere, eo quod ipſi in hoc negotio partis perſonam ſuſtinerent, ipſorumque adeo res ageretur: quo impedimento iuriſdictionis exercitio tollitur, cum nemini liceat ſibi ius dicere: apud nos vero antiquitus hæc regula etiam adverſum Principem valuerit. Quod dico rem ipſorum actam evidens eſt. nam aliarum nationum legati (qui ex maiori parte ſententiarum nomen totius corporis, id eſt procerum Federatorum, ſibi imponunt) adverſum nos, & nos adverſum ipſos diſputavimus de iure procerum Hollandiæ, tum in ordinandis Eccleſiæ controverſiis, tum in tuenda magiſtratuum ſecuritate. Natio-

nes aliæ, à quibus legati illi poteſtatem ſuam acceperant, commodum exſpectare poterant ex hac ſupremi imperij contributione, quia Hollandia cum Weſtfriſia tanti eſt, quanti aliæ nationes coniunctim ſumptæ. Ac proinde aliæ illæ nationes earumque legati in hac diſputatione integri æquique non erant.

Hi qui capti ſunt, erãt eo tempore membra conventus Hollandiæ. Atqui etiam apud populos qui regnantur conventus ordinum eo advenientibus præſtant ſecuritatem: quanto magis in ea republica vbi penes conventus eiuſmodi ſumma eſt imperij, adde vbi ne in ſpeciem quidem dici poteſt quícquam à nobis durante conventu potuiſſe metui. In Hollandia habet concurſus hominum ad alluviones aliave locorum ſtagnantia ſiccanda & aggeribus claudenda, quoties publicè id conceſſum eſt fieri, ius tutelæ publicæ, & conventus procerum id ius non habebit? Accedat, quod nec ſubditi eramus procerum Federatorum, atque inſuper legum beneficio eramus exempti ab omni alia iuriſdictione præterquam oppidorum noſtrorum, quod infra commonſtrabitur: quodque fides publica, ſive expreſſa vt quæ Oldenbarneveldio erat data,

ſive tacita vt quæ nobis competebat, efficiebat nos à captura immunes, niſi præceſſiſſet eorum conſenſus ſub quorum fide eramus, id eſt procerum Hollandiæ.

Locus ipſe in quo capti ſumus non modo in territorio erat Hollandiæ, ſed in ipſo Hollandiæ palatio, in fundo fiſcali Hollandiæ, vbi nemo iuriſdictionem habet niſi Comitatus Hollandiæ, & qui eam Comitatus nomine exercent. Sollicitos pro eo loco fuiſſe Comites Hollandiæ apparet, cum is vnus in omni Hollandia exemptus ſit omni alij iuriſdictioni, ſoliſque ſubſit iudicibus Comitatenſibus, id eſt conſeſſui iudicum Hollandiæ. Vt vero Federati proceres, qui ne pedem quidem ibi proprium habent, ſed ibi morantur beneficio procerum Hollandiæ, in ea parte quam proceres Hollandiæ ſuo vſui receperunt ius dicere poſſent inconceſſu procerum Hollandiæ, à iuris ratione manifeſte abhorret. Neque vero ſanari hoc vitium poteſt multo poſt ſecuta ratihabitione, tum ob cauſas quas ante diximus, tum quia ea ratihabitio non obtenta eſt niſi per mutationem rectorum contra leges factam, qua de re & actum eſt ſupra, & infra iterum loquendi erit

locus. Sed enim ante hanc mutationem, etiam ipſo illo die quo decreta erat captura, conqueſti ſunt proceres Hollandiæ ſuam iuriſdictionem violari:ſicut & rectores oppidorum Lugduni ac Rotterodami poſtea à Principe poſtularunt, vt Hogerbetius & ego ipſis traderemur, quorum mandatu ac nomine Trajectum profecti eramus.

Enormis eſt & ipſe capiendi modus. Ego ex curatorum reipublicæ exedra, qui & ipſe locus proprius eſt procerum Hollandiæ, Oldenbarneveldius ex ipſo veſtibulo, Hogerbetius quoq; ferme indidem, & cum iam in conventum iturus eſſet, exciti ſumus falſo nũtio, velle Principem nos conventos, quomodo olim Comes Boſſuius Iacobum Endium Hollandici conventus eo tempore adſeſſorem ceperat. Iuriſdictionis actus per dolum expediri non decet,imo ſentiunt iuriſprudentes ſiquis verbis doloſis ex tuto loco elicitus fuerit,eum eximendum vinculis & reddendum priſtinæ libertati. Princeps qui in Hollandia nullum ius habet niſi Vicarij, & magiſtri militum ex codicillis procerum Hollandiæ,non autem ex codicillis procerum Federatorum, qui promiſit nobilitati maiori ac minori,& oppidorum rectoribus fidum

ſe & obſequentem fore, qui ex mandatorum formula neque in rebus iuris dicundi quicquam agere poteſt niſi præſente iudicum Hollandiæ conſeſſu, neque in negotijs ad rempublicam ſpectantibus, niſi cum proceribus Hollandiæ, reipublicæve eorum curatoribus, rite atque ex legibus huic negotio impendi non poterat.

Ad modum illud quoque pertinet, quod capti ſumus cum nulla inquiſitio præceſſiſſet. Notũ autẽ eſt ex antiquiſſimo ſemperque obſervato per Hollandiã iure, neminẽ criminis cauſa detineri capive poſſe ſine inquiſitionis anteceſſu, extra quam ſi quis in ipſo delicto fuerit deprehenſus, aut ſi alter quiſpiam de eo queſtus apud iudicem fuerit. In delicto nos deprehenſos nemo dixerit: veniebamus enim ad conventum, cum mandato pacis cauſa quidvis concedendi. Queſtum quenquam de nobis ne id quidem verum eſt: ni quis proceres Federatos conqueſtos dicat, qui, ſi ita ſit, ipſi de captura cognoſcere non potuerũt. nam nemo apud ſe querelam adverſus quenquam inſtituere poteſt. Inquiſitio vero fieri demum cœpit poſt nos captos: neque per quæſitores aut iudices publice conſtitutos, ſed per eos ipſos qui contra leges nos capiendos decreverant. Iam vero ab Hol-

landiæ iudicibus ſemper iudicatum eſt, capturam quæ non prægrediente inquiſitione facta ſit adeo ipſo iure nullam eſſe, vt per ſequentem inquiſitionem confirmari nequeat, ſed ſemper ea rei ſpecie iuſſi ſint in libertatem reſtitui qui capti fuerant. Si capturæ cauſa petatur ex his quæ nota erãt omnibus, vt de auctis cuſtodijs, Synodo recuſata, & ſimilibus negotijs; ea vero nos nihilo magis quam alios ſpectant, imo minus nos, vt qui alijs miniſterium debebamus, ac proinde non poterat captura noſtri, aliis in libertate relictis, huic fundamento inædificari. Hoc ius, neminem ſine inquiſitione antecedente capiendum, tãti habitum eſt à nationum noſtrarum proceribus, vt inter reipublicæ fundamenta allegatum ſit in omnibus orationibus ac libellis factis contra Hiſpanienſem inquiſitionis modum, qui ſuſpicione perſtrictos capi permittit, & in captos inquiri.

CAPVT XIV.

De his quæ vitio aut inique geſta ſunt poſt nos captos ante datos iudices.

POſtquam capti eramus, diu in vaſta ſolitudine relicti ſumus, antequam nos

quiſquam conveniret, quanquàm multæ ad promovendum negotium interpellationes à nobis factæ ſunt; poſt ſemel atq; iterum auditi, rurſumque per dies plurimos ampliati ſumus, & intercluſi interim ab omni amicorum commercio conſilioque. Atque ita tracta res eſt vltra menſem ſextum antequam iudices in nos darentur, ac proinde antequam iudicio cum nobis agi inciperet; contra leges & mores antiquiſſimos, qui & Margaritæ Auguſtæ Principis Hollandiæ lege tam Septentrionalibus quam Auſtrinis Hollandis conceſſa firmati ſunt. Ea lex ſic habet. *Quiſquis noſtro nomine capitis arceſſitur, convenitor intra ſeſquimeſtre tempus poſtquam delatus eſt, aut reatui eximitor, ni claſſis procincta ſit, tum fiat id intra tertium menſem aut reatui eximitor.* Vnde apparet, quanti maiores noſtri hoc ius fecerint, qui nullam exceptionem admittere voluerunt niſi publicæ expeditionis; & hanc quoque non vltra quam, vt tempus duplicaretur prohibita mora longiore. Conſentit huic legi vſus perpetuus, & ſi quandò quæſitores voluerunt captos diutius detinere aut trahere quæſtionem, ſemper conſeſſus iudicum Hollandiæ iuſſit captos ſiſti iudicio, aut vinculis ſolvi. Par conſuetudo apud finitimos, & nomi-

natim apud Trajectinos in quorum perſcriptis moribus caput hoc reperitur. *Illico poſtquam captus quis erit, inſtituitor quæſtio: nec ante eam factam cuiquam propinquorum aut alteri colloquium, aut aditus ad captivum dator, niſi in conſpectu eorum quos quæſitor & iudices ad eam rem delegaſſint.* Longa captivorum ampliatio vnum eſt inter graviſſima in quibus Dux Albanus leges patrias perrupiſſe arguebatur. Neque negari poteſt, quin quod contra leges publicas adeoque notas committitur ipſo iure nullũ ſit cum omnibus conſequentiis.

Qui medio hoc tempore quæſtionem exercuerũt, non habebant iudicum poteſtatem: ac proinde quod coram illis actum eſt, pro legitima quæſtione haberi non poteſt. Nam quæſtio, vt quæ vim habeat litis conteſtatæ, niſi apud iudicem peragi nón poteſt. Neque vero ad interrogata reſponſum à nobis eſt, niſi interpoſita teſtatione, ne fraudi id nobis eſſet in his quæ ſuper competenti iuriſdictione dicenda arbitrabamur. Hinc ſequitur, ſuper his interrogationibus atque reſponſionibus non potuiſſe à iudicibus ius reddi, niſi coram ipſis iudicibus eæ interrogationes atque reſponſiones relectæ eſſent, quod nos, citra detrimentum præſcriptionis adverſus iu-

dices,fieri debere diximus, neque tamen factum eſt: atque nihilominus inſerta ſententiæ ſunt multa, de quibus ſedentibus iudicibus nulla vnquam mentio facta fuerat. Verè profiteor me ſuper decima parte eorum quæ ſententia continet poſt datos iudices non interrogatum: cum tamen dixerim prius interrogatorum atque reſponſorum rationem haberi non poſſe,niſi eadem mihi præſentibus iudicibus prælegerentur, copiaque mihi daretur ſenſa mea vberius explicandi:quod eo erat magis neceſſarium,quia in illa ante conſtitutū iudicium quæſtione,ſæpe cū defenſionis meæ cauſas dictare vellem,prohibitus fueram, edictumque ne niſi nudè ajendo aut negando reſponderem: ſed cum promiſſo poſtea dandum mihi tempus ac facultatem me ſuper ſingulis defendendi, quod tamen factum nūquam eſt. Noti autem iuris eſt ſuper confeſſione extra iudicium facta,aut etiam facta coram alio iudice,à negotij iudice ferri ſententiam non poſſe,niſi quæſtione apud ipſum repetita.

Iul. Clarus §. fin. quæſt LV. num. 1. & 2.

Ex illa quæ extra iudicium in nos habita erat quæſtione eo minus iudicari de nobis poterat, quia pars maior eorum qui quæſtioni adfuerant (paucos enim exemptos volo, qui pravum hoc inſtitutum conſpicati

ſpicati tempeſtive ſe negotio ſubduxerunt, profeſſi apud complures nolle ſe ea re animi ſui religionem offendere) adverſarij noſtri erant. Prima in me & Hogerbetium quęſtio habita eſt cum ex Hollandia nemo adeſſet: quod à iuris & æqui ſpecie manifeſte declinabat. Tum vero qui huic & cæteris quæſtionibus adfuere, eidem ferme erant qui Trajecti cuſtodias iniuſſu Federatorum procerum, & nolentibus primoribus Trajectinis diſcinxerant: qui clandeſtina coitione capiendos nos decreverant: qui nos falsò criminati erant in programmate cui nomina ſua ipſos ſubſcribere pudebat: quibus illi ſe poſtea addiderunt qui contra voluntatem ac decretum procerum Hollandiæ, ſummam in nos atque ipſos poteſtatem habentium, ſe Trajecti adiunxerant legatis aliarum nationum, vt eos in propoſito adverſus proceres Hollandos ac Trajectinos obfirmarent: qui & inaudito ad id tempus exemplo effecerant, vt oppida Hollandiæ contra id quod pars maior conventus Hollandici conſtituerat in ipſo Federatorum conventu ſuam ſententiam dicerent. Hi ipſi tum ex Hollandia, tum ex alijs nationibus, in ipſa quæſtione non delegatorum æquitatem prætulerunt, ſed partis adverſæ

ſtudium, ſæpius obtundendo atque interpellando, non ſine turbulentis clamoribus, ita vt loquendi libertas non eſſet, aliiſque modis infeſtum animum nudantibus, per quæ factum eſt vt poſtea relegi quæſtionem noluerint, eos reveriti qui minus iniqui ad numerum acceſſerant.

Et cum non ſatis infenſi nobis crederentur hi quibus publice munus accuſandi iniunctum erat, ſpeciatim in nos delecti ſunt vnus è Traiecto, (qui à Ledenbergio læſum ſe exiſtimabat) alter ex Geldria qui ex noſtro exitio profectum ſuum ſperabat & reperit, tertius ex Hollandia præcipuus Oldenbarneveldij inimicus, cui & mortui ſpolium, adſeſſoris Hollandiæ dignitas, obtigit.

Et hoc iure proditum eſt, nec iudicibus nec quæſitoribus fas eſſe capto tormenta comminari niſi ex iudiciali decreto, cum ipſe tormentorum metus tormentum ſit quoddam. Contra hoc certiſſimum ius, ſine decreto Federatorum procerum, ante iudices conſtitutos, ne ex eorum quidem communi conſilio qui præerant quæſtioni, imo nonnullis inſciis, comminatio talis non ſemel & acribus verbis adhibita eſt. Cumque dubitari nequeat quin Ledenbergio idem incuſſus ſit metus, facile

hinc intelligi poteſt quis mortis eius cauſam dediſſe cenſeri debeat: neque illud iuris ambigui eſt, quod ab animi minus robuſti hominibus in manu inimicorum poſitis poſt illegitimas minas ipſis adhibitas perpetratur ad crimen probandum non ſufficere.

Paucis diebus poſt me captum vxor libellum obtulit, vt adeſſe mihi permitteretur, & mecum in cuſtodia manere ad cauſæ definitionem, ſed repulſam tulit. Poſt id in graves & periculoſos morbos incidi: nunquam tamen coniugi permiſſum eſt me aut videre, aut alloqui, ne quidem arbitris cuſtodibus. Cum ſecunda in nos quæſtio eſt habita, charta nobis, & atramentum ſubducta ſunt, atque ita detenti ſumus per menſes ſex; nec omiſſum quicquam eorum quæ ad nos vlterius vexandos ſpectare poſſe videbantur.

CAPVT XV.

De his quæ vitio aut inique acta ſunt in dandis iudicibus.

VEntum eſt ad eorum qui ſe iudices vocant dationem: circa quam duo

ſpectanda, qui dederint, quique dati ſint.

Dederunt Federati proceres, quibus ius dandi non fuit.

Cum enim iuriſdictio omnis fluat ex iure ſummæ poteſtatis, idque ius ſemper fuerit, & poſt fedus manſerit penes nationes ſingulas, non poteſt Federatis proceribus vlla eſſe iuriſdictio in nationis cuiuſque ſubditos. Federis naturam habet vinculum illud quo nationes inter ſe connectuntur. Fedus autem per ſe iuriſdictionem non tribuit, ni diſerte cautum id ſit, aut per conſequentiam manifeſtam, vt cum alter alterius maieſtatem obſervare tenetur, ac proinde in federe ſuperior alter, alter verò inferior eſt. Hoc vero noſtrum fedus æquale eſſe apertum eſt: neque vero communitati Federatorum in nationes ſingulas earumve cives iuriſdictio vlla attributa invenitur. Verum quidem eſt communitati Federatorum coerctionem eſſe in nationes non implentes ea quæ ſunt federis, ſed ea coerctio non ex ſuperiore quodam imperio oritur, ſed ex naturali libertate quæ omnibus ſummis poteſtatibus in æque ſummas id iuris concedit. Et hanc coerctionem habet Federatorum vniuerſitas in nationes ipſas cum quibus contractum eſt, non in cives natio-

Bodín de rep. lib I. c. vII lib. v. c. vI. Menoch. de arb iud. quæ. lib. I. quæſt. 100 Vvarã. ab Eremb. de Federibus parte I. c. 3II. nu. 44. & cap. Iv. nu. 16.

num ſingularum, quibus ſufficere debet, ſi ſuæ nationis poteſtatibus parent atque earum imperata exſequuntur. Exemplum ſumamus à ſubditis Principum Federatorum Germaniæ. obedientiam debent ſuo quiſque Principi. At ſi quis Principum deſit implendis quæ fedus exigit, poteſt is à Principibus aliis ad fidem ſervādam cogi. Aliter ſi accipiatur negotium, per fedus reipſa damnum feciſſent nationes ſingulæ libertatis iuris & legum, quæ tamen tam anxie ſanĉteque ſalva fore ſtipulatæ ſunt. Nam leges ipſæ vocem non habent. Quod ſi qui eis vocem ſuam commodant ſuæ nationis imperio atque vtilitati, rationem actus ſui aliis quam ſuæ nationes reddere tenebuntur, neque nationes miniſtros neque leges patronos invenient. In hoc ſita eſt vis imperii, ne ratio alii quam imperium habenti reddatur, Secus ſi eſſte, miniſtri ac cives nationum iureiurando adſtringi debuerant, non in verba procerum ſuæ nationis, ſed in verba procerum Federatorum. Ita cognitum cuique fuiſſet quid ſequi deberet. Sed vt iuramento fides, & obedientia nationis proceribus addicatur, deinde verò quod eius ſummæ poteſtatis imperio factum eſt, de eo vt cauſa ſit dicenda apud poteſtates alias, perquam eſt

abſurdum & in ſe ſibi mutuò adverſantia continet, & ſubditos omnes in periculum adducit aut periurii, aut malæ tractationis. Si Federatis proceribus ius eſt ſummi imperii in cives & miniſtros nationum, id omnibus clarè ſignificatum oportuit, ne per ignorantiam iuris vitam amitterent aut libertatem. Si non habent, tutus eſſe debet qui ſuæ nationis primoribus paruit, ita tamen vt ſociis ius ſit conveniendi eoſdem nationis primores vniverſos ſiquid adverſum fedus factum exiſtimant.

Federis tabulæ, in quibus omnis poteſtas procerum Federatorum fundata eſt; ipſis Federatis proceribus nullam attribuunt iuriſdictionem, aut in nationes, aut in ſubditos eius. Nam capite primo non modò nationibus ſervantur iura ſua atque libertas, (in quibus certe etiam comprehēſa eſt iuriſdictio ipſis ſolis in cives ſuos competens) ſed & hoc dicitur: *ne ſocij ſe immiſceant controverſiis quæ inter nationes diverſas ſuper legibus, iure, libertate, conſtitutionibus, moribuſque ipſorum naſcuntur, niſi conciliationis faciendæ cauſa ſe velint interponere.* Atque ita ius habitum, ita vſurpatum fuit, orta contentione inter proceres Geldros & Hollandos de Dalemo, & in ea controverſia quæ Hollandis cùm Friſiis & Tranſila-

lanis incidit de ſinus Auſtrini piſcatu. Decimo vero ſeptimo dicti Federis capite dicitur, *nationes ſingulas tam externis quam civibus ius æquabile dicturas: ni fiat, ſocios comiter operam daturos vt fiat.* Quod ſi etiam hoc pactione comprehenſum non foret, ſatis eſſe debebat quod in contrariam partem nihil pactũ eſſet, cum, ſi abſint novæ cõventiones, res cenſeri debeat manere in ſtatu quo fuerat. Amplius dicitur nono federis capite, res induciarum, pacis, belli, indictionum & tributorum ab vniverſitate federis regendas ex cõſenſu communi nationum: *demto ſi forte nationes de rebus induciarum, pacis, belli, aut tributorum inter ſe conſentire non poßint, ea controverſia vt pro hoc tempore referatur ad præfectos, inque eos compromittatur.* Decimo ſexto autem capite cavetur. *Si inter nationes cõtroverſiæ, diſſenſionis, aut litis aliquid oriatur, qua de re inter ipſas convenire nõ poßit, id, ſi peculiariter nationes aliquas tangat, componitor ac tranſigitor opera cæterarum nationum, aut quibus eæ nationes id negotij dabunt: quod ſi res nationes omnes ſpectet opera præfectorum, ita vt nono capite dictum eſt.* Rurſum capite XXI. *Si quid in his ambiguum aut obſcurum reperiatur, vnde contentiones ac lites oriri poſſent, ius interpretandi penes ſocios federis eſto, qui communi conſilio atque conſenſu conſtituent quod fa-*

ctu opus exiſtimabunt: quod ſi inter ipſos convenire nequeat, conſulant præfectos in modum ante commemoratum. Si communitati Federatorum vera iuriſdictio data eſſet, nihil attinebat monſtrari vias tranſactionis, &c, ſi ea non ſuccederet, compromiſſi. Nationes mediæ & ſi eæ deſint præfecti (nimirum ſi ipſorum quoque nihil interſit quomodo finiatur controverſia, quam exceptionem & rationis paritas & æquitas naturalis ſatis indicant) commonſtrantur, vt conciliatores, aut arbitri rerum inter nationes litigioſarum: non vt iudices impoſiti nationibus, multo minus civibus nationum, tantum abeſt vt criminum ſint cognitores.

Poſt fedus nihil ſpecialius inter nationes de iuriſdictione convenit. Neque vſus etiamſi probaretur (qui tamen non probabitur) ius faceret, cum legati nationum ſine particulari ipſarum mandatu ſummum earum imperium neque tranſcribere neque imminuere potuerint. Quod plus eſt, multa Federis capita, vt quintum & ſextum de tributis, octavum de cenſu agendo omnium qui militaris eſſent ætatis; viceſimum quartum de iurando in fedus, vi ſua caruerunt, quia poſt fedus conceptum, nationes eam in rem non

aſſenſerunt. Sed enimvero multum abeſt, vt probari vſus poſſit intra eos fines qui negotio noſtro aptari poſſint. Nam in quos antehac ius à proceribus Federatis dictum fuit, aut externi fuerunt peregre primum adventantes, aut hi qui operam Federatorum communitati addixerant, vt milites ſimileſque alij, aut ſubditi partium Brabantię & Flandriæ, in quas partes communitas Federatorum omnes ſummi imperii actus exercet, quomodo nationum proceres in ſuas nationes, tam in condendis legibus, quam in exigendis tributis: quod ius Federati proceres in vllā ſeptem nationum exercere ne conati ſunt quidem. Sed vt primores Federati pro ſui imperij poteſtate ius dicant in ſubditos cuiuſquam ſeptem nationum, atque adeo in miniſtros eius publicos, & de negotiis geſtis auctore natione ipſa, novum plane eſt, & antehac inauditum. Dicitur Houſlinus quondam imperio Federatorum procerum captus: ſed dimiſſus ſuæ nationis poſtulatu. Trajecti anno CIↃ IↃ cx iudicium expeditum eſt per delegatos procerum Federatorum, procerumque Traiectinorum & per iudices vrbicos. Sed ibi iudex ordinarius, quo magis extra ſuſpicionem ageret, opem ac pręſentiam ſocio-

rum depopoſcerat, ſine fraude legitimæ iuriſdictionis: quomodo & Delphis olim iudices oppidani aliquos ex conſeſſu iudicum Hollandiæ ſibi adiunctos habuere.

Præter vero quod proceribus Federatis ius non fuit iudices dandi, etiam nationes ius habebant contrarium, quod locum haberet etiamſi proceres Federati in ius Principum ſucceſſiſſent, quod ita ſe non habet. Nam ab omni ævo nationes ius habuerunt de cauſis non evocandis, id eſt de non avertenda cognitione à legitimis nationis cuiuſque iudicibus ad ipſum Principem. Philippus anno CIↃ CCCC LII proceribus Hollandiæ neceſſe habuit promittere neque ſe, neque ſenatum ſuum cauſas evocaturũ niſi eius generis quæ domi expediri non poſſent, quales quæ ſint ibidem explicatur: Poſt anno CIↃ CCCC LXXVI Maria Dux Burgundiæ pro ſe & ſucceſſoribus ſuis pollicita eſt manſuros proceres ſingulorum in iure non evocãdarum cauſarũ. Ac ſerius anno nempe CIↃ CCCC LXXX eadem Princeps fæmina cũ marito Archiduce Maximiliano ſpopondit, *cauſas omnes atque lites in Hollandia naſcentes, & quæ ad cognitionẽ quæſitorũ maiorũ minorumque, aut his ſimilium non pertinerent, definitum iri à Vicario & conſeſſu iudicum Hollandiæ qui quoque tem-*

pore futuri eſſent,prout veteres leges imperarent. Quod ſi quæ lites cauſæve per evocationem, aut aliter pertractæ fuiſſent,poſtmodumve pertraherentur ad Principem aut ſenatum eius, in iis ne procederetur: ſed remiſſio fieret ad Vicarium & conſeſſum iudicum Hollandiæ, vt per eos primitus definirentur ex dictarum legum præſcripto. Oppidum Amſtelodamum,vt & alia Hollandiæ oppida,cum anno CIↃ IↃXLIX iuberetur mores ſuos perſcriptos exhibere,huius iuris tanquam intet Hollandica præcipui mentionem non omiſit. Qui conventui Federatorum procerum interfuerunt, ſciũt à nationibus diverſis, ac nuper etiam à Tranſlavicana, ius ſimile de cauſis non evocandis allegatum fuiſſe,& locum ei à proceribus Federatis datum.Neque omittendum leges has adverſus proceres Federatos multo magis eſſe neceſſarias, quam olim adverſus Principes fuerint.Nam Comes Hollandiæ iureiurãdo obſtrictus erat, omnes Hollandiæ leges tueri,ita vt in cauſis etiam ad Principem excitis civis Hollandus retineret iura cætera ad defenſionem ſui ſpectantia:cum Federati Proceres nunquam iurarint in leges Hollandiæ, ac proinde per cauſæ evocationem civis Hollandus,non vnum illud ius duntaxat, ſed alia quoque iura amitteret.

Federati proceres cum& deliquium hoc iuriſdictionis penes ſe, & nationum leges contrarias non ignorarent, dari à ſe iudices profeſſi ſunt, *ſine fraude iuris quod aut communiter, aut ſpeciatim nationibus competeret*, vt conſpicere eſt in decreto quod fecerunt die XIX Novembris anni CIↃ IↃ CXVIII. Quæ adiectio tacitam quidem continet confeſſionem rei novæ & illegitimæ, cæterum non aufert noxam in re ſitam, quia ipſa actus natura verbis reluctatur.

Sed & Hollandiæ proceres facile viderunt quantum hæc res à iure deflecteret, atque ideo decreto ſuo facto fine Ianuarij menſis anno CIↃ IↃ CXIX conſtituerunt, *ne ea res perduceretur ad conſequentias, aut exemplum fieret in fraudem legum, ſummique imperij ac libertatis Hollandiæ, atque eum in finem vt cautio conciperetur quæ eſſet optima & Actis inderetur.* Quæ poterat evidentior haberi confeſſio qua pateret rem hanc legibus congruentem non fuiſſe?

Nec eſt quod quiſquam exiſtimet, tali conſenſu convaluiſſe iudicum dationem, nam proceres Hollandiæ antequam mutati eſſent agi contra nos cœptis contradixere: atque ipſi poſtea, vt & hic conſenſus atque alia obtinerentur, mutati fuerunt. Non poteſt vitioſus actus alter

alterum ſanare. nec quiſquam conditionem ſuam meliorem facit contra leges faciendo.

Quod ſi etiam ſine mutatione proceres ijdem manſiſſent, adhuc illud eſſet conſiderandum, ſummum imperium non poſſe alienari ab eo qui id imperium habeat. Iudices conſeſſus ſuperioris paulo antequam hæc fierent in libello ad proceres Hollandiæ liberaliter diſſeruerant, exceptiones quas oſtenderet lex Philippi Ducis poſteriori lege Maximiliani ac Mariæ fuiſſe ſublatas, ac proinde omnem ſimpliciter cauſarum evocationem interdictam, quod ipſum eouſque extendebãt, vt ne proceribus quidem Hollandiæ permiſſum vellent cognoſcere de civiũ cauſis, aut qui cognoſcerent delegare, etiam vbi duntaxat de arcendis oppido quibuſdam ageretur ſine famæ bonorumve iactura. Hic verò non de oppidi vnius interdictione agebatur, ſed de vita, de libertate, de fortunis hominum, non de plebe, ſed qui publicis honoribus eximiis fungerentur: neque illud quærebatur an ipſi proceres Hollandiæ aut ab ipſis dati iudices eiuſmodi cauſas cognoſcere poſſent, ſed an ea cognitio ad Federatos poſſet transferri. Quid ergo de hoc negotio iu-

dices illi dicere poterunt,ſiquidem ſtabũt ſuis pronuntiatis, niſi apertam hîc eſſe legum perruptionem, & rem eiuſmodi in quam proceres Hollandiæ conſenſum præbere legitimum non potuerunt?

Supra legem hanc nationis communem, ſunt & propriæ oppidorum: ſicuti municipibus Lugduni conceſſum eſt,ne de criminibus iudicem alium habeãt quam oppidanum: cumque Dux Albanus erecto novo tribunali ſub Maieſtatis nomine hanc legem everſum iret,oppidi iſtius, vt & aliorum nomine, denuntiationes ſunt interpoſitæ. Lex ſimilis eſt apud Rotterodamenſes, etiam hoc adiecto valituram legem etiam ſi quis municeps alio in loco deliquiſſet dummodo inde abiret non accuſatus. Ego vero Rotterodami:Lugduni Hogerbetius omne ius municipum conſecuti eramus.

Si dicat quiſpiam in noſtra cauſa huic iuri fuiſſe renuntiatum ab oppidi ordine, primum id non liquet. Imo notum contra eſt paucis poſt nos captos diebus ad has leges apud Principem ab oppidorum Lugduni & Rotterodami legatis fuiſſe provocatum,ipſumque,vt Vicarium Hollandiæ, interpellatum, curaret vt nos earum legum effectu frueremur. Hinc pa-

tet quæ voluntas oppidorum fuerit, non ex eo quod poſtea mutatis rectoribus effectum eſt. In maximum certè periculum adducuntur, & civitatũ rectores & miniſtri, ſi rebus contra leges novatis miniſtris ſubducentur mandatores, & aliis immiſſitiis in ipſos poteſtas dabitur. Grave eſt, aiebat Cato, apud alios cauſam dicere cum inter alios vixeris. Sed ne poterat quidem oppidi ordo huic iuri renuntiare in fraudem noſtri qui adſeſſores eorum eramus: quia legum ius ad nos devenerat ex contractu, quem cum decurionibus oppidi inieramus quando operam noſtram depoſcebant. Præterea ordo oppidi tenebatur nobis ex mandato, quod & ſpeciali inſtrumento procuratorio munitum fuerat. Nam quicquid Hagæ egimus, id egimus vi ſpecialis aut generalis mandati ab oppidis accepti: quod autem iuſſu conventus Hollandiæ fecimus, vt de Trajectina profectione, haberi itidem debet quaſi ab oppidis mandatum, quia oppidorum legati oppidi ſuſtinentes perſonam ſua ſententia id probaverant.

Tam notæ leges ad ius publicum pertinentes efficiunt, vt nullum ſit quod contra fit, quod & leges multæ, ac nominatim illa Mariæ Burgundicæ exprimunt. Sic &

poſtrema pactione inter Hollandos & Zelandos inita ſuper iudiciis communibus dicitur, nullas literas in ius vocationis emittendas quæ notis patriæ legibus adverſentur: ſecus factum ſi ſit, non proceres tantum nationis, ſed oppida quoque ſatis officio feciſſe videantur, ſi legem ſignificent tantum. Ea vero ſignificatio in cauſa noſtra ab oppidis Lugduno & Roterodamo apud Principem, & per eum apud proceres Federatos facta eſt. Sic Princeps Wilhelmus in ius vocatus à regio procuratore dixit, non teneri ſe ad exceptiones in iudicio allegandas, quando vim nullam haberent quæ contra leges nationum, ac proinde contra ius publicum fierent. quod ipſum late defenſum videre eſt in recognitione Synodi Tridentinæ libro I. cap. XII. At quanquam opus non fuit, legum tamen auxilium imploravimus. Oldenbarneveldius in quæſtione prima cauſas dictavit, cur Federatis proceribus in ſe iudicium non cõpeteret, etiam precibus poſcens eas vt cauſas ſcripto complecti ſineretur: quod negatum ipſi eſt. Poſt datos iudices adverſum eam dationem per tres dies dictavit quę ex re putabat, iterum poſtulans, vt ad ipſos proceres Federatos iuſta ſua perſcripta dare &

mutationem

mutationẽ poſcere permitteretur. Quod cum non obtineret, à datione iudicum appellavit ad Federatos proceres, & nationes à quibus ipſi miſſi eſſent. Cumque eo nihilominus pergerẽt iudices, repetijt appellationem. Ego in quæſtione prima antequam reſponderem ad interrogata dixi natum me Hollandum, miniſtrum oppidi Hollandiæ; captum in ſolo Hollandico, iudices nullos niſi Hollandos agnoſcere: paratum tamen me apud quoſvis defendere quæ egiſſem. Poſt datos iudices dixi proceres Federatos in me imperium ſummum nõ habere, ac proinde iudices in me ab eis dari non poſſe: vſus etiam ſum lege Rotterodamenſi & iure quod iuxta municipes habebam: precatus ſum quoque vt hęc cũ ſuis cauſis ac rationibus proceribus tum Hollandiæ tũ Federatis ſinerer commonſtrare, ſed impetrare hoc non potui. Poſt conditionem tuli, cognitionem ſuper exceptione mea deferri duobus per Hollandiam iudicum conſeſſibus, aut iis qui iudicum munere apud nos aut nationes alias fungentes ad hanc cauſam iuxta cæteros delegati erant, vt quos cæteris æquiores cenſerem. Cum iuberer ſine horũ detrimento ad interrogata reſpondere, facturum dixi vi maiore compulſum. Puto

tantundem ab Hogerbetio factum. ſed ſurdis fabula canebatur.

Supra quod iuriſdictione carebant qui iudices dabant, obſeruandum eſt in illis & ſtudium partis adverſæ nobis, de quo ſupra agere occupavimus. Nam quod hic in iudicium deducebatur, illud ipſum erat, quod adverſus nationes alias noſtrę nationis iuſſu defenderamus, ita vt plane hic in ſua cauſa ius dicerent. Qui tum conventum Federatorum maxima ex parte implebant, infeſtum in nos animum multis indiciis prodiderunt. nam ipſi nos ante ſententiam, ante peractam quæſtionem, non viſis quæ in quæſtione acta erant præiudiciis graviſſimis convulneraverant, primum in inſtrumento quo iudices dabantur, cum dicerent captos nos ad quietem reipublicæ conſervandam, religionem procurãdam, rupturam federis prohibendam, ad providendum ne miles in aliud ſacramentum, quam quod in verba eſt Federatorum, diverteretur, ad occurrendum turbis & cædibus, tanquam nos tot tantarumque rerum rei fuiſſemus: deinde vero in indicendo iuſtitio ac ſupplicationibus ad Deum poſt datos iudices. nam in literis eo pertinentibus depingimur vt ambitioſi homines, (nos qui ad munera ſine

ambitu vllo, ſine prenſatione pervenimus, non rogantes ſed impenſe rogati, atque ea munera abunde nobis ſatis arbitrabamur) accuſamur privata conſilia promoviſſe: (cum nihil à nobis factum ſit, niſi eorum mandato quibus parendum habebamus) quibus ſuperadditur periculum imminuiſſe, ne tota religio (quam certe ſecundum divinæ legis præſcripta ex animo fideque optima colere ſtuduimus) per nos everſa funditus periret, ipſaque reſpublica (quæ nobis vnice cordi fuit) ruinam daret: ac proinde in nos vt reipublicæ turbatores propediem legitimum iudicium ac ſententiam exſpectandam. Quas quidem tam atroces literas pij probique paſtores nonnulli populo recitare recuſarunt, potius habentes munera publica deſerere, quam tantæ iniquitatis miniſterio ſemet attaminare. Rurſum poſtea in reſponſo quod Boſſizio & Maurerio regis Galliæ legatis datum eſt XXIII Martij anni CIↃ IↃ CXIX: in quo non tantum vt facinoroſi turbulentique traducimur, ſed additur expreſſius gravium criminum nos teneri, palam ac ſummo periculo conſpiraſſe nos adverſus rempublicam, propoſitum nobis fuiſſe per factiones & clancularios ductus ſine

cauſa, ſine accepta poteſtate evertere fœdus, religionem, iudicia totamque vim præfecturæ,& quæ ſumma eſt,totam rempublicam perdere, ad ſatiandam ambitionem immoderatam pravumque conſilium exſequendum. Qui ita loquuntur ante rem cognitam in miſeros captivos talium ignaros, ac iudicibus (qui eo ipſo tempore cœtum ſuum agebant) præſcribunt quid de nobis ſentire, quid in nos ſtatuere deberent, credibile ne eſt eos in dandis iudicibus æquos nobis fuiſſe? Adde iam immanem licentiam quæ more peſſimo & in publicum pernitioſo libellis & carminibus famoſis mendaciorum & calumniarum plenis vagari permiſſa eſt in nos ſecluſos,&,vt dixi,ad objecta,quippe ignorata nobis,reſpondere non valentes, tantum iritādæ in nos plebi: quæ evidentia ſigna ſunt acerbi atque implacabilis in nos animi. Qui inde quoque apparuit,quod Moerſbergius vi equitum abductus eſt ex ſolo pacato Monaſteriēſi in quo nullam iuriſdictionem Federati proceres arrogare ſibi poterant. Dignum quoque notatu, iudicum quemque à Federatis proceribus ſumpſiſſe cautionē ſignatā, ne quis ipſos huius rei ergo verbo aut factis

impeteret: quod ſi quis impetiſſet, id Federati proceres vt in ſe factum acciperent ac vindicarent. Qui legitime datos ſe iudices credunt, non ſolent tam cuſtodite agere.

Veniamus ad vitia ſpectantia ipſos qui iudices dati ſunt: qua in re primo conſiderandum eſt iudices eos ordinarios ſive legitimos non fuiſſe. Fac ius dandi iudices competiſſe proceribus Federatis, cur non cognitionem mandarunt alteri ex conſeſſibus iudicum Hollandiæ, quorum opera, vt quæ proximè ad manum ſit, vti frequenter ſolent etiam ad res ſuæ communitatis? Cur non Senatui federis permiſſum eſt iudicium, qui poteſtate ordinaria ius dicit, nomine procerum Federatorum? In omni libera republica odioſum eſt de capite ac fortunis civium alios dare quam legitimos iudices, præſertim ſi qui dantur (vt horum pars maxima) non in vllo iudiciali munere, ſed in civilibus conſultationibus verſentur. Inter cætera quæ Dux Albanus à legibus aliena fecit, etiam in cauſas Majeſtatis iudices dedit extra ordinem lectos, & metuens ne quæſitores legitimi ſupplicia exigere nollent, vſus ad ea eſt ſpeculatoribus quod in noſtro quoque negotio factum vidimus. Maiores noſtri conqueſti

olim ſunt hac re violari leges, quæ caverentne quis in re criminum alios quam ordinarios iudices experiretur. Multi etiam armorum noſtrorum ius ex hac potiſſimum cauſa defenderunt.

Iam vero præterea dati iudices partem maximam (quod ſine fraude paucorum dictum volo, qui deſtinatum à cæteris in nos ictum neque conſiliis neque rationibus vllis avertere potuerunt, ſed tantum in hoc ſervierunt, vt actui ſplendorem de ſuo nomine adderent) infeſti nobis erant per inimicitias qua publicas qua privatas. Nam ex nationibus aliis iidem erant qui Trajecti cuſtodias diſſolverant, & à nobis eo nomine incuſabantur, qui nos capiendos non iure decreverant, quorum opus erat ipſum illud programma de quo diximus, reſponſum ad Boſſizium, literæ iuſtitium indicentes, atque ipſa iudicum datio: qui audientibus multis mortem Oldenbarneveldij prædixerant: ex Hollandia vero illi qui ſe ab Hollandiæ proceribus ſegregaverāt, imo cum aliis nationibus adverſus Hollandiam coierant, qui Trajectum venerāt, vt ſui præſentia alios confirmarent: qui & Oldenbarneveldio & nobis malum minati ſæpe fuerant: qui de nobis capiendis conſilium dederant multo ante profectio-

nem Trajectinam. Iudices alij etiam ordinarij quoties reformidari ſe vident, quanquam levibus de cauſis, vltro à ſe abdicant cognitionem. *Probi & modeſti iudices*, inquit Cicero, *ſe ſolent excuſare, quando manifeſtum eſt alteram apud eos partem gratia prævalere.* Hi cum ab vxore & liberis Oldenbarneveldij in conventu Hollandiæ recuſati eſſent, cum in ipſa quæſtione dictum à nobis eſſet, graves nobis videri nonnullos atque eos nominatim qui Trajectum iviſſent, & quorum res agebatur eo quod noſtra damnatione abſolutionem ſuam quærerent, tum vero præcipue eos qui tot in nos præiudiciis latis iudicio ſe integros non ſervaverant, quique comminatione animum inimicum nudaverant, negotio religioni ipſorum à nobis permiſſo, volunt eſſe ac manere iudices de capite fortuniſque civium tantis de cauſis ipſos perhorreſcentium. vbi hoc auditum antehac?

C. quod ſuſpecti 3. qu. v.

Lib. de Oratore.

Inter Hollandos duo fuere quæſitores, id quoque contra ius patrium. Nam quæſitoris & iudicis officia apud maiores noſtros adeo inſociabilia fuere, vt more generali, quæſitores rerum minorum iudicare non potuerint in quæſitorum maiorum tribunali, etiamſi minores illi eſſent aut Feudorum poſſeſſores, aut de familijs me-

lioribus, qui omnes alioqui ad iudicia idonei habentur, quod obtinuit etiam in cauſis ipſos nullo modo contingentibus. Sic & cum in Hollandia aut Zelandia Comes ius diceret quæſitores maiores aſſidere ei non permittebantur.

Perſuaſum vulgo eſt, quo minus Hollandiæ decederet inter iudices qui numero erant XXIV Hollandos fore duodecim: ſed implendo numero inter eos duo fuere Zelandi qui ſuffragio Zelandiæ in conſeſſum iudicum Hollandiæ ſimul & Zelādiæ pervenerant.

In eodem Hollandorum iudicum numero erat, qui occaſione mutatæ reipublicæ in conſeſſum nobilitatis penetravit: alij conſulatum, decurionatum, locum inter curatores reipublicæ, in ſenatu Federis, in conventu Federatorum honoreſve alios adepti, quorum omnium intererat tueri cœptam mutationem, quod vt fieret nobis damnatis opus erat.

Præter magnam pecuniæ ſummam quam ex hoc iudicio iudices abſtulerunt, (nam novum hoc tribunal amplius LXX Florenorum millibus ſtetit) etiam poſt id tempus non caruerunt ſua aut pacta, aut ſperata mercede, ſive ipſi perducti ad dignitates eximias, & legationes, ſive prove-

ctis liberis, ita vt in omnibus appareat hos cæteris fuiſſe prælatos, ne rem talem feciſſent ſine operæpretio.

Multi inter iudices rudes erant admodum, nulla imbuti iuris ſcientia, quidam nullius niſi patrij ſermonis gnari, ſine vlla rerum gerendarum peritia. Quo verò tandem modo homines tales apti eſſe poterãt qui iudicarent de ſummi imperij partibus ac ſignis, quo tota hæc quæſtio redibat, quæ res à legum ac negotiorum peritiſſimis plane difficiles habentur, & ſubtilis admodum diſquiſitionis?

Quanquam vero non omnes cauſæ ob quas à nobis iudices reformidabãtur, quæque aliæ nunc certo iudicio ad tempus ſubticentur aperiendæ ſi poſthac res id exegerit, ſpeciatim à nobis additis nominibus expreſſæ ſunt, ſatis erat cauſas illas iudicibus non eſſe incognitas. Nam vbi ita ſe res habet, tenetur iudex à ſe cognitionem relegare: quod ſi pergat acta omnia deinceps ipſo iure nulla ſunt: quia ſcilicet qui plane medius non eſt, eius modeſtiæ convenit ſemet excuſare: vt inter alia videre eſt locis quos ſupra allegavimus ex recognitione Concilij Tridentini. Neque vero à nobis eierari iudices directe poterant, cum ipſam iudicum dationem vitij argueremus.

Gl. in c. vlt. cauſa III. qu. 5.

Sed neque obſtare nobis in hoc negotio poteſt, quod in quæſtione ad interrogata reſpondimus: cum id non factum à nobis ſponte ſit: nec animo iudicem agnoſcendi, ſed compulſu ac deſiderio ſemel exeundi carceris tædium, interpoſita etiam teſtatione cuius ante meminimus.

CAPVT XVI.

De his quæ vitio aut inique ſunt acta poſt datos iudices.

QVod modum agendi attinet, primum iuſtiſſimam habemus conquerendi rationem, quod in formam civilis negotij cauſa noſtra recepta non eſt. Eſt quidem mos ille ordinandæ cauſæ, qui extraordinarius dicitur, apud nos moribus receptus, ſed in quo cauſarum genere? In eo ſcilicet vbi ipſum facti nomen omnino delictum involvit, & pœnam poſtulat, ita vt facto confeſſo pœna ex vi legum neceſſario ſequatur. Sed vbi ambigua eſt facti qualitas, exempli cauſa ſi quæratur qui hominem interfecerit, idne fecerit ſui tuendi cauſa an dolo malo, tam apud ſuperiores quam inferiores iudices moris eſt ad mo-

dum civilis negotij cauſam expedire. Si vſquam id locum habet, hic certe habere debuit. Nam cauſæ noſtræ iudicatio pendebat partim à iuris quæſtione , partim à facti qualitate quæ erat inquirenda : puta, an quod factum à nobis erat, cum Federe pugnaret , quouſque milites proceribus nationum ſingularum tenerentur, quę nobis mandata ab his qui imperare nobis poterant, eſſent data, pluribuſque aliis eiuſmodi. Non ſatis eſt ſi pauci aliquot in rebus eiuſmodi dicant ſitum eſſe delictum, cum multa hominum millia aliter iudicẽt: quare id diligenter & palam atque adeo in modum litis civilis diſquirẽdum eſt. Quod ſi in re noſtra factum eſſet, tum ſane populus, cuius id maxime intererat, ſcire potuiſſet iure an per iniuriam damnaremur. Alexandro regi obiectum olim eſt, quod vox Calliſthenis carcere clauderetur. In negotiis rempublicam ſpectantibus, non palam auditi, non palam defenſi, quaſi innocentes pereunt aut damnantur. Quibuſcunque aliquid eſt ſenſus, facile iudicabũt tum iſtum agendi modum, tum quæ ſecuta ſunt omnia eo directa ne genus humanum vnquam ad negotij veritatem perveniret : quo pertinuit & novi moris iuramentum quo iudices ſemet obſtrinxêre

nequid rerum apud ſe geſtarum etiam poſt rem iudicatam propalarent. Modus hic extra ordinem, vt vocant, agendi adverſus integræ famæ homines, ſuper rebus de quibus non omnes idem ſolent cenſere, quales ſunt res religionem aut reipublicæ gubernationem cõtingentes, eſt illa ipſa inquiſitio, adverſus quam tot querelæ tempore Caroli Imperatoris & Philippi regis inſtitutæ ſunt: quod intolerabile onus habitum eſt inter præcipuas belli cauſas. Orationes eo tempore habitæ à diverſarum nationum proceribus manifeſte oſtendunt non tantum à proceribus improbatum genus illud cauſarum ſuper quibus adverſus captos per meram inquiſitionem agebatur, ſed ipſum quoque illum agendi modum, vt libertati ac moribus avitis repugnantem. Adde modum extra ordinem agendi introductum apud nos quo celerius cauſæ dijudicarentur, quæ civilis litis inſtar ordinatæ in longum duci ſolent. In negotio noſtro oſtendit novem menſium tempus non hoc ſpectatum: ac proinde nullam poſſe confingi cauſam honeſtam, cur clancularia iſta agendi ratio placuerit.

Quod ſi omnino fixum ſtabat cauſam noſtram ad modum civilis negotij non

diregere, (quod tamen nobis debebatur & mos habet in negotiis etiam neutiquam adeo obſcuris) certe ad repetitas toties à nobis ac noſtris preces aditus & conſilia amicorum ſubſtrahi nobis non oportuit. Omnes iuriſperiti qui de publicis iudiciis ſcripſerunt, aiunt poſt quæſtionem habitam indulgendum captivo locum laxiorem vbi cum advocatis & procuratoribus conſultare poſſit, & ea componere quæ ad cauſam tuendam pertinent. In noſtris terris quenquam per octo aut novem menſes intercludere commercio vxoris, liberûm ac neceſſariorum inauditum eſt extra tempora Albanicæ præfecturæ. Marſilius, Follerus Straccha, Bajardus.

Si ne hoc quidem concedere nobis placebat, (quod niſi iniquiſſime & novo plane exemplo negari nobis non poterat) certe danda nobis fuit plena libertas noſmet defendendi tum voce tum ſcripto. Scriptores de iudiciis criminum docent, damnari neminem poſſe, niſi cui tempus ſe defendendi ſit datum: ac dãdum ei hoc tempus etiamſi non poſtulet, etiamſi delictum faſſus ſit. Quod ipſum, vt non modo iuri civili, ſed & patriæ noſtræ moribus conſentaneum à conſeſſu iudicum ſuperiore apud nos proceribus Zelandiæ commendatum memini. In oppidis quibuſdam no-

ſtris receptum eſt, vt etiam illis qui res confeſſi ſunt manifeſte delictum in ſe continentes poteſtas fiat, antequam pronuntietur; dicendi pro ſe publice apud tribunal adſtante populo. Alibi iudices oppidani morem habent interrogandi reum, numquid habeat pro ſe dicendum. Quanto magis hic illud obtinere debuit, vbi facta quædam nobis imputata nunquam à nobis confeſſa ſunt, alia diximus iure facta, neque ſalva iuriſiurandi religione aliter à nobis potuiſſe fieri? De factis quæ inficiati eramus negari nobis non poterat indiciorum inſpectio & poteſtas refellendi compendio teſtes. De his quę facta fatebamur, ſed in quibus delictum ineſſe negabamus, admittendi eramus ad probandum legitima ea fuiſſe, productis decretis, alijſque inſtrumentis eam ad rem ſpectātibus; etiam teſtibus ſi opus eſſet. In conſeſſibus iudicum maioribus ac minoribus vbi æquitas aliqua locum habet & hoc & illud vſitatum eſt, etiam cum extra ordinem res peragitur: merito ſane: cum ni id fiat iudex dici nequeat de re plene edoctus fuiſſe.

Clarus d. quæſt 49. nu. 4. & qu. 53. & vtrobique Baiardus cum alleg.

Clarus d. § fin qu 56. & Farinac qu. 8. num. 14. Bart in l. nūquam plura num 4. de privatis delictis.

Si quis dicat defenſos nos ſatis cum ad interrogata reſponderemus, frivolum id eſt: Nam præterquam quod ſæpe prohibitum eſt nobis nos defendere, ſed nude

aiendo aut negando reſpondere iuſſi ſumus: quod dictare ſcribenda nobis ſæpe permiſſum nõ eſt: neque perſcripta omnia quæ nos ad cauſam pertinere arbitrabamur: nemo eſt homo tam firmi cerebri, cui in tali neceſſitate conſtituto ita de ſubito occurrant omnia quæ ad cauſam ſpectant. Longa carceris ſolitudo etiam valetudinem nobis corruperat, & cum maxime ægro eſſemus corpore, tempus ad quæſtionem captatum eſt ab iis qui norant ſatis nos, præ libertatis deſiderio non vſuros cauſaria excuſatione. Sedebant adverſum nos accuſatores tres & iudicum plerique non minus accuſatoribus infeſti, qui ſæpe loquendi libertatem nobis non permittebant, ſed clamoribus ac minis nos interpellabant, obturbabantque. Innumeræ interrogationes nec cohærentes & verbis fallacibus conceptæ in nos ſtruebantur, vt alicubi per incogitãtiam captaremur. Subſidia memoriæ ademta nobis tanto tempore fuere ſubtractis calamis, charta, atramento. De rebus pridem geſtis, de circumſtantiarum minutiis, de vocum apicibus vno momento erat reſpondendum. Multa erant quæ vberius defenſa à nobis fuiſſent, niſi in mentem venire nobis non potuiſſet in iis crimen ab aliquo poſſe mente

concipi. Gnarum nobis erat quæ fecera-
mus ex mandato à nobis facta, tum qui
mandaverant, quique mandata nobiſcum
executi fuerāt eos ne compellari quidem:
ac propterea exiſtimabamus quæ à nobis
acta eſſent nihil magnopere defenſionis
egere. Vbi quæſo auditum tandem eſt an-
tehac, captivis id orantibus negari poteſta-
tem recognoſcendi quæ dicta ſunt, vt ſi
neceſſe ſit, fuſius ſenſa ſua exponant? At
hoc negatum eſt nobis. Iam ante proba-
vimus maiorem quæſtionis partem pera-
ctam ante iudices datos: cui conſequens
eſt quod tum reſponſum eſt defenſionis
locum habere non poſſe, cum defenſio in-
ſtitui nequeat, niſi apud iudicem. Quare
cum reſponſa iſta nunquam nobis præſen-
tibus relecta ſint, neque poteſtas nobis da-
ta largius mentem explicandi, his ſane in
rebus ſupereſt indefenſos nos eſſe. Adde
multa quæ dictaturi pridem fueramus
omiſſa à nobis, eo quod fides facta nobis
eſſet poſtmodum defenſionis pro arbitrio
faciendæ copiam fore: quod cum ſecu-
tum non ſit, non hac in re iniuria tantum
affecti, ſed & dolo circumventi ſumus.
Quod iam ea quæ à nobis dictata ſunt at-
tinet, quæ plerunque conſiſtebant in factis
defenſionem continentibus, aut iudices ea
vera

vera putabant, aut ſecus. Si vera, non poterant quod his erat contrarium ſententiæ inſerere. Si vt vera non acceptabant, certe tempus ac facultatem ea probandi concedere nobis tenebantur, quod ipſum à me ſpeciatim poſtulatum eſt. Fuit etiam cum dicerem apud iudices non eam vim fuiſſe memoriæ meæ & per morbos & per carcerem labefactatæ, vt ad ſingula ex tempore quod opus erat potuerim reſpondere: interdum dictandi quoque libertatem aut ademptam mihi aut acciſam: quapropter rogare me vt relegerentur acta quæſtionis prioris, & vt ad probanda quæ pro me allegaveram aut allegaturus eram facta admitterer: præcipuè circa inſumtam à me operam ad componendum quicquid in Eccleſia aut republica diſconveniebat: & circa decreta facta à rectoribus oppidi Rotterodami de rebus plurimis. Cum nihil impetrarem, rurſum petij vt ſcripto quædam complecti liceret: & cum longum per tempus ei poſtulato inſtitiſſem, non amplius temporis indultum eſt mihi horis quinque pomeridianis, & chartæ folium vnum, quanquam etiam atque etiam roganti vt & tempus largius & chartæ plus paulo mihi concederetur: verum nequicquam. In hac char-

ta perſcripſi quæ mea fuiſſent conſilia,quę mens,facta defenſionem continentia breviter indicavi, (quæ talia erant vt certo norim iudicum quoſdam dixiſſe, ſi de iis conſtaret, optimo iure me niti) petij vt ea probandi mihi poteſtas fieret:qua petitione nec reiecta nec admiſſa, (quorum tamen alterum vt fieret iuris ratio exigebat) in me, ne compellatum quidem amplius, pronũtiata eſt causã terminans ſententia.

Quomodo vero talis agendi ratio à vitio, iniquitate, imo ab immanitate barbara purgari poteſt? Hiſpaniẽſis illa inquiſitio, adeo à maioribus noſtris tantoque iure exagitata,permittit reo colloquium & opem patroni, & ius probandi facta quæ defendendi ſui cauſa profert. Comitibus Egmundano. & Hornano Albanicæ præfecturæ temporibus tradita ſunt accuſationis capita: temporis quantum ſatis datum conſcribendæ defenſioni, quæ hodieque legitur. Permiſſum ipſis exhibere libellos atque inſtrumẽta culpæ amoliendæ,quod & diſerte narrat ſententia:quæ omnia nobis negata ſunt. Et tamen conqueſtæ ſunt Belgicogermanicæ nationes omnes de modo agendi adverſus eos Comites, præſertim circa res duas, nempe quod procuratores & advocati ipſis non eſſent auxilio

dati; & quod teſtium adverſus ſe productorum notitiam non habuerint, vt eos poſſent refellere. Princeps Wilhelmus Arauſionenſis in reſponſo ſuo cum à procuratore regio dies ipſi dictus eſſet, ait *captivitatem eorum Comitum rigidiorem eſſe quã ius permittat, ſecundum cuius regulas carcer cuſtodiendis reis repertus ſit, non adimendo eis hominem aſpectui, commercio, conſilioque, quæ ſi deſint fieri nequeat vt gravis aliqua cauſa rectè regatur ac defendatur.* Exclamare libet:

Cernis ne hæc Amphiarae ſub terram abdite?

Dum hæc peraguntur omnia, ſed maxime poſtquam Oldenbarneveldio vita erat ademta, harum rerum artifices nulli pepercerunt labori, qua pollicendo, qua minando, ſervato etiam ad terrorem per diës aliquot pegmate in quo Oldenbarneveldius erat occiſus, & carnificibus tribus Hagæ retentis; nempe vt his modis coniuges ac propinquos tum meos tum eorum qui præterea capti erant adigerent ad culpæ deprecationẽ, & fidem dandã ſilentij noſtro nomine, quomodo effecturos ſe ſperabant, vt morte vnius & aliorum oppreſſa voce veritas æterna nocte obrüeretur: ſed aliter Deo omnipotenti viſum eſt. Quanquam enim Moerſbergius, magno vir animo non minus quam ortu, cum primum

hoc conſilio intellecto commotus valde fuiſſet ad innocentiam ſuam confugiens, tandem tamen vxoris miſeratione & amicorum ſuaſu impelli ſe paſſus erat, vt morem illis gereret, (quod quidem cum per illegitimos agendi modos extortum ipſi ſit eis qui extorſerunt prodeſſe non debet) tamen & mea & Hogerbetij vxor omnia potius perpeti decreverunt, quæ aliis collibitum eſſet facere, quam vt nulla poſtulatione honori noſtro aut veritati iniuriam facerent. Gratiæ Deo agendæ ſunt ſine cuius præſente auxilio fieri non poterat, vt tot ac tam gravia tentamenta vinceremus.

CAPVT XVII.

De his quæ vitio aut inique geſta ſunt circa ipſam ſententiam.

VBi captura, iudicum datio & agendi ordo omnia ſunt inſtituta condemnationis ergo quæ ante omnem cauſæ cognitionē decreto peremtorio atque irrevocabili erat decreta, nō poteſt plus in cōdemnatione eſſe iuſtitiæ & æquitatis, quā in captura, iudicum datione & agendi ordine.

Anteloquium ſententiæ ita ait, *quando reus confeſſus eſt, ac præterea iudicibus apparuit.* His verbis falluntur multi, exiſtimantes quicquid in ſententia legitur, vt provectas à nobis opiniones novas, noſtro facto in republica & Eccleſia res vbique motas, exhauſtum ærarium, & ſumtus factos ad ſæpe decies, paſſim diſſidia, & diffidentiam inter Federatos & cives ſatam, fedus ruptum, rempublicam ſibi tuendæ factam imparem, & in periculum adductam aut pactionis inhoneſtæ, aut pleni exitii, aliaque eiuſmodi confeſſa à nobis: cum non illa tantum ſed & multa alia capita partim ex nobis perquiſita nunquam ſint, partim diſerte negata. An in cauſa extra ordinem pertractata ſententia ferri poſſit niſi ſuper rebus confeſſis, apud multos iuris noſtri patrii conſultos ambigitur, nec immerito, cum in actis veteribus paſſim videamus pro vno eodemque ſumi, ſententias latas ſuper cauſa extra ordinem tractata, & ſuper confeſſione. Certe memini ſuperioris confeſſus iudices ita ſentire & apud Zelandiæ proceres proloqui: ſicut & illud recordor, vnum è præcipuis huius adverſus nos negotij gubernatoribus vitio dediſſe oppidi Harlemi magiſtratibus, quod quæ egiſſent, dicerent extra ordinem acta, cùm

tamen ſententia confeſſionem excederet, Verùm hic multo plus à recta via deflexum eſt. Nam primum in ſententia obiiciuntur nobis multa per illationem, qualia in libellis accuſatorum poni ſolebant, non in ſententia iudicum, cuius generis ſunt nonnulla quæ ſupra protulimus, item cõſilium noſtrum fuiſſe imperare militibus, vt parerent magiſtratibus etiam contra Federatos proceres & Principem: & eoſdem milites ſacramento adſtringendos magiſtratibus apud quos præſidium agerent, de ipſis tuendis etiamſi quid ab ipſis iuberetur quod aut cauſam, aut prætextum ſumeret ex religione, ſimiliaque plura. Etiam facta inſerta ſunt de quibus nihil vnquam iudicibus paruit, vt propoſitum fuiſſe cuſtodias oppidorum referre in expenſas communes Federatorum: me ea nocte quæ dimiſſionem cuſtodiarum Trajecti anteceſſit cum oppidi prǣfecto conſilia ſociaſſe, quomodo prohiberi poſſet ne plus militis à Principe Mauritio in vrbem induceretur, ac de excubiis eam ob rem locãdis ad portam Amersfordienſem. Quibus de rebus certus ſum nihil ipſis apparuiſſe, cum ſciam ea omnia falſa eſſe, vt in notis ad ſententiam ſingulatim dicetur. Verùm fac etiam aliquãn eos habuiſſe rerum iſtarum indicia

(quod ita non eſſe plane perſuaſum habeo) tamen non poſſet dici apparuiſſe id, ſuper quo nec defenſio noſtra erat audita, neque facta nobis teſtes reiiciendi copia.

Præterea vero in ſententiæ contextu de induſtria multa facta omittuntur quæ ad defenſionem noſtram pertinent, vt mandatum procerum Hollandiæ & oppidorum noſtrorum: repetitum mandatum & auctus delegatorum numerus in negotio Traiectino, pluraque alia quę infra memorabuntur, contra iura quæ dictant non licere iudici qualitates confeſſioni annexas ab ipſa confeſſione divellere.

Bart in l. Aurelius §. idem quæſiit nu. 2. ff. de lib. leg. Clarus §. Homicidiũ nu. 35.

Damnati ſumus tum Hogerbetius, tum ego ad perpetuos carceres, quam pœnam paſſim Iuriſconſulti, vt inconceſſam reiiciunt. Nobilis ſcriptor de publicis iudiciis ait etiamſi lege aliqua poteſtas iudici eſſet facta pœnas pro arbitrio ſtatuendi, tamen liberum ei non fore damnare ad carceres perpetuos, quia libertas illa intelligi deberet intra pœnas iure conceſſas. *Solent Præſides*, ait vetus Romani iuris conſultus, *in carcere continendos damnare, aut vt in vinculis contineantur: ſed id eos facere non oportet. nam huiuſmodi pœnæ interdictæ ſunt. Carcere enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.* Alius; *mandatis principalibus quæ*

Boſſ. in tit. de defenſ. reor. nu 4. Menoch. qu. 89. nu. 9. Baiardus qu. 70. L. aut damnũ §. ſolẽt D. de pœnis. L. mandatis ff. de pœn.

L.Incredibile ff. de pœnis.

præſidibus dantur, cavetur nequis perpetuis vinculis damnetur, idque etiam Divus Adrianus reſcripſit. Imperatorum vnus: *Incredibile eſt quod allegas liberum hominem, vt vinculis perpetuis contineretur eſſe damnatum: Hoc enim vix in ſola ſervili conditione procedere poteſt.* In Italia quidem & Hiſpania aliter vt fieret invaluit: at in noſtris liberis terris inauditum id eſt, niſi quis eò referre velit, quod nuper bello flagrante cœptum eſt inſtitui, vt ad remos ducendos damnentur, non alij tamen quam errones atque nebulones: aut etiam quod ergaſtulo includũtur quidam, neque tamen in perpetuum, ſed in ſpem reſipiſcendi, ac ferme ipſis propinquis id poſtulantibus. Notandum inſuper Iuriſconſultos qui exiſtimant ab ordinariis iudicibus in cauſis quibuſdam pœnas ordinarias poſſe excedi, ita tamen vt non vſurpentur pœnæ legibus vetitæ, hanc ipſam poteſtatem tamen non indulgere delegatis, quales noſtri fuere. nam à talibus iudicibus negant pœnas poſſe irrogari, niſi quæ diſerte legibus præſcriptæ ſunt: ita vt bis hic ſit peccatum, primum quia delegati iudices exierunt pœnas legibus cognitas, deinde quia pœna vſi ſunt diſerte legibus vetita.

Res quoque eſt obſervatione non indi-

gna, quod cum nomina etiam ordinariorum iudicum poni ſoleant in ſententiis quæ eduntur, idemque multo magis in delegatis iudicibus locum habere debeat, hi tamen iudices, cum etiam per typographos ſententiam publicarint, pepercerint tamen nomina ſua aſſcribere. Cauſam conie&turis aſſequi facile eſt.

CAPVT XVIII.

De his quæ vitio aut inique in nos acta ſunt poſt ſententiam.

SI ius & æquum fuit aditum ad nos neceſſariis dari ſtatim ab habita quæſtione ante rem iudicatam, multo magis poſt rem iudicatam id factum oportuit, cum carcer duntaxat nobis cuſtodiendis ſerviret, quod ipſa etiam ſententiæ verba præferunt. Proinde ex propinquis noſtris aliquot poſt latam ſententiam ad nos admiſſi ſunt, Hagæ dum fuimus: ſed poſtea præcipui huius negotij auctores, cum viderent non ſufficere carcerem ſolum, vt nos contra animi noſtri ſententiam acta ipſorum adverſum nos probare cogeret, partim palam, partim clam (quia publice in ipſo pro-

cerum Federatorum conventu res peragi ob ſummam iniquitatem ſine multorum contradictione non poterat) intenderunt vexationem in noſtra corpora, exiſtimationem, bona, amicos, tantum (quod & inter ipſos nonnulli fatebantur) vt nos ad deprecandam culpam adigerent, atque ita ſe domi ac peregre purgarent.

Bona quod attinet, quanquam oppida in quibus nati eramus aut quibus operam addixeramus, ac proinde ius omne municipum eramus conſecuti, antiquis legibus obtinuerunt, vt coniuges ac liberi damnatorum bonorum publicationem certa pecunia redimere poſſent, eæque leges ab oppidis etiam ſub Albanica præfectura magno ſtudio defenſæ fuerant nullorum criminum admiſſa exceptione, ac à nobis ad eas leges ſæpe provocatum erat, tamen vxoribus noſtris liberiſque legum earum beneficio frui permiſſum non eſt, ſed neceſſitas illis impoſita eſt adverſus fiſcum, durum adverſarium, inchoandi litem, de qua ne ſuper momento quidem iudicatum eſt. Quin & vxorum bonis manus à fiſco iniecta eſt. Tum mihi peculiaris querendi cauſa data eſt, quod chartæ meæ ex tablino meo abreptæ ſunt, ne facto quidem inventario, quanquam poſcente id

mea vxore, quod ipſi, vtpote ius ad eas chartas aut partem earum habenti, nullo colore negari poterat.

Poſtquam Lupiſtenum Haga abducti ſumus ſeni patri meo nunquam mei videndi facta eſt copia, ſicut & Hogerbetij filius multis atque indefeſſis precibus vix tandem extorſit, vt patrem convenire poſſet, à quo deinde rurſum longiſſimo tempore abſtentus fuit.

Iam vero bonis noſtris publicatis, ac nobis per carcerem ademta omni rem faciendi libertate, attributi ad alimenta noſtra ſunt viceni quatuor aſſes in diem. Qui ſenſu communi non carent iudicare facile poſſunt an ſatis id fuerit ſuſtentandis nobis quos familiæ onus non leve vrgebat. Sed coniuges noſtræ non gravatæ nos de eo quod ipſis reſtabat alere nunquam eam pecuniam accipere voluerũt. Per tempus aliquod cuſtodibus noſtris mandatum erat cibos nobis dare: ſed vltro inſtitimus, vt ea moleſtia & quod vltra ſuſpicari non abs re erat, liberaremur.

Vxores vero ac liberi noſtri primum vſi ſunt libertate adeundi nos atque à nobis recedendi.

Sed paulo poſt arcano ductu decretum longe aliud cuſum eſt, vxores nobiſcum

carceri includendas quamdiu adeſſe nobis vellent, neque vero abire permittendas ni veniam expreſſam eius rei impetraſſent, Ex hoc decreto vxor mea, quanquam & hoc multum abnuente Daventrio qui iam imperium in cuſtodiam acceperat, vix obtinuit, vt Hagam proficiſci liceret; ibique oſtendit quam grave & iniquum eſſet cogi ſe aut in ea calamitate maritum deſerere, aut ipſam quoque damno valetudinis manere captivam, proiectis extra curam ſuam liberis natu minimis valde infantibus, quos ſecum in carcerem adducere non poſſet.

Re ſæpe negata, ſæpe dilata, tandem vxorum noſtrarum libertas ita coarctata eſt, vt manendum haberent intra arcem Lupiſteni, neque inde progredi, niſi quod bis intra dies ſeptem comparando victui aut ire poſſent, aut aliquem mittere: quod ita manſit per tempus aliquod.

Cum vero interim ab vxore ac liberis Oldenbarneveldij, item à propinquis noſtris impenſe laboraretur ad obtinendam bonorum reſtitutionem, beneficio legum redemtionem, vt diximus, indulgentium, neque id effugiendi ſpecies vlla occurreret, niſi in Maieſtatem deliquiſſe argueremur, quod ſententiæ verbis non contine-

batur, anno poſt eam latam à delegatis iudicibus pronuntiatum eſt, mentem ſuam in iudicando fuiſſe peccatum à nobis in Maieſtatem. Quam circa rem advertendum eſt, ſi quo tempore lata fuit ſententia ea mens fuiſſet iudicum, etiam exprimi id ſecundum mores noſtros debuiſſe: tum vero huic declarationi non omnes eoſdem iudices adfuiſſe, ſed præter quoſdam aut morte abſumtos aut alioqui factos ad iudicia inidoneos, aliquammultos fuiſſe abſentes qui perſcriptam ſuper hac re ſententiam ſuam miſerant, contra ius ac mores, cum omnes quibus in iudicio cenſendi ius eſt, vno in loco pręſentes eſſe debeāt, vt alius aliorum rationes intelligant. Præterea quod tertiò notandum venit, mos eſt in patria noſtra antequam ſententiæ interpretatio fiat ſummario iudicio partes audiri: nos vero neque auditi, neque compellati ſumus, quin illo ipſo tempore arctiſſimo carceri incluſæ ſunt vxores noſtræ, nequid dicere poſſent adverſus id quod agere penitus erat conſtitutum, vt iam mox narrabitur. Repetitum hîc volo quod dixi ante paucos iudicum peritos iuris fuiſſe, multos adeo illiteratos vt vocem ipſam Maieſtatis ignorarent, tantum abeſt vt vim eius vocis ac criminis intelligerent. Nos

vero habemus quod nos ſolemur multis veteribus noviſque exemplis. Pætus Thraſea; quantus ſenator, virique alij ſpectatæ probitatis Romanorum Imperatorū tempore procubuerunt in reatu læſæ Maieſtatis. Noſtra quoq; ætate libertatis Belgicogermanicæ vindices, Princeps Wilhelmus Arauſionenſis, Comites Egmundanus & Hornanus, aliique damnati ſunt eodem titulo. Hinc nobilis inter Romanos ſcriptor auſus eſt dicere: *Crimen Maieſtatis ſingulare & vnicum crimen eorum qui crimine vacant.* Bonus Imperator aiebat crimen Maieſtatis ſuo ſæculo ceſſare: admonentque Iuriſconſulti veteres, *crimen hoc non habendum in occaſionem ob Maieſtatis venerationem: perſonam ſpectandam an potuerit facere & an ante quid fecerit.* Nos ex notiſſimo ſenſu, atque mandato eorum quibus parendum nobis erat, credidimus atq; affirmavimus, Maieſtatem id eſt ſummum imperium penes ſingulas eſſe nationes. Fac erraſſe nos: (quod ita ſe non habere ſuprà demonſtratum eſt) tamen negari non poterat ſententiam noſtram multis ſapientibus ac doctis placuiſſe, quod quidem ſufficere debebat vt crimini, præſertim tam gravi, eximeremur. Inter Romani iuris conſultos egregius, *in civilibus*, inquit, *diſſenſionibus quam-*

L. 1. C. ad l. Iul. Ma.

vis ſæpe per eas reſpublica lædatur, non tamen in exitium reipublicæ contenditur, quique in alterutras partes diſcedunt vice hoſtium non ſunt. De ſui temporis diſſidio ita loquitur M. Tullius Cicero: *Erat obſcuritas quædam: erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant quid optimum eſſet, multi quid ſibi expediret, multi quid deceret, nonnulli etiam quid liceret.* Neque raro locum habet Phocionis illud: *mea meliora etiamſi hæc feliciora.* Noſtro ævo qui de iure ſcripſerunt, aiunt, civiles diſſenſiones trahi ad crimen Maieſtatis non debere: imo vbi alia ſuppetit coniectura, nunquam cenſeri commiſſum id crimen.

Ruin. conſ. 1. num. 5. Dec. conſ. 102. nu. 17. Tō. 1. conſ. crim. Ceph. conſ. 75 num. 9. & alij allegati per Bapt. Baiardum in tract. crim. §. Læſæ Maieſt.

Ad id quod dicere cœperam redeo, id nempe quod vxoribus noſtris iſtius pronuntiationis tempore contra ius ac iuris ſpeciem evenit. dixit cuſtodiæ præfectus mandatum ſibi vxores ac liberos qui nobiſcum erant captivos detinere: Rogatus per documentum mandati oſtendere, recuſavit. cum quæreretur ex eo, an non diſcedere ipſis liceret, ita vt non redirent, niſi impetrata redeundi venia, negavit licere. Oratus iterum vt ad Federatos proceres ſcriberet, peti, vt matronarum alteri abire liberum eſſet, præſertim Hogerbetij vxori, quæ magna natu & iam anno toto non digreſſa à captivo marito vltra ferendo car-

ceri non erat, hoc quoque abnuit. Ac ne illud quidem concedere voluit, vt vxores per amicos cibos ſibi emi curarent, cupiens ipſe eos emere & pretium ab vxoribus noſtris perſolvi. Interrogatus an ea quoque de re mandatum haberet, dixit, ſi non haberet facturum ſe vt adipiſceretur. Hæc cũ reſciviſſent propinqui noſtri, multis libellis conqueſti ſunt de iniuria quæ vxoribus liberiſque noſtris fieret: neque tamen aliud impetrarunt, quam vt per amicos cibos emi & in arcem perferri curarent. Sed hoc ipſum ab ipſis proceribus Federatis decretum cum eſſet, præfectus cuſtodiæ ſequi noluit, gnarum ſibi dicens quæ mandata accepiſſet. Vetabat quoque ne quis hominum vxorem aut qui in miniſterio noſtro erant, verbo compellaret, ne quidem ſi quæreretur quota eſſet hora: ac ne prætereuntes vlla ſalutandi ſigna ipſis exhiberent: permittens interim famoſa ac plena calumniarum carmina apud feneſtras noſtras in noſtri iniuriam cani. Interea Hogerbetij vxor, ſingulare probitatis ac pietatis exemplum, non ſatis tolerans tam ſeveri carceris, inclinante magis magiſque valetudine, tandem cum nova hæc vexatio CXL ferme dies duraſſet, in mariti cubiculo atq; oculis mortem obiit. Ægrotam

tam adhuc vxor mea officij cauſa adire vt poſſet,rogaverat, ſed negatum id quoque. Ne corpus quidem exanime dimittere volebat præfectus cuſtodiæ,ni prius Hagam ſcripſiſſet: ac poſtea quoque dicere eum non puduit, ſi non dimiſiſſet rectè ſe facturum fuiſſe. Paulo ante huius obitum vxor mea obtinuerat veniam abeundi Lupiſteno,ſed non eò redeundi. Hagæ cum eſſet tum voce tum ſcripto paratam ſe oſtendit refellendis omnibus quæ ipſi aut alij cuiquam obijci poſſent, vnde huius novæ maletractationis cauſa peteretur. Sed nemo repertus eſt qui cauſam redderet,niſi quod quidam hanc dixerunt,à me atque Hogerbetio reſponſum de iure ſuper controverſia feudali. Trium aut quatuor menſium interpellatione aſſidua vix tandem expreſſit vxor,vt, non bis vt ante, ſed ſemel in ſeptem diebus victus coemendi cauſa arce exire ſineretur.

Cùm hunc in modum Hagæ ante ſententiam per menſes novem,poſt eam aliquammultis diebus, Lupiſteni vero per annum & mẽſes decem in ſumma mœſtitia ac ſolitudine vixiſſem de eo quod nobis reſtabat, ſine vllo quæſtu,ſine vllo neceſſitatis ſubſidio, tandem Deus mei miſertus eſt,atque eo ipſo tempore quo nova

in me atque vxorem mala intendebantur, ſparſo rumore falſo de funibus ab vxore coemtis & in arcem perlatis (cui mendacio refutando cum veritatis teſtimonium à cuſtodiæ præfecto poſceremus, obtentum ne id quidem eſt) viam mihi monſtravit recuperandæ libertatis. Nam fortitudine atque induſtria vxoris arcæ incluſus, in qua libri ferri ſolebant, Gorinchemum portatus ſum, atque inde perveni Walovicum, & porro Antuerpiam: vbi vt calumniæ materiam præciderem intra domum Nicolai Grevinchovij paſtoris quondam Eccleſiæ Rotterodamenſis me continui, numquam inde egrediens: atque hic cum eſſem, animi mei integritatem Federatis ſignificavi hac epiſtola ad ipſos miſſa.

Sublimes ac potentes Domini:

Exſpectavi iamdiu vt veſtro iuſſu ex graviſſima cuſtodia, quæ non me tantum, ſed partim quoque vxorem & liberos detinebat, eximerer. Sed comperto, quoſdam mihi peculiariter infeſtos novos quærere obtētus, vt calamitatem meam intenderent, in eam rem iactatis etiam rumoribus, rationem ipſe recuperandæ nativæ libertatis & excogitavi, & Deo iuvante, ad exitum, ſine vi, ſine largitione perduxi. Cum nullum viderem receptū propiorem, Antuerpiam me contuli, diſpecturus vbi potiſſimum ſedem quieti meæ & literarum

ſtudiis ſim poſiturus. Valde mihi grave eſt, Domini, quod tam dura pati, libertatis ſimul & bonorum diſpendio, coactus ſum hactenus, & cogor etiamnum, intra intimos animi receſſus mihi conſcius, integerrimo affectu conſilia à me ſuppedita quæ iudicare potui vtiliſſima medendis difficultatibus enatis antequam ego ad rempublicam vocarer, ſumma cum fide erga magiſtratus Roterodamenſes qui miniſterio meo vtebantur parique obedientia ergà Ordines Hollandiæ & Veſtfriſiæ quorum ſub imperio eram. Sed nec tolerata hactenus mala, nec quicquid vltrà mihi eventurum eſt, vnquam id in me habebunt iuris, vt amorem patriæ mihi excutiant, quem ſemper corde geſſi, & quantum mearum fuit virium, quas exiguas agnoſco, ôpere oſtendi. Pro eiuſdem patriæ libertate, tranquillitate ac proſperitate Deum ſemper orabo, atque adeo vt in eum finem vobis,

Sublimes ac potentes Domini, bonum ac felix regimen largiatur. xxx Martij CIↃ IↃ CXXI *Antuerpiæ.*

V. D. addictiſſimus
HVGO GROTIVS.

Antuerpiæ cum eſſem multis ab amicis admonitus ſum, facturum me rectius ſi in Galliam irem : cui conſilio morem geſſi. Lutetiam cum perveniſſem, Rege eiuſ-

que conſiſtorio ad vrbem non reperto, apud Boſſizium primo, deinde apud Vicum, qui nunc ſigilli cuſtos eſt, poſt apud Ianinum, quorum omnium conſiliis de republica Rex vti ſolebat, innocentiæ meæ reddidi rationem, ſimulque teſtatus ſum conſtantem meum in patriam amorem, ipſos rogans vt quãtum poſſent apud Regem laborarent vt Rex quam pater ipſius æterna memoria digniſſimus atque ipſe ſemper oſtenderant benevolentiam erga patriam meam eam nunc quoque retineret, ſalutemque ac tranquillitatem eius cordi ſibi eſſe oſtenderet. Ab ipſis vero amice admodum exceptus ſum. Ne tum quidem ceſſarunt inimicorum malæ artes; quibus effectum eſt vt ad proceres Federatos ſcriberetur dixiſſe me apud Regis conſiliarios ſuppliciter à me oratos Federatos proceres vt quod carcere elapſus libertati me reddidiſſem id ignoſcerent, meque poſthac curaturum qua verbis qua factis vt ipſis placerem: eamque in rem ſerio admonitum me ab iiſdem regiis conſiliariis, qui & hoc addidiſſent alioqui non paſſurum regem vt in regno eius viverem: quod ſi me componerem ad procerum Federatorum ſententiam fore vt à Rege congiarium acciperem.

Qui rumor me iam tunc coegit rei ve-

ritatem ita vt nunc à me commemorata eſt publici iuris facere, atque oſtendere quantum ſemper, etiam cum in malis ſummis verſarer, abfuiſſem à culpæ deprecatione, conſcius quippe mihi integri propoſiti & legitimarum actionum.

Ne poſt id quidē tempus deſitum eſt me extorrem, bonis ſpoliatum, egentem amicorum calumniis inſequi, quaſi obtentu controverſiarum de religione aut hoſtibus patriæ navaſſem operam, aut res novas quæſijſſem. Deus, cui percognitum eſt quam non affinis ſim ei culpæ, patientiam mihi ſuppeditet, & huic & ſi quid malorum reſtat ferēdo. Eidem grates ago quod innocentiam meam magis magiſque cognitam facit, & apud Regem eiuſque conſilium gratiam mihi conciliavit, ita vt non tantùm Rex optimus ad ſalutationis officium admiſſum me benigniſſime exceperit, ſed & annuo donativo honeſtaverit: atque etiam me apprecante ſublevaverit alios qui ob animi ſui religionem in eodem exilio verſantur.

Manet interim in duriſſimo carcere Hogerbetius vir eximiæ probitatis & quo candidiorem animam Hollandia non tulit, atque ibi ſuam ſenectutem & liberûm florem conterit; non impetrato levamen-

to vllo ad tot totieſque admotas preces. quin ad hoc vſque tempus liberis eius cum paternis bonis etiam materna ſubtrahuntur, neque illis aut beneficio legum datur frui (quas Hollandi proceres ſub Carolo Quinto ac Philippo tutati ſunt etiam eorum in vſus quorum parentes perduellionis damnati erant) aut ius etiam redditur.

CAPVT XIX.

Notæ ad ſententiam in me pronuntiatam cum indicatione multorum quæ ibi dicta contra rei veritatem.

QVæ dicta ſunt hactenus, ſi recte intelligantur, valent ad ſolutionem præcipuarum rerum quæ ſententia in me lata continet, cum inde facile collectu ſit quæ facta à me ſunt non privato nomine facta, ſed vt à miniſtro tum magiſtratuum Rotterodamenſium, tum Procerum Hollandiæ: præterea vero quicquid eius factum eſt ab his qui in me imperium habebant, id optimo animo & pro iure ſuæ poteſtatis factum ab ipſis. ſed nequid intactum maneat, etiam particulares ad ſen-

tentiam notas addam, &quid in ea verum, quid non ſit, indicabo & quoties ita vſus feret reiiciam lectorem ad ea quæ ſuprà dicta ſunt.

Quando Hugo Grotius) Huius nominis non eſt quod me pudeat. Geſſi id nomen omni vitæ meæ tempore ac nunc etiam gero non in dedecus aut familiæ, aut patriꝗ meæ. At iudices nomina ſua ſententiæ ſubſcribere puditum eſt, vt iam ante diximus.

Qui antehac aſſeſſor fuit magiſtratuum Rotterodamenſium) Commendatione vtriuſque iudicum conſeſſus & curatorum rei fiſcalis nominatus ab Hollandiæ conventu & à Principe Mauritio lectus ſum ad fiſci Hollandiæ, Zelandiæ & Vveſtfriſiæ advocationem, quanquam valde iuvenis. Cum in eo munere aliquandiu & proceribus Hollandiæ & illis conſeſſibus feciſſem ſatis, atque in teſtimonium bene navatæ operæ auctum mihi eſſet ſalarium, & in ſuperiore iudicum conſeſſu promiſſus vltro locus, ſerio admodum à Conſulibus & decurionibus oppidi Rotterodamenſis rogatus ſum accipere vacantem tunc adſeſſuram, nullo meo ambitu neque vllo modo oblata opera. Re in conſilium miſſa cum amicis, accepi tandem munus, con-

ſultis prius Hollandiæ primoribus, eoque munere functus ſum bona cum gratia & rectorum oppidi & municipum. Neque eo munere legitime ſum deſtitutus: atque hoc ipſo ſententiæ tempore ne à novis quidem magiſtratibus renuntiatum mihi fuerat. Neque vero poteſtatem habent abdicandi me munere, cum in pactis conventis cum oppido factis ius mihi perpetuum quamdiu ego eo vti vellem quæſitum ſit, egoque per omnia pactorum legibus ſteterim.

Nunc captivus habetur) Captus ſcilicet ab his quibus capiendi ius non erat, nulla præcedente inquiſitione, contra manifeſtas leges & iura Hollandiæ. Vide ſupra caput XIII.

Apud delegatos ſublimium ac præpotentium procerum Federatorum, quibus datum erat in ipſum habendæ quæſtionis negotium) Hi delegati, iudices non erant, ac proinde ab ipſis habita quæſtio pro iudiciali valere non poteſt: cumque ea ipſa à datis iudicibus repetita non ſit, ſequitur quicquid huic quæſtioni inædificatum eſt, nullarum eſſe virium. Vide caput ſupra XIV & XVI. Tum vero proceribus Federatis in nos iuriſdictio non competebat, ac proinde non poterat ab illis iure mandatum dari habendæ

in nos quæſtionis. Vide ad hanc rem caput xv. Præterea qui delegati ſunt, iniqui nobis erant & rem ſuam agebant vt xiv capite demonſtratum eſt.

Ac poſtea apud iudices) Ambigua locutio. Id enim ita poſſet accipi, quaſi quicquid in ſententia ſequitur id confitendo dictum fuiſſet tum apud delegatos priores, tum apud iudices, quod tantum abeſt vt multis de rebus apud iudices ne interrogati quidem ſimus. Vide ad hanc rem caput xvi. Hos autem iudices partem maximam adverſarios fuiſſe noſtros indicatum eſt capite xv.

Ab eiſdem proceribus Federatis datos ad rem vltra cognoſcendam atque dijudicandam) Hãc iudicandi poteſtatem ſecundum ius legeſque publicas dari à proceribus Federatis non potuiſſe clare oſtenſum eſt ſupra capite xv.

Extra tormenta ac ferrea vincula confeſſus eſt, ac de cætero ipſis iudicibus paruit) Etiam hoc ambiguum eſt, cum de plebe homines id ita accipiant, quaſi capita ſingula quæ ſententia continentur, non tantum probationibus, ſed & mea confeſſione iudicibus conſtitiſſent, cum multa ſint à me diſerte negata, adeo non confeſſa, & quæ confeſſus ſum poſita ſint in hac pronuntiatione

omiſſis qualitatibus neceſſariis, adiectiſq; illationibus nulla ratione ſubnixis: præterea vero ibidem poſita ſint alia de quibus nunquam fui interrogatus: multa inſuper quæ parere iudicibus non potuerunt, cum falſa omnino ſint; vt mox ſingulatim indicabitur: cumque ego me adverſum ea defendendi, & refellendi quæ contra me adferri poterant aut teſtimonia, aut indicia poteſtatem non habuerim: qua de re vide caput XVI & XVII. Nihil hic me extra verum dicere toti humano generi conſtabit, ſi quando obtinere potero, vt quæ in quæſtione reſpondi plena edantur.

Cum licitum nemini ſit, vinculum ac leges in quibus reſpublica Federatarum nationum Belgicogermaniæ fundata eſt, ac per quas Deo aſpirante ea reſpublica contra vim arteſque hoſtium ac malevolorum hactenus ſtetit violare atque perfringere:) Lex ſumma legum omnium eſt, lex ſummi imperij quod ſemper fuit penes nationes ſingulas. Vinculum vero nationum inter ſe eſt Fedus Trajectinum, quo ſummum illud quod penes nationes ſingulas fuerat imperium non tollitur, ſed confirmatur, obliganturque ſibi mutuo nationes, vt in eo tuendo alia alij opem ferant. Ad hunc modum tum ante id fedus, tum poſt id factum feliciter reſpublica gu-

bernata eſt, vt ſolet favere Deus his qui ſine dolo ac cavillatione bona fide pacta implent. Hanc legem, fundamentum imperij, hoc vinculum proceres Hollandiæ, quorum ſumma in nos poteſtas erat, rectores oppidorum qui opera noſtra vtebātur, ac nos, vt eorum ſubditi ac miniſtri, non violare, non perfringere ſtuduimus, ſed pie colere ac tueri. Vide hac de re caput primum.

Ipſum tamen auſum religionis ſtatum concutere) Hoc vetus illud crimen eſt, quo probiſſimus quiſque appeti eſt ſolitus. Vere dictum eſt à Vvilhelmo Principe Arauſionenſi eo libello quo ad diem ſibi dictum à procuratore Regio reſpondit: *innocentiſſimum quemque non in ſuſpicionem tantum vocari, ſed & odio obijci poſſe, procurato vt hæreticus cenſeatur. Nam eo confecto* (inquit ibidem Princeps ille) *experietur non tantum oblivione ſepulta ſua bene facta ac merita, ſed & æqua omnia iudicia, & quæ pro ipſo facere poſſunt præſumtiones ſibi ſubtrahi, ita vt ab eis nudatus in pericula ſit cauſam dicendi de perduellione, ac ſeditione: ac breviter de omnibus criminibus atque delictis quæ comprehendi poſſunt ſub nomine læſæ Maieſtatis. Rurſum vero cum de religione accuſationes valde invidioſæ ſint hoc præſertim tempore, neceſſarium ferme eſt, ſi quis pœnas à*

quoquam ea de cauſa exigere velit, neque tamen offendere aliorum animos quorum opera vti cupiat, ei accuſationi velum obducere contextum ex criminibus violatæ maieſtatis : quorum tamen reus fruſtra ſe purget apud eos qui ſuſpectum ſe habent adulteratæ religionis. Nam cum illa maieſtatis quæ dicuntur crimina vera cauſa non ſint ob quam conquiritur, impetitur, capitur, accuſatur, abſolutionem ſane ſperare nõ poteſt, etiamſi certiſſima afferat innocentiæ documenta, ſed exſpectandum habet vt eorum criminum titulo atque prætextu damnetur, aut ſi nimium manifeſta ſit innocentia, vt ſine fine tracto negotio perpetuam atque miſerrimam ſentiat captivitatem. O vera verba & vaticinium ferme eius quod nobis evenit. Idem ille Princeps, & Hollandiæ proceres multis libris oſtenderunt ſub obtentu tuendæ maiorum religionis hoc actum, vt libertati publicæ, & legitimæ regendi formę fraus fieret. Similia conqueſti ſunt Electores & Principes Germaniæ, etiã Galliæ megiſtanes. Me quod attinet, accuſatio hæc in me intentata non tantum à vero abit, ſed ne veriſimilis quidem eſt. Sciunt omnes, antequam Rotterodamenſibus operam meam addixi, caviſſe me ne vllo modo controverſiis de religione me inſererem, cum ſatis haberem ornare Spartam quam eram nactus, perſe-

cutionem criminum & fiſci patrocinium. Sciunt & hoc omnes, antequam Rotterodamum immigravi, paſtores Remonſtrantium ſententiæ ibi fuiſſe in publico munere atque vſos pro ſententia ſua docendi libertate: quod & in aliis oppidis locisque Hollandiæ fiebat. Colloquia apud ſuperiorem iudicum conſeſſum, & in ipſo Hollandiæ conventu habita pridem erant: notæ vbique controverſiæ: de ferenda opinionum diverſitate decreta facta. quid ab eo tempore factum quo vel in ſpeciem dici poſſit concuſſus religionis ſtatus? Nihil ſane, niſi quod æquitas ferendi ſe mutuo obſervata non eſt, ſeceſſio Eccleſiaſtica primum per artes impulſa, deinde iniquis iudiciis confirmata, quorum omnium in culpa ego certè non ſum. Quæ dedi conſilia ea omnia congruentia fuerunt eis quæ magiſtratus Rotterodamenſes ante miniſterij mei tempus ſenſerant dixerantque. Fac non ſapientiſſima fuiſſe ea conſilia: idne mihi præſtandum eſt qui ſecutus ſum imperia publica, & mãdata eorum in quorum eram poteſtate, neque vero eorum conſiliorum repertor dici poſſum vllo modo? At contra ita ſentio, meliora conſilia pro temporum ratione dari non potuiſſe, atque ea pertinuiſſe ad pacandum, non ad

concutiendum religionis ſtatum : quod multis argumẽtis atque exemplis evictum eſt capite ſupra quarto & ſexto : vnde & hoc diſcere eſt, quantopere aſſiduo laboraverim, vt ad ſententiam à nobis in conventu Hollandię diſcrepãtium propius ac propius accederetur, omniaque aggeſſerim per quę citra condemnationem & manente Eccleſiarum vnitate tranſigi negotium poterat. Ibidem videre eſt & à ſuperiore iudicum conſeſſu, & à Rege Britanniarum datum hoc conſilium, vt ferrent ſe mutuo diſſidentes : tum vero & à paſtoribus quibuſdam Contraremonſtrantibus quos vocant, & ab oppidi Dordrechtani rectoribus probata decreta, & quæ meo tempore pacis cauſa in medium allata fuerunt, quos proinde omnes oportet culpam ſuſtinere perturbati ſtatus religionis ſi ego eam ſuſtineo. Quæ mens mea fuerit, aperte conſpicere eſt in oratione quam cum quæſitore Dordrechtano atque aliis habui apud rectores Amſtelodamenſes: ex qua liquet ſtudium meum fuiſſe, vt ſtatus religionis quietem acciperet, ac turbamenta omnia orta tollerentur, & quæ metui adhuc poterant, prævenirentur in tempore.

Deique Eccleſiam graviter premere ac contriſtare) Imo vero ſublevare Eccleſiam ab

imminente divortio, & æqua pace exhilarare ſtudui, vt videre eſt capitibus iamiam allegatis. Audio quoſdam malevolos mihi in hanc rem abuti locis quibuſdam ex libro quo piam mentem procerum Hollandiæ contra calumnias defendi, quaſi ibi contra Eccleſiam conſtitiſſem. Editus eſt is liber probantibus reipublicæ Hollandicæ curatoribus, ab eruditis viris compluribus domi foriſque lectus & vtilis fore iudicatus. Propoſitum mihi fuit oſtendere, immerito accuſari proceres Hollandiæ quaſi qui damnatis antiquitus erroribus faverent: vt ferrent ſe ſuper ortis apud nos controverſiis diſſidentes, neque ratione carere, neque exemplo: neq; vero novum eſſe quod ſumma poteſtas ſe componendis Eccleſiæ diſſidiis interponeret: neque vero decreta convenientia cum lege divina, & vſu Eccleſiæ veteris ſola poteſtatis æmulatione ſugillanda. Vt oſtenderem ſummis poteſtatibus non minus iuris eſſe, quam illis ſenioribus qui apud nos aſſidere paſtoribus ſolent, oſtendi (vere quantum arbitror) tale ſeniorum genus, qui ad tempus conſtituerentur, neque aliam in rem quam vt presbyterio intereſſent, nulla de cætero functione Eccleſiaſtica ipſis impoſita, venire ab hominum inſtituto (quod

tamen ego nec damnem nec reijciam) non ex vlla divina præceptione. Sane dixi etiã paſtores (qui ſæpe magiſtratuum vitia ſolent quantum poſſunt exaggerare) ne ipſos quidem ſemper extra eadem aut ſimilia vitia eſſe poſitos : eſſe inter eos qui ſe non contineant intra muneris ſui fines, ſed negotijs civilibus & magiſtratuum electioni ſe immiſceant. An hac in re verum exceſſerim, ſciunt plerarumque apud nos nationum atque oppidorum rectores qui iudicio valent. Et tamen addidi neque ordinem totum, neque maiorem eius partem à me incuſari. Reges ac Principes effugere non poſſunt quominus in annalibus libriſque aliis ſpectandi exhibeantur cum ſuis vitiis. Quo ergo iure Eccleſiaſtici ordinis homines ab hac cenſura immunes ſint? Multi ægre ferunt quod ibi dicitur, paſtores in Flandria adverſos ſe obieciſſe Vvilhelmi Principis conſiliis, paſtoreſque Hollandiæ à proceribus monitos ne æſtu inconſiderato cauſam darent exitio Hollandiæ, quomodo exitio Flandriæ iam dederant. Sed non à me hæc in lucem protracta ſunt. Libelli adverſus Vvilhelmum Principem, quibus acerbè traducitur ob pacem religionis ex pactorum fide à ſe-cuſtam, & ob Galliæ amicitiam, Gandavi

publicati

publicati ſunt. Etiam illa procerum Hollandiæ ad paſtores admonitio Liceſtrianæ præfecturæ temporibus facta, tum ſeorſim vulgata eſt, tum in hiſtoriis legitur. Narravi rem, vt erat geſta, tum vt paſtores caverent ſibi ne per imprudentiam ſe atque alios læderent, tum vt cives cæteri intelligerent, non ſemper ſibi ac ſine diſcrimine ſequenda paſtorum conſilia præ conſiliis ac decretis poteſtatum, vnde multa ſæpe ſequuntur incommoda. De Eccleſia & ipſo paſtorum munere (quod ſciam) niſi qua oportet reverentia locutus non ſum.

Cui fini aſſeruerit, & in rem contulerit enormia & pernicioſa in rempublicam effata:) Docent nos iura non eſſe vagandum cum periculo alienæ exiſtimationis, ſed facta ſingulatim exprimenda. Quare & hic effata illa nominata oportuit. nam quæ ſint de quibus loquantur iudices, ſcire me nego. An illud forte quod dixi ſummæ poteſtati curam in res Eccleſiaſticas competere? Aſſertum hoc, & vſu probatum eſt ab Imperatoribus quorum nomina exſtant in Codice Iuſtinianeo, à Iuſtiniano in conſtitutionibus novellis quas vocant, à Carolo Magno eiuſque ſucceſſoribus in Capitularibus. Omnes qui de republi-

ca ſcripſerunt, hanc curam ponunt inter præcipuas imperij partes, vt videre eſt apud Bodinum, Toloſanum, Arniſæum, Lipſium, Keckermannum, Althuſium. Inter profeſſores divinarum rerum Marſilius Patavinus, Bucerus, Muſculus, Paræus & Anglorum doctiſſimus quiſque idem mecum dicunt. Qui certus ea de re eſſe volet, videat teſtimonia quæ ad propugnandum decretum anni CIƆ IƆ CXIV pro pace Eccleſiarum factum ad ſectionem primam allata ſunt. Prudenter addidi cautiones duas: quarum prior eſt, ſequendam poteſtatibus Dei legem, ac rationem quoque habendam eius quod vetus Chriſtianitas crediderit, docuerit, fecerit: & in his quæ ad ſalutem æternam plane neceſſaria non ſunt, vergendum ipſis ad moderata & pacata conſilia quibus vnitas quamvis inter diſſidentes contineatur. Poſterior, agere me de ordinando publico Eccleſiarum ſtatu, neque vllo modo me probare morem ſæviendi in quenquam ob id quod animus ipſi bona fide de rebus ſacris dictat. Hæc effata exiſtimo non eſſe enormia, ſed æqua: non pernicioſa, ſed ſalutaria tum aliis civitatibus tum noſtræ. Sed effata contraria quæ

in rebus ſacrorum ſimpliciter id ſequi iubent, quod proxime factitatum eſt, aut quod à Synodis ſæpe iniquis pronuntiatum eſt, aut quod maiori plebis parti placet, enormia ſunt ac pernitioſa, & à Reformatis fortiter oppugnata ſub imperio Regis Hiſpaniæ libris editis, habitiſque orationibus.

Atque inter cætera potenter aſſeruerit, aliorumque animis infixerit, in publicis quoque conventibus, per ſcripta, orationes atque alios modos vbique vt aſſereretur atque infigeretur animis allaborarit, nationi cuique intra ſuos fines ſoli ius eſſe de religione ſtatuendi, neque licere aliis nationibus ſe ei negotio immiſcere:) Primùm hoc factum mihi imputari non poteſt. Nam quod eius aſſerui in Hollandiæ conventu, feci id mandato magiſtratuum Rotterodamenſium: & quod aſſerui in conventu Federatorum, factum id mandato atque decreto procerum Hollandiæ. Neque vero quicquam hac de re aſſerui, quod non aſſeruerint mecum alij complures qui ne compellantur quidem. Hoc amplius, antequam ad rempublicam vocatus ſum, hoc ipſum defenſum & facto probatum eſt ab Hollandiæ conventu, vt in quo ante meæ functionis tempora de rebus religionis complura facta erant de-

creta vicinis nationibus inconſultis. Imò ſupra capite 11. oſtenſum eſt in eadem ſententia fuiſſe proceres Federatos, proceres Hollandiæ & Principem Mauritium anno CIↃ IↃ XC, quin & poſt has enatas controverſias faſſos eſſe primores Zelandorum Hollandis ius eſſe de religione imperandi intra fines ſuos: neque alias nationes ius habere ſe ei negotio interponendi, niſi per amica conſilia: ſicut ibidem quoque probatum eſt Geldros, Traiectinos, Tranſiſalanos de religionis controverſiis conſtituiſſe quod ex vſu videretur: tum vero ius leges faciendi de gubernatione Eccleſiæ, quod ſemper penes nationes fuerit ſingulas, cum religionis imperio cohærere. Non ergo ego cum aliis idem ſentientibus, mandatu eorum quibus operam addixeram, rem novam aſſerui, ſed quod ſemper creditum aſſertumque fuerat à novis & inauditis commentis vindicavi, potenter ſane, quia vt cum Sophocleo Tireſia loquar

——*ſtat à me veritas, res præpotens.*

Neque ego id aliorum infixi animis, ſed quod & Dordrechtani & Amſtelodamenſes prius nobiſcum ſenſerant, id defendi contra obiectiones noviter quęſitas, neque iure aut vero ſubnixas. Si qua ad

hanc rem argumenta attuli, nihil ea in re à meo officio alienum feci. nam ideo oppidorum magiſtratus adſeſſores ſibi adſciſcunt, vt quod illis viſum eſt, hi additis rationibus proferant: neque aliò ſpectabat hæc aſſertio, quam, vt pace inter diſſentientes conſtituta conſuleretur tranquillitati publicæ, adverſum eos qui per iniuriam cogere nos volebant vt eo conſilio abſiſteremus.

Probaſſe quoque ipſum & ſcriptis editis fuiſſe adiutorem, vt multæ opiniones novæ pugnantes cum formulis Eccleſiaſticæ conſenſionis, ante in reformatis Eccleſiis non receptæ, neque legitime expenſæ, non ordine neque ex more Eccleſiæ in Eccleſias harum terrarum importarentur atque defenderentur:) De hoc capite interrogatus non ſum, tantum abeſt vt faſſus ſim quod hic dicitur. Quin id quod hic dicitur, aperte repugnat notæ veritati. Nam ſi hic agitur de opinionibus extra quinque capita Remonſtrantium, ſemper quantum in me fuit obſtiti, ne eæ introducerentur defenderenturve, atque hoc egi, vt ſtaretur formulis Eccleſiaſtici conſenſus, quod decreta facta cum ego in republica eſſem, tum anno CIↃ IↃ CXIV tum poſtea, oratio à me habita Amſtelodami, labor meus contra Socinum, omneſque cæteræ actiones meæ

teſtantur. Sin de ſententia agitur convenient cum dictis quinque capitibus, ea publice defenſa erat ab Arminio coram ſuperiore iudicum cõſeſſu, deinde in conventu Hollandiæ: poſtea à paſtoribus Remonſtrantibus colloquio habito in eodem conventu. Et vt ferrent ſe mutuo diſſentientes, iam ſuperior iudicum conſeſſus ſuaſerat, iam proceres Hollandiæ decreverant, antequam ego rempublicam attingerem, ita vt me adiutore facta dici non poſſint quæ ſine me iam facta erant. Tantum decreta ante mea tempora ſine me facta rectis (ni fallor) rationibus defendi, ſimulque operam dedi, vt illa mutuo ſe ferendi benignitas certis limitibus includeretur vitandis omnibus quæ modum excederent. Neque verò ſententia Remonſtrantium nova dici poteſt: primum reſpectu vniverſæ Chriſtianitatis, cum Chriſtiani prope omnes primis quatuor ſæculis, multi etiam ſerius idem ſenſerint: etiam eorum doctores eum in modũ docuerint, qua voce, qua ſcripto: ſed nec ratione habita Reformationis, cum eandem ſententiam Melanchthon atque alij defenderint, imo nunc quoque in Anglia antiſtites ſint qui ita ſentiant, vt hæc ipſa ſententia mox dictura eſt, cum tamen fedus olim cum

Anglia initum dicat eam quæ eſt in Anglia quæque apud nos viget vnam eſſe religionem: ſed neque dici id poteſt, ſi peculiariter patriæ noſtræ res ſpectetur, quando ea ſententia tolerata eſt in Holtmanno, Hermanno Herberti, Clemente Martini, Tacone Sibrandi apud Hollãdos, in Huberto apud Trajectinos, in Gellio Snecano apud Friſios. Receptæ ergo ſententiæ ſi intelligantur eum in modum, vt paſtores omnes ad illas adſtringerentur, id verò vt fieret non egerunt Hollandiæ proceres: neque ego eam ad rem adiutor fui. Sin recipi intelliguntur quæ feruntur in Eccleſia, dico ſententiam hãc pridem receptam eſſe, etiam in Arminio Amſtelodami. Pugnare autem hanc ſententiam cum formulis conſenſionem teſtãtibus, id vero à Remonſtrantibus negatum eſt conſtanter, qui vltro provocarunt ſæpe ad caput XVI Symboli Belgicogermaniæ, etiam ad illud in Catecheſi, Chriſtum peccata portaſſe totius humani generis, & quod verba ſolemnia excommunicationis & reſtitutionis in communionem inſinuant, poſſe aliquem ſcilicet per crimina atrocia excidere à participatione beneficiorum Chriſti, atque ea recipi interveniente pœnitentia, quæ omnia illi aiunt cum ſua ſententia ad

amuſſim congruere. Addiderunt iidem Remonſtrantes ſymbolum illud Belgico-germanicum explicandum ex concentu ſymbolorum quę aliæ Eccleſiæ ediderunt, in quibus ſunt quæ plane aiunt à ſe ſtare. Certe illud negari non poteſt hoc ipſum fuiſſe controverſum, an Remonſtrantium ſententia cum illis formulis pugnaret, ac conſequenter ſub colore talis pugnæ, quæ negabatur, æquum non fuiſſe hanc ſententiam repudiari. Legitima vero exploratio ad hanc rem non vltra erat neceſſaria, quam vt cognoſceretur an hæc ſententia religionis fundamenta ſubverteret, quod ſatis perquiſitum erat in Hagienſi colloquio, compertumque etiam partium confeſſione non ſubvertere. Hoc quod actum eſt, perperam dici non ordine neque ex more Eccleſiaſtico actum, primum inde apparet, quia in Reformatis Eccleſiis, ac nominatim apud nos de hiſce controverſiis conſenſum nunquam fuit, ne inter eos quidem qui à Remonſtrantibus diſſentiũt: atque etiam quia nemo reperitur antehac eo duntaxat nomine excluſus ab Eccleſia quod ea ſenſerit ac docuerit quæ nunc Remonſtrantes: imo vero Eccleſia Goudana (in qua & ſententia hæc & docendi libertas pridem viguit) ſemper membrum

habita eſt Reformatæ Eccleſiæ in patria noſtra. Vide hac ſuper re caput ſupra III & IV. Non ergo in Eccleſias importata eſt hæc ſententia, ſed in Eccleſiis retenta; neque defenſa, niſi quia erat oppugnata, paſtoribus quibuſdam probare aggreſſis, pugnare hanc opinionem cum divinis oraculis & formulis conſenſionem teſtantibus. Me quod attinet, dici non poteſt per me controverſias has aliquò perveniſſe vbi ante non erant. Imo vero ad paſtorale munus commendavi homines modeſtos, monuique paſtores vt quantum eius fieri poſſet in publicis allocutionibus harum controverſiarum tractationem defugerent, cuius rei multos Rotterodami teſtes habeo. Et hæc quidem dicta ſint quod ad facti attinet quæſtionem. Nunc ad ius vt veniam, ſi peccatum eſt in Eccleſiam importare opiniones pugnantes cum formulis conſenſionem teſtantibus, quomodo inſontes haberi poſſunt Electores ac Principes qui Reformatorum de Euchariſtia ſententiam in poſſeſſionem miſerunt pugnantem certè cum conſenſionis teſtimonio, id eſt cum ſymbolo Auguſtano? Reſpondent Electores illi & Principes, Auguſtanum ſymbolum exponendum, & ſi opus ſit emendandum quoque ex divinis oraculis.

Tum vero ipſum in his rebus eouſque pervectum) Quod hic ſequitur de edicto Sciano præſtare non eſt meum,neque mihi imputari poteſt citra iniquitatem maximam. Verum enim eſt (cui etiam probando me obtuli) mihi vt adſeſſori à conſulibus Rotterodamenſibus (qui oppidi ſui nomine acquiſiverunt poteſtatem quæſitoriam in agrum Scianum quę proinde mandatu ipſorum exercētur) iniunctum fuiſſe, vt conciperem aliquid in ſenſum quem continet illud edictum, vt id ipſum poſtea à quæſitore, eximiis & iudicibus agri Sciani expenderetur: à me vero diu id excuſatum, vt qui ſemper ad mitiſſima quæq; & quam minimum iritantia prono fuiſſem animo: tandem vero, cum & ſpecialiter & ſæpius præceptum id mihi eſſet, feciſſe me imperatum. Mens vero Conſulum (quam tamen vt dixi præſtare meum non eſt) fuerat, ſola comminatione prævenire tumultum & cędis etiam periculum quod à nonnullis metuebatur. Sozomenus in Hiſtoria Eccleſiaſtica de Theodoſio narrat, leges quidem ſatis ſeveras ab eo factas adverſus temerarias Eccleſiæ divulſiones, non tamen ſecundum eas leges actum in eos qui deliquerant: quia non gravis eſſe ſubditis volebat, ſed metu eos continere. Teſtium fide conſtabat qui in agro Sciano

eum in modú coibant non fuiſſe eorum ex numero qui larem ibi habebant, (extra quindecim aut ſedecim qui alio modo deſiderium ſuum implere poterant, vt infra oſtēdetur) ſed quoſdam à Lugduno Flandros ortu, alios à Scidamo, alios ab Amſtelodamo, quibus cur illuc procurrerent nihil erat cauſæ, cum domi aut in proximo paſtores audire poſſent ſecum ſentientes. Sed & hi excurſores immodeſtis ſermonibus alios eis locis habitātes iritabant, aientes miſſum ſibi à rectoribus Amſtelodamenſibus paſtorem: illos facti auctoritatem præſtituros: ac ſi qua mulcta eo nomine penderetur, id de publicis vectigalibus deducturos: ſibi proinde decretum perſeverare in cœpto cum bona ſeu mala gratia quorumvis: neque multum ſe anxios etiam ſi id vnius, aut alterius vita conſtaret. Quæ iactantia verborum in magnum malum proruptura timebatur. Hæc vero in ſententia fide non optima diſſimulantur, cum tamen iudices hæc ita ſe habere ſcirent, certe ſcire poſſent, cum & ego apud illos hæc aſſeveraſſem & probationi me obtuliſſem. Sed & hoc ſubticetur quod æque probaturum me ſuſceperam, quamvis publicatum eſſet hoc edictum (de quo decretum à iudicibus & eximiis agri Sciani

factum erat me neque præſente , neque ſuaſore) operam in hoc poſuiſſe,vt nemini ob iſtam minime neceſſariam & periculo haud vacuam ſeceſſionem , imo nec ob perfractum horreum quod publico imperio obſignatum fuerat,noceretur:ſed contra vt vitandis cædibus aliiſque incommodis quæ metui poterant hi ipſi qui ſegreges cœtus habebant non minus quàm alij reciperentur in fidei publicæ tutelam : Sed & hoc inſuper verum eſt , cum poſtea à quibuſdam conſulibus verba facta eſſent , vt in Bleiſvicenſi agro,in quem iuriſdictio ad oppidum Rotterodamum ex emto pervenerat , & ſeparatim à iuriſdictione agri Sciani exercebatur , ſimilis publicatio fieret,id à me diſſuaſum. Præterea vero non ſine magna difficultate me annitente effectum,vt qui Rotterodami ab Eccleſia publica diverterant (quanquam in collatione ob eam rem inſtituta à decurionibus oppidi cauſas eius divortij ſatis graves nullas attulerant , multaſque ſatis æquas ad reconciliationem cõditiones reiecerant) intra ipſum oppidum cętus ſuos habere ſinerentur,quia ita mihi perſuadebam,acribus remediis interdum aliquid profici circa ipſa ſeceſſionis temerariæ primordia,at eandem temporis auctu adultam tutius diſſi-

mulari. Tam multa conſilia ſubinde à me data ad conſtituendam vnitatem & reperienda remedia, quibus omnium animi poſſent acquieſcere eouſq;, vt etiam conditio ferretur Nicolaum Grevinchovium, (qui maxime quibuſdam inviſus eſſe credebatur) ſponte ſua à muneris ſui functione ceſſaturum, ſatis oſtendunt quam à rigore alienus mihi animus fuerit. Hæc quoque probanda ſuſcepi, ſed facta mihi non eſt eius rei copia.

Vt cum ſatis ſciret non eſſe in poteſtate eximiorum agri Sciani conſtitutiones vllas facere:) De hac re interrogatus non ſum: ac proinde contra ius & æquum ſententiæ inſerta eſt, tam non percognito negotio, vt hic ſoli eximij nominentur, cum tamen tam civilium rerum procuratio quam iudicia agri Sciani ſint penes quæſitorem, iudices & eximios. Conſtitutiones ſtricto ſignificatu leges ſunt communiter Hollandiam totam obligantes, quas facere ſe poſſe quęſitor iudices & eximij illi non ita amentes ſunt, vt aſſerant. neque vero edictum, vt ab ipſis editum eſt, eo titulo inſcribitur. At iura quæ in agro Sciano valeant, ab omni ævo facta ſunt à quæſitore, iudicibus & eximiis agri Sciani, non minus quam à quæſitoribus & ingenuis agri Rhenani ac

Delphici quibuſcum illi pari conditionē cenſentur. Manifeſta eius rei documenta præbent actorum libri, vbi & repertum iri puto leges Comitum Hollandiæ quibus Scianis poteſtas intra ſuos fines ius faciendi datur. Hoc certe ſcio, fiſci procuratorem in lite adverſus Limmanos & alios Canemarios hæc verba poſuiſſe. *Sic & quæſitor ac feudorum poſſeſſores in agro Vorenenſi, Putteno & Strideno, quæſitores etiam agri Sciani, Rhenani, Delphici, Canemarij cum ſuis aut feudorum poſſeſſoribus, aut ingenuis quas faciunt leges non faciunt vi ſuæ iuriſdictionis, ſed permiſſu Principis ideſt ex indultu ac privilegio dato à Comitibus Hollandiæ.* In hanc rem perquiſitum certe oportuit, aut ex me intellecta quæ docere iudices poteram, antequam pro certo in ſententia ſcriberent quæſitori iudicibus & eximiis agri Sciani ius non eſſe edicta faciendi, ac mihi id fuiſſe cognitum, quod omnino falſum eſt. Fac tamē quæſitorem, iudices & eximios vi ordinariæ poteſtatis edicta condendi ius non habuiſſe (quanquam res ipſa aliter ſe habet) tamen hac in re ab ipſis Hollandiæ proceribus acceperant poteſtatem decreto quod XVIII Martij die, & XXVIII Aprilis eius anni quo geſta hæc ſunt, factum erat: quo decreto etiam curatores reipublicæ

Hollandicæ iubentur magiſtratibus, honoratis & iudicibus auxilio eſſe ad ſeceſſiones prohibendas, ac nominatim ne quid ex aliis oppidis, aut locis fieret, quod alibi pacem ac tranquillitatem plebi excuteret. Paulo ante decretum quod pro pace Eccleſiarum factum erat menſe Ianuario anni CIↃ IↃ CXIV, cum parte legis conceptæ anno CIↃ IↃ XCI de negotiis Eccleſiaſticis, miſſum erat non tantum ad oppidorum magiſtratus, ſed & ad quæſitores agrarios, ac ſpeciatim ad Scianum, quo facto haud dubiè agri rectores poteſtatem acceperant in ſuo conſtituendi quod interna quies exigeret.

Eorum tamen nomine fecerit atque conceperit rigidam conſtitutionem) Iam dixi non meum hoc eſſe factum, ſed Conſulum niſi quod ego ſcripſi. An vero qui alieno iuſſu ſcribunt aliquid, eo nomine cauſam dicturi ſunt?

Quod editum eſt die XXI *Iunij anni* CIↃ IↃ CXV *titulo quæſitoris, iudicum & eximiorum agri Sciani*) Multo minus hoc ad me pertinet, cum decretum factum ſit me neque præſente, neque ſuadente, vt dicere occupavi.

Qui cum non ignorarent omnes Eccleſias publicas eius territorij inſideri à paſtoribus infectis

novo dogmate) Quod novitatem dogmatis & conſequenter infectionem attinet ſupra refutatum eſt. Ad rem vt veniam, nunquam hac de re auditus ſum: quæſitor, iudices, eximij nihilo magis; tum plane veritati repugnat quod hic dicitur. Nam in vico cui nomen Novecclesia in territorio quæſitoris Sciani eo ipſo tempore paſtor docebat plane ſtans à Contraremonſtrantibus, quem omnes eius ſententiæ ſine tumultu, ſine offenſa vlla audire poterant & cum eo ſacra participare. Rotterodami paſtor erat Henricus Niellius rectoribus oppidi commēdatus à Synodo Eccleſiæ Gallici ſermonis, qui ad id tempus quid de cōtroverſiis ſentiret, non patefecerat. Memini cum Feſtus Hommius & alij in baſilicam Rotterodamenſem veniſſent advocati à municipibus Eccleſiæ ſegregis, nihil ab ipſis Niellio obiectum: ſicut Hellerò quoque nihil quod ſciam vitio datum eſt. Sed nec qui in vico Capella paſtorem tum agebat controuerſiis ſe inſeruerat. Scidami & in vico Tranſſciano (qui locus vterque non quidem ſub quæſitoris iure, quatenus eſt quæſitor, ſed ſub eodem vt aggerum præfecto ſitus eſt) & in portu Delphico, quæ omnia loca valde propinqua ſunt vicis a[illegible]ri Sciani, paſtores erant Contraremonſtrantes,

monſtrantes , vt & in vicis contiguis ad agrum Rhenanum pertinentibus. Horum publicis allocutionibus contenti eſſe poterãt, certè donec tranquillandis omnium animis (quod vnice tum agebant proceres Hollandiæ) propius aliquid eſſet repertum, ac non interim, dum id exſpectatur, novos cœtus conſtituere. Iudicent æqui omnes cum in templis publicis religio expleri poteſt, an tum rectum ſit alios facere conventus, præſertim cum experimentis conſtet vix ſanari vnquam adultum divortium. Hæc ratio Zelandos proceres impulit , vt legatis ſuis imperarent Hollandiæ proceribus conſilium dare ne Eccleſias contra Eccleſias, preſbyteria contra preſbyteria erigi paterentur : quod tamen mandatum legati illi, aliorum inſtigatu, exſequi neglexerunt. Magnus ille in agrum Scianum à Scidamo , Lugduno, Amſtelodamo concurſus ſatis oſtendebat aliud quam meræ pietatis negotium agi.

Tamen ea conſtitutione vetuerunt omnes cœtus veræ Reformatæ religionis ergo alibi quam intra eas Eccleſias :) Quod in templis publicis ex animi ſententia haberi poteſt, id extra quæri non debet.

Iubentes publicari domum, horreum, fœnile, navem, cymbam , campum locave alia vbi aliter

ſecundum ſanctionem de his ſacratis actibus traditam. Et nos etiam hanc in præſenti ponimus legem, quam etiam omni cautela tenere volumus. Omnibus enim interdicimus magnæ huius civitatis habitatoribus: magis autem totius etiam noſtræ ditionis; in domibus ſuis habere quaſdam quaſi orationis domos, & in his ſacra celebrare myſteria. Has leges exerceri ego ſane nolim, vbi ſunt qui in templis publicis religionem animi ſui explere non poſſunt. Sed, vt iam patuit, de eius generis hominibus hic non agebatur. Multo gravior pœna eſt carcer perpetuus in quem nunc damnantur paſtores qui inviti protruſi è templis publicis aiunt, à ſe plebem ſuam pietate illæſa non poſſe deſeri.

Etiamſi loci dominus conſenſum non præbuiſſet, cui duntaxat actio ſervatur in conductorem, aut eum qui cœtum convocarit:) Verba hæc: *etiamſi loci dominus conſenſum non præbuiſſet* in Sciano edicto non apparent: ſed illud ibi legitur: *vt ſalva ſit domino loci actio* quod intelligendum eſt valere, ſi dominus loci rem ſciverit, etiamſi non expreſſe conſenſum teſtatus ſit. Nam verba generaliter concepta ad materiam idoneam reſtringenda ſunt: & quæ in municipalibus legibus indefinita leguntur, trahenda ſunt ad ea quæ ius civile conſtituit. Mos eſt in edi- L. 1. C. de ſacroſan. Eccl. & ibi gl.

ctis magiſtratuum poni vt parentes ex facto filiorum, heri ex familiæ facto teneantur, etiam nulla addita exceptione, quo maior legi ſit reverentia: ſed & ratio & ius commune docent, edicta talia vim ſuam ita demum obtinere ſi ſcientia aut lata culpa intervenerit. Idem ſi opus eſſet evidenter poſſet probari exemplis edictorum quæ à conceſſu iudicum Hollandiæ aut ab oppidorum magiſtratibus fiunt. Quæſitor, iudices & eximij Sciani cum intelligerent ex odio ſua verba ſiniſtrorſum rapi, edicto poſteriore ſignificarũt: *nunquam ſibi in animo fuiſſe, vt qui coitionis ignari eſſent in pœnas inciderent.* Vbi vero conſcius fuit loci dominus, ibi domus aut locus publicatur ex iuris communis præſcripto.

Iul. Clarus §. fin. qu. 86. nu 2. & 4.

Adſcripta inſuper trecentorum florenorum mulcta in eos qui populum allocuti eſſent, qui myſteria diſtribuiſſent, aut aliud quicquam ſacri actus feciſſent: quive conventum convocaſſent quique habitarent ibidem quo coitũ eſſet.) Multo maior, vt referentem audivimus Auguſtinum, erat Romanarum legum mulcta, decem ſcilicet auri librarum. Iterum in memoriam revocandum eſt, territos hac mulcta qui in locis publicis paſtores habebant ſuæ ſententiæ: cum hi qui nunc rempublicam tenent, poſtquam ex publicis templis vbique deiecti ſunt Remonſtran-

tes, in eos qui domum locumve conventui locant, vtendumve dant, qui cœtum convocant, qui ibi docent aut explicant præleguntve quicquam, quive ſe gerunt pro ſenioribus aut diaconis, collectaſve faciunt, pœnam conſtituerint ccc florenorum, cum amiſſione munerum publicorum privatorumque, congiariorum, ſtipendiorumque, ac præterea maiori animadverſione pro iudicis arbitrio: inque eos qui paſtores acceptant, aut ſtipem ad eorum neceſſitates colligunt mulctam ccc florenorum. omitto iam quod extra conſtitutionis verba, qui cœtus adeunt militum telis conficiuntur.

Cuius mulctæ ergo reus illico duci poſſit, neque emitti antequam mulctam ſub fiducia exſolviſſet:) Apud nos mos eſt communiter receptus, vt mulctarum ergo manus iniectio ſit: Et cum quis in ipſo facto deprehenſus eſt, vt ſub fiducia ſolvere cogatur. At noviſſimum edictum quod in eos factum eſt qui in templis publicis religioni ſuæ ſatisfacere non poſſunt, longè vlterius procedit. iubet enim mulctas omnes ipſo facto exigi, quanquam interpoſita eſt querela aut provocatio, idque ſine earum fraude.

Cum inuſitatis appendicibus de agendi modo, recuſationem reſpondendi pro confeſſione valitu-

L. de ætate §. qui tacuit ff. de Interr. act.

ram:) Hoc vero non inuſitatum eſt, ſed iuri civili congruens. In Trajectinis legibus ſub rubrica x ſectione xvi reperio, ſi quis vocatus ſit, vt ad interrogationes certas reſpondeat, idque non faciat cōdicto die, iterum ei diem dici; cum comminatione, ni pareat, quod interrogatur pro confeſſo habitum iri. Caput vero cxxviii mandatorum quæ data ſunt conſeſſui iudicum Hollandiæ ait, ſi qui ad reſpondendum vocatus eſt adſit, neque velit reſpondere, tum id quod interrogatur, ſive vnum ſit, ſive plura haberi pro confeſſo. Idemque præcipitur capite clxxxvii mandatorum quæ data ſunt conſeſſui iudicum ſuperiori. Hoc ergo novum non eſt: ſed illud magis quod nunc vſurpatur, & quidem ex decreto conſeſſus iudicum per Hollandiam antiquioris facto die ii Septembris anni CIↃ IↃ CXIX cuius verba ſic habent. *Magiſtratus oppidorum, tractuum agri, vicorumque vbi ta'es*(Remonſtrantium ſcilicet) *conventus habebuntur, aut ſponte pro officio ſuo, aut etiam quæſitore interpellante poſſunt, ac debent eos qui conventibus interfuerunt, aut qui argumentis probabilibus ibi fuiſſe dicuntur, aut qui ſub id tempus eo verſus ex oppidis proceſſerunt, ad ſe vocare, interrogare, ac iubere vt iuramento ſe purgent, an talibus conventibus interfuerint*

necne: qui iurare recuſant in eos manum inÿcere, ac captos eos impenſis ſuis ipſorum detinere, vt eo modo ſine litis figura adverſus eos agatur ex edicto quod contra id genus conventiculi proceres Federati fecerunt. Vile oportet ſit iuſiurandum vbi quis tam levibus indiciis ad iurandum compellitur.

Et ius dicendum ſuper dictis teſtium:) Edictum Scianum ait ſi quis confiteri nolit audiendos teſtes,& eo facto pronuntiandum ſine alia litis forma: id eſt ita,vt opus non ſit litis acta perſcribi: ſed ex dictis inſtruatur iudicis religio: quomodo plerumque in oppidis iudicari ſolet,etiam vbi nulla eſt contumacia,quæ hîc adeſſe ponitur. Quid ergo horum abit à iure aut moribus? Sed vt clarius pateat appendices quæ hic in odium recitantur non eſſe inuſitatas,exhibebo hîc alterum ac ſerius decretum conſeſſus iudicum Hollandiæ, quod factum eſt nonnullis eorum præſentibus qui inter iudices noſtros ſederant: vnde ſimul illud apparebit quantum id quod nunc facto peragitur, excedat noſtri temporis meras comminationes, cum tamen, vt iam monuimus, in quos nũc ita agitur divortium non vt illi concupiverint.

Conſeſſus iudicum Hollandiæ, conſultato quis agendi modus obſervari debeat adverſus peccan-

iurãdi negationem accedentem ad teſtimonia aut indicia iudices vicani ingenuive pro confeſsione accipere poterunt: ac quaſi confeſſos damnare in pœnas edictorum. Quod ſi reorum vlli adeo ſint re tenui, vt omnino ſolvendo mulctas non ſint, tum vt mulctas earumve partem mutare liceat in pœnam aliquot per dies pane & aqua victitandi, nimirum vt partem mulctæ quantum poſſunt in pecunia pendant, & quod reliquum eſt, aut totam etiam mulctam, vbi ſumma eſt inopia, ærumnabilis victus neceſsitate luant, prout res exiget, & habita ipſorum hominum accurata ratione.

Ipſum quoque captivum, vt impediret ne adverſus iſta:) Videntur hæc verba referri ad edictum Scianum, adverſus quod nullo opus erat remedio, cùm nunquam vlla ex parte ad effectum ſit perductum, quod fide non bona hîc ſubticetur.

Adverſuſque novæ iſtius opinionis invectionem illegitimam remedium adferretur & quod facto opus erat, fieret:) Opinionem non fuiſſe novam probatum eſt ſuprà. Proinde quærendum erat remedium non contra opinionem, ſed contra ſeceſſionem ob opinionem nondum damnatam.

Perpetuo obſtitiſſe quominus communis Synodus Federatarum nationum haberetur, indiceretur ve:) Hoc vero non modo faſſus non

ſum,ſed negavi diſerte,& falſo dici probaturum me recepi. Revincitur hæc criminatio ex edicto procerum Hollandiæ, in quo componendo mei quoque vſus fuit: quo edicto aiunt proceres, non diſplicere ſibi, vt pro tempore inita reconciliandæ vnitatis via,ſi qua capita definitionis egere comperirentur, ea vt per Synodum communem è nationibus ad maiorem generalioremque alteram perferrentur, vt ibi tum veritas,tum neceſſitas eorum capitum ad divinas regulas expenderetur. Præterea revincitur ex conſilio quod poſtremis temporibus Principi Mauritio à me datum eſt, quod memoratum eſt ſupra capite ſexto. Verum quidem eſt, priuſquam ego rempublicam attingerem,ita exiſtimaſſe Hollandiæ proceres, abſque Synodo negotium omne tranquillari poſſe,quod & ego credidi, motus exemplis & rationibus quæ ſuprà eodem capite ſexto videre eſt: ſicut etiam arbitratus ſum, Hollandiæ Synodum recte gubernatam ad eum finem ſatis idoneam fore ob rationes eodem loco cõmemoratas. Sed & hoc verum eſt nihilominus,tantam fuiſſe æquitatem tum magiſtratuum Rotterodamenſium quibus operam addixeram, tum procerum Hollãdiæ, quorum ſupremum in me ius erat, vt ad

ſpem quoque faciendam communis è nationibus Synodi aliorum deſideriis ſe accommodarent, ſi modo placuiſſet illis aliis dirigere negotium, non ad damnationem & auctoritatem addendam occupatæ ſeceſſioni, (quorſum eam Synodum tendere paſtorum quidam diſerte affirmaverant) ſed ad conciliandas partes. Sed quomodocunque id ſe habeat, quæ tandem ratio patitur, mihi imputari ſententiam mihi imperantium quam ſum elocutus, & quam illis placuiſſe ante me rebus ſuis adhibitum, ſatis liquido conſtat? Dudum erat, cum Synodum communem Amſtelodamenſes (neſcio an quenquam eo tempore in conventu habuerint idem cenſentem) ſuaſerant, cumque ea à proceribus repudiata erat, iniquioris iudicij metu.

Cum tamen Rex Britanniarum:) Hic primum cum Hollandiæ proceribus ſenſerat, publico imperio continendos paſtores, vt ſe mutuo ferrent, vt docet ipſius epiſtola. Verùm poſtea non ex vero edoctus à quibuſdam eſt, id agi vt prodigioſa ac pridem damnata dogmata in Eccleſiam inducerentur, vt ſexto capite à nobis ſuperiꝰ indicatum eſt; ita vt in hac cauſa ptovocare nobis merito liceat à Rege male edocto ad Regem eundem de rebus noſtris me-

ter diſſentientes ſuo exemplo confirmaverat, non tantum publice Iohannem Vtenbogardum audiẽs, ſed & cum ipſo Euchariſticum myſterium participans, cùm is pridem iam Remonſtrantibus acceſſiſſet. Etiam poſtquam idem Vtenbogardus cognitus erat eius eſſe ſentenriæ, Princeps anno CIϽ IϽ CX & CIϽ IϽ CXIV ipſius tanquam domeſtici ſui paſtoris opera vſus erat in expeditionibus Reſana ac Iuliacenſi, & anno CIϽ IϽ CXIV, cùm Trajectini proceres ius ſibi quoddam in Vtenbogardum aſſerentes enixe contenderent vt is ſibi concederetur, Princeps rogare perſtitit vt eum ſibi & Hagienſi Eccleſiæ relinquerent. Manſitque in Vtenbogardi communione Princeps vſque ad invaſionem Eccleſiæ clauſtralis. Idem Princeps tot decreta pro pace Eccleſiarum facta ſilentio tranſmiſit, neque vnquam monuit proceres peccari in eo, aut publico Eccleſiarumve bono aliam viam eſſe ineundam. At vero non fuiſſe pietatis momenta quæ impulerint poſtea quoſdam, vt Principi auctores eſſent, ſe decretis procerum obiiciendi, nimis apud nos notum eſt.

Ac pars nationum maior:) De ſeptem nationibus quatuor tolerandos diſſentientes cenſuerunt Geldri, Hollandi, Trajectini,

Tranſiſalani. Cæteras res non tangebat quod has controverſias non haberent. Inducti quidem ſunt poſtea Geldri & Tranſiſalani vt communi Synodo indicendæ aſſenſionem præberent : ſed mens ipſis erat, ibi ſumendum laborem ad pacem componendam, non ad definiendam cauſam. Vide ſupra caput quintum.

Cum multis inſignibus Hollandiæ membris:) Dordrechtani diu nobiſcum eiuſdē ſententiæ fuerunt, publico imperio & pace inter paſtores medendum controverſiis. Amſtelodamum & Enchuſa magni ſane momenti ſunt, ſed non vt contra pendant ordini nobilium, oppidis Harlemo, Lugduno, Goudæ, Rotterodamo, Alcmariæ, Hornæ ac tot aliis, quæ ſimul iuncta plus multo duobus illis oppidis inferūt in Hollandiæ ærarium. Edami & Purmerendæ ratio haberi nulla poteſt ſi magnitudo ſpectetur. alioqui cenſendi ius habent: ſed in eo nihil exſtant cæteris: ita vt vere dicere liceat inſignia maxime Hollandiæ membra à nobis ſtetiſſe, & in ipſo oppido Amſtelodami inſignes multos decuriones qui in conſilio publico eius oppidi partem ferme alteram faciebant. Quid ſi verò non membra máxime inſignia, ſed pars membrorum maior noſtræ fuiſſet ſententiæ,

nonne ea iure prævalere debuit? Quid ſi etiam Rotterodamenſes, quorum eram in miniſterio, propriam & ab aliis omnibus ſeparatam habuiſſent ſententiam? nonne ea tamen mihi fuerat enuntianda? Fac amplius, me auctorem fuiſſe Rotterodamẽſibus, vt conſilium à Synodo communi diverſum proponerent, quia ita factu optimum mihi videretur, ſive rectè ſive etiam errore quodam, id ne mihi vt crimen erit expiandum? Deerunt ſuaſores, ſi ſuaſiſſe periculum erit.

Iudicarent idipſum certum ac neceſſarium eſſe remedium ſanandis malis quæ in religione erant ſuſcitata:) Remedium hoc primo certum non fuit: nam exitu compertum eſt, divortium ea ratione adeo non ſanatum, vt potius factum ſit inſanabile; qua de re vide quæ ſuperius dicta ſunt capite quinto. At nec neceſſarium: nam & alia erant remedia, vt pax æqua ferentibus ſe mutuo paſtoribus, procurata vel imperio publico, vel conciliatoribus ex ſacro & profano ordine, vel per Synodum Hollandicam gubernatam poteſtate procerum Hollandiæ, & inſtructam fideli vicinorum conſilio. Vide hac de re & quartum & ſextum caput. Ex his multa ſæpe idonea

de eis iudicio, id vero iuri poteſtatum eſſe contrarium. Puto ab omnibus reipublicæ adminiſtrandæ gnaris id agnoſci. Etiam hoc dixi in oratione ad ordinem Amſtelodamenſem, ſæpe Eccleſiaſticos homines vbi in vnum locum collectos ſe vident ea facere decreta de gubernatione Eccleſiæ quæ iuri ſummarum poteſtatum damnoſa ſint. Verè id dictum apparet ex Synodo communi Hagæ habita temporibus præfecturæ Liceſtrianæ quæ eiuſmodi decreta fecit de electione ad munera paſtoralia, vt Hollandiæ proceres neceſſarium iudicaverint ſua contraria decreta iis opponere. Imo hæc ipſa Synodus tanto ambitu expetita, cui quod occurſum voluimus nobis pro crimine imputatur, hęc ipſa manifeſtè oſtendit verum eſſe quod dixi; quandoquidem non vnius nationis proceres in eius actis non vnum caput deprehenderunt ſuo imperio ac poteſtati noxium, atque ea de cauſa acta nude confirmare abnuerunt.

In re Synodi neque cenſendi neque ſententias numerandi ius eſſe:) Hæc non mea ſunt verba, ſed procerum Hollandiæ cum frequentes in Federatorum conventum veniſſent, voce quidem enunciata die XXVIII Iunij CIƆ IƆ CXVIII, Iulij vero III die tra-

dita ſcripto, quod quidem ſcriptum non à me (vt huius ſententię auctores ſibi videntur perſuaſiſſe, cum tamen ea de re interrogatus nō ſim, multoque minus rem faſſus) ſed ab Oldenbarneveldio erat compoſitum. Rem quod attinet, cum ſenſus idem ſit qui verborum ſequentium, quod ibi reſpondebitur, hîc quoque reſponſum putator. Alioqui poſſe & cenſeri de Synodo & Synodum etiam communem convocari conſentientibus nationibus, ſemper à nobis extra controverſiam poſitum eſt.

Ac pugnaturum cum iure atque imperio Hollandiæ, ſi communis Synodus invito Hollandiæ conventui aut parti eius maiori obtruderetur:) Maior pars Hollandiæ ius habet ipſius Hollandiæ, præſertim vbi negotio adhuc agendo intercedit. Vide hac de re caput VIII Arbitrium de publico religionis ſtatu, præſertim ad pacem conſtituendam ſuper controverſiis huiuſmodi, penes nationes eſt ſingulas, vt in ſecundo capite videre eſt, vbi & illud fuit diſcere non aliam fuiſſe hac de re ſententiam procerum Federatorum, procerum Hollandiæ, procerum Trajectinorum, & Principis Mauritij anno CIƆ IƆ XC, poſt quod tempus nulla mutatio proferri poteſt. Cùm verò in his

quæ nationum ſingularum ſunt propria; nulli nationi invitæ obtrudi quicquam iure poſſit, ſequitur id quod à nobis dictum eſt manifeſto iure niti. Neque reperietur antehac vlla communis Synodus convocata, niſi de communi nationum ſententia. Ad me vt veniam, quicquid huius dixi in conventu Hollandiæ, id dixi mandatu ordinis Rotterodamenſis, præſentibus atque ita faciendum cenſentibus aliis eius oppidi legatis. Quod autem dixi in conventu Federatorum; id dixi mandatu procerum Hollandiæ. Quæ ergo æquitas patitur, vt id ego præſtem?

Eundem nunc captivum quo magis id impediret cum legatis oppidorum quorundam ſeparatos cætus habuiſſe, vt ibi explorarent alij aliorum ſententias, eas conciliarent; atque ita coitione facta ſententias in Hollandiæ conventum perferrent:) Falſum eſt conventus oppidorum quorundam Hollandiæ peculiares in id habitos vt communis Synodi indictio impediretur. Nam multo antequam oppida noſtra inter ſe convenirent, proceres Hollandiæ Synodum talem negaverant, atque alias inierāt vias, ita vt peculiares iſti conventus ad hanc rem neque neceſſarij fuerint, neque vſum potuerint habere. Sed verum eſt aliquammulto tempore poſteà-

quam̃ Amſtelodamẽſes, Enchuſani,Edamenſes & Purmerendani inter ſe, quibus & Dordrechtani deinde acceſſerunt, conventus habuerant peculiares vt coitione facta decreta procerum Hollandiæ oppugnarent, alia oppida, & in eo numero noſtra, legatis ſuis mandaſſe vt inter ſe de negotio conferrent, non ad coitionem faciendam, ſed vt decreta procerum ſecundum leges facta argumentis communibus defenderẽtur: ſimulque ad conſultandum quouſque diſſentiẽtibus Hollãdiæ membris concedi à nobis poſſet, ſine patriæ & & oppidorum gravi detrimento. Legati oppidorum nõ quæ ſibi privatim ſed quæ oppidi cuiuſque ordini viſa erant contulere, oppidorum rectoribus rem retulerũt, rationeſque & conſilia ſua ſine vlla diſſimulatione palam conventui patefecerũt. De me vere teſtari poſſum, dixique iudicibus & probaturum me recepi, neque auctorem me neque ſuaſorem fuiſſe eiuſmodi colloquiorum, neque aliud quam obedientiam præbuiſſe eorum imperiis quibus operam addixeram, ac proinde nihil eſſe cur ego hoc præſtare debeam. Attamen dicam vt fidelis miniſter eorũ quibus in me poteſtas fuit, expropoſiti diver-

ſitate conventus tales bonos maloſve cenſeri: ac bonos haberi qui ad tuendum ius ac ſalutem publicam fiunt. Lex magna data Hollandiæ à Maria Burgunda ſic ait: *Liberum eſto oppidis Hollandiæ inter ſe aut etiã cum aliarum nationum proceribus convenire, & quotieſcunque viſum ipſis fuerit conventum indicere in quemcunque viſum fuerit locum, vt ibi colloquantur de negotiis ad patriam, aut oppida communiter aut ſeorſim pertinentia; neque opus habento eam ad rem venia Comitis: neque eo facto in Comitem peccaſſe cenſentor, aut vlli calamniæ ſubjacento.* Mandata quæ ab vniverſis nationibus Senatui Federis data sũt, ſic habent: *Ne Senatores de decretis, conſiliis ac deliberationibus conſeſſus ſui conferant extra conſeſſum, niſi forte cum collegis, extra alios arbitros.* Scimus quomodo oppida quæ compendio navigationis per Hollandiam lædi ſe arbitrabantur inter ſe conſilia participaverint, atque etiam pactis conventis ſe obſtrinxerint, cum tamen res ageretur privata ipſorum, non patriæ publica. Princeps Wilhelmus Arauſionenſis Apologetico ſuo primo agẽs de cõventu nobiliũ anni CIↃ IↃ LXVI ait: *Non poſſe à ſe cõventus eiuſmodi pro coitionibus haberi, cũ qui ſe federe obſtrinxerant, in eo perſtarent, nihil ſibi pro-*

poſitum facere, aut attentare contra vtil tatẽ publicam. Deinde: ſi, ait, in hac re coitionis, aut perduellionis crimen commiſſum dicitur, aut id in eo poſitum eſt quod federati nobiles orabant rationem haberi eorum quæ admonebant, aut quod eadem de re vellent proceres Belgicogermaniæ conſuli, aut quod generaliter ac ſine vllo diſcrimine conventus omnes ei crimini ſint affines: quorum trium nihil eſt (inquit) *quod mihi ſe probet.* Confer iam illam conſiliorum participationem cum noſtra. Illi qui tum participabant privati erant, non oppida, nec mandata, vt nos, ab oppidis habentes: illorum participatio nitebatur peculiari quodam ac novo federe: noſtra veteri vinculo membrorum Hollandiæ, quo obligantur conſervare ius corporis, peculiari pactione nulla interveniente: illi quod convenerãt, factum erat nolente Rege Hiſpaniæ tum Principe Belgicogermaniæ & contra eius edicta: quod nos, id congruebat cum voluntate procerum Hollandiæ, quæ ſumma erat poteſtas apud nos, & ad eorum decreta tuenda ſpectabat. Et tamen illa conventio à Principe Arauſionenſi Vvilhelmo probatur, noſtra damnatur à XXIV conquiſitis iudicibus.

Deinde ipſum nunc captivum iniuſſu proce-

rum Hollandiæ:) Verum hoc non eſt,ſi modo iuſſus intelligatur vt iura præcipiunt. Nam procuratori aut patrono, cui cauſa mandata eſt, ſimul mandatum cenſeri debet ea expedire quæ ad cauſam vtiliſſima iudicat,in quibus eſt,& nuntiationibus vti adverſus actus iuri eius, cuius res agitur, damnoſos. Qui à nationibus ſingulis ad conventum Federatorum mittuntur, generale mandatum habent tuendi ius mittentium, ac proinde etiam interponendi nuntiationes contra actus ipſis nocituros. Antequam à nobis nuntiatio interpoſita eſt die IV Auguſti anni CIↃ IↃ XVIII decretum fuerat ab Hollandiæ proceribus, *non poſſe cõſentiri in Synodi communis indictionem, tum ne,quod ſecundum leges procerum Hollandiæ erat proprium, cum aliis communicaretur, tum ob alias graves admodum cauſas.* Die vero V Auguſti in reſponſo dato Zelandiæ legatis dictum erat: *De habenda Synodo ſæpius in hoc conventu conſultatum eſt: ſed maiori parti viſum eſt pleroſque paſtorum nimiis ſtudiis teneri huius aut illius ſententiæ, partim etiam decretis quibuſdam ac conventionibus obſtrictos eſſe,tum ad oppugnandum ius ſummarum poteſtatum,tum ad tuendam hanc vel illam ſententiam: quibus de cauſis non potuiſſe ſibi perſuadere proceres Hollandiæ,hoc animorum æſtu à Sy-*

nodo cõmuni cõtroverſias æquo iudicio diſceptari & bono Eccleſiarum definiri poſſe. En mandatum & non aſſentiendi in talis Synodi indictionem, & , ſi tentaretur indictio, ius Hollandiæ defendendi.

Cumque ipſi de iuſſu procerum Traiectinorum & Tranſiſalanorum non conſtaret:) Quemq; de ſuo mandato ſollicitum eſſe par erat. Cum mihi conſtaret de mandato eorum quibus parere debebam, meum non erat de aliorum mãdatis curioſum eſſe. Tamen firme credo cæteros quoque mandatum habuiſſe. Nam Trajectini proceres ab anno CIƆ IƆ CVII Synodum indicendam negaverant, ſimulque affirmaverant ius de rebus Eccleſiaſticis atque etiam de religione imperandi ſibi intra ſuas terras deberi: Poſtquam nuntiatio, cuius hîc mentio fit, à nobis interpoſita eſt, perſtiterunt proceres Trajecti in vetere ſentẽtia, etiam cum Princeps Mauritius Trajectum veniſſet. Neque minus nobilitas & oppida Tranſiſalanorum nuntiationem à ſuis legatis interpoſitam iudicarunt ſuæ ſententiæ ac voluntati congruere, ac proinde poſt hãc nũtiationem die XII Octobris ab aliis legatis dictum eſt in conventu Federatorum, quod à Daventrienſibus & Haſſelanis tum ore, tum ſcripto poſtulatum erat

de Synodo communi nationum, id iuri ac legibus nationis Tranſiſalanæ adverſari.

Auſum in domo Iohannis Oldenbarneveldij:) Oldenbarneveldius eo tempore affecta erat valetudine, ac proinde ſolebant qui in miniſterio erant Hollandiæ, nec minus legati nationum qui Federatorum conventui intererant, ad ipſum domum viſere & conſilium eius expoſcere. Idemque non minus quam ego fecerunt cæteri quibus perſpecta viri peritia in civilibus negotiis. Conſilium audire eius cuius potiſſimum conſiliis Hollandia vtebatur, aut etiam concipere aliquid collegis oſtendendum, eſtne illud illicitum? Legati nationum qui Synodum communem depoſcebant, multo fecerunt amplius; cum ea quæ pro inſtituto ſuo videbantur ſcripto conciperent, in peculiaribus ſuis cœtibus, vbi & oppidorum quorundam Hollandiæ legati aderāt, quæ oppida eum in modum contra ius ab Hollandiæ corpore divellebantur.

Nomine nationum Hollandiæ, Traiectinæ & Tranſiſalanæ coniunctim:) Imo nomine legatorum ab illis nationibus. Id vero à legatis vna ne charta an pluribus fieret, nihil intererat. Etiam legati Ciſſlavicani & Trāſlavicani cōiunctim verba fecerunt in conventu procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ

cum Synodum è nationibus communem commendarent. Notandum quoque nationes ſingulas ex primo capite Federis Trajectini teneri auxilio eſſe aliam alij ad tuenda imperij iura, quod ſi nationes nonnullæ in officio negligentes ſint, aut ipſæ in aliena iura involent, non eo tamen tolli obligationem inter cæteras volentes ſtare pactis conventis.

Perſcribere nuntiationem:) vbi auditum vnquam eſt nudum ſcribendi miniſterium dictante altero crimen eſſe, præſertim cùm id eo fit animo, vt ſcriptura oſtendatur confeſſui, ac deinde id fiat quod confeſſui viſum fuerit?

Quam etiam in conventum Federatorum Procerum intulerunt, qua pariter atque coniunctim adverſus morem in eo conventu vſitatum in modum coitionis adverſus aliarum nationum legatos teſtationem interponebāt:) Quibus idem jus eſt, hi communiter cauſam agere non prohibentur, vt leges Romanæ nos docent: neque id vlla ſpecie coitionis nomine accuſari poteſt. Pugnare hoc cum conuentus Federatorum aut legibus aut moribus, mihi non liquet: At vero Synodum communem vna natione, nedum pluribus refragantibus, indicere, neque vllis amicis compellationibus (quales factæ ſunt

complures) inde abduci, cum more conuentus plane pugnat, quando vſitatum fuit hactenus, vt etiam in minoribus negotijs, & quæ nationes ſingulæ non tam aperte ſibi exceperunt, alij alijs obſecundarent, & ad communem gratiam cuncta dirigerent.

Fore eos auctores & cauſas malorum atque incommodorum per promotionem Synodi communis :) Dolendum eſt quod eventus oſtendit, vt Caſſandræ vaticinia, ita noſtra tam vera fuiſſe quam non credita. Similes denuntiationes interpoſitæ olim ſunt à Principibus multis adverſus ſtudia Synodi Tridentinæ : à nonnullis etiam pariter atque coniunctim, quod hic immerito per coitionem vocatur. Sed quia eiuſmodi nuntiationum ratio non eſt habita, ideo immedicabile factum eſſe vulnus Eccleſiæ aiunt Proteſtantes.

Quam nuntiationem etiam modo inſolito antea in conſeſſum curatorum reipublicæ Hollandiæ intulerat, & prælegerat, non exſpectata perrogatione quæ rite atque ordine fieret:) Prælecta eſt in conſeſſu legitimè coacto : & aut concordibus aut pluribus ſententijs, vt lex habet conſeſſus, perrogatum eſt. Atque ideo neſcio quid hic ſit quod factum dicatur modo inſolito. Neque ante, neque

poſt captivitatem meam quicquam memini afferri quod eo pertineret, niſi quod à quibuſdam dictum eſt non in ſedilibus, ſed ad focum perquiſitas ſententias. At lex conſeſſus noſtri nos ſedilibus non adſtringit. Totus ille locus negotiis publicis deſtinatus eſt: & vt hyeme ad focum conſultetur, ſolet fieri, licet denique. Qui conſeſſui interfuerunt, eorum id nemo ignorat. Siquid aliud de inſolito hoc modo dici poterat, id expreſſum oportuit, non ita poſitum indefinite, vt refelli nequeat. Quod dicitur non ordine ac rite perrogatum, à vero abit: à me confeſſum non eſt: ſed negatum rotunde, oblata etiam in cõtrarium probatione, ad quam admiſſus non ſum. Et tamen hoc ſententiæ inſeritur. Quis iniquiorem vnquam vidit agendi modum? Qui contra decreta procerum Hollandiæ & conſeſſus reipublicæ curatorum ſeparatim ſuorum oppidorum ſententias tentarunt perferre in conventum Federatorum, hi ſunt qui fecerunt quod nec rite nec ordine fieri poterat. At ijdem non impune tantum id ferunt, ſed gratiam & mercedem reportant.

Ipſum quoque aſſenſiſſe, & cum cæteris octo oppidorum legatis perpuliſſe, & quo effectum daretur adiutorem fuiſſe, vt magnô ſociorum contemptu

epiſtola procerum Federatorum ad convocationem Synodi communis ſcripta ad proceres Hollandiæ non reſignata remitteretur:) Non habebam ego hac in re ius dicendæ ſententiæ: Sed oppidum Rotterodamenſe cuius tum frequentes legati Hollandiæ conventui intererant, quibus hoc duntaxat viſum eſt, accedere ſentẽtijs prioribus, quod à me ipſorum iuſſu enunciatum eſt verbo vno atque altero, nulla mea apud legatos Rotterodamenſes eam ad rem ſuaſione aut conſilio: ita vt hic accuſer tantum ob prolatam legatorum Rotterodamenſium ſententiam. Octo oppida hac de re nunquam conſilia ſociarunt. Neque ipſorum magis res agebatur quam nobilium & oppidorum extra illa octo, quibus idem viſum eſt: nihil ergo hic perpulſum: nihil eſt quod ego effectum dederim: quapropter hæc narratio non modo confeſſionem meam excedit, ſed ſimul pugnat cum manifeſta veritate. Qui conſilium remittendæ epiſtolæ dederunt, ab his conſideratum eſt legatos aliarum nationum inſuper habitis argumentis, orationibus atque nuntiationibus, ipſo facto ire in poſſeſſionem iuris quod non ipſis, ſed nationibus ſingulis intra fines proprios competeret: atque ea quoque in re extra controverſiam imperium Hollan-

diæ ab ipſis invadi,quod litteris ſuis locum Synodi deſignarent Dordrechti intra Hollandiam impermiſſu procerum Hollandiæ quorum eo loco ſumma poteſtas erat. Refutare tam noxiam ſcriptionem ſupervacuum erat,cum quæ eo facerent argumenta & ſæpè & quantum ſatis erat prolata eſſent,neque vnquam ad ea directe reſpõſum. Recipi literas & taceri pernicioſum fuerat iuri Hollandiæ,quod tuendum omnino iudicabant hi quorum ſub poteſtate nos eramus. Vt remittantur epiſtolæ per quas ius aut imperium arrogatur novum non eſt, ſed in Hollandia factitatum antiquitus etiam ab inferioribus adverſùs ſuperiores,ſicut videmus eius naturæ epiſtolas in ius vocantes à conſeſſu Hollandiæ iudicum ad Machlinienſem conſeſſum remiſſas. Sed iniquitatem vide. Quod à tot hominibus pleno conventu factum eſt duobus aut tribus imputatur, cum cæteri ne appellentur quidem, quidam horum etiam in republica retineantur.

Ipſius quoque opera auxiliante conceptas literas nomine procerum Hollandiæ ad Galliæ Regẽ:) Verum eſt à me iuſſu conventus Hollandiæ conceptas epiſtolas diverſas ad regem Galliæ,ad Regem Britanniæ,ad alios Principes ac ciuitates, ad quos omnes aliarum

nationum legati nomine Federatorum procerum ſcripſerant, vt legatos Eccleſiaſticos inde acciperent ad Synodi communis augmentum, & quanquam multum rogati ab Hollandis atque aliis, deſiſtere ab eo inſtituto noluerant: quapropter conuentui Hollandiæ viſum eſt neceſſarium eos Reges Principes ac civitates edocere rerũ geſtarum veritatem & ius nationum ſingularum. Literæ ad Regem Galliæ ita vt à me conceptæ erant, quarum archetypum ſervavi, ſic habebant.

Ex quo arma pro libertate ac iure publico ſumpta primum à nobis ſunt, Rex potentiſſime, duo præcipua mala nos exercuerunt. prius horum eſt, quod multi paſtorum nobis nobilibuſque & oppidorum rectoribus non permiſerunt vti eo iure quo maiores noſtri circa electiones ad munera paſtoralia, reſque alias vſi antiquitus fuerant nemine contradicente: alterum quod, orta per Eccleſias noſtras contentione de ſubtilibus rerum diuinarum controuerſiis puta de Prædeſtinatione & quæ ei adhærent, paſtorum multi alios à ſe diſſidentes ferre placide non potuerunt, cum nos iudicaremus id genus controuerſias rectius arceri à cathedra, ac poſſe charitatem coli etiam inter diuerſa placita in eiuſmodi rebus ſequentes. Spes nobis fuerat, poſtquam beneficio Regis in æternum memorandi parentis tui bello tam gravi eramus liberati, tem-

pus nobis & occaſionem non defuturam mala iſta ſuperandi ſtabilito inter cives recto ordine atque vnitate. Sed contra evenit, vt paſtorum nonnulli magis magiſque ſibi indulgentes non tantum Eccleſias miſerabiliter diſciderint, verum etiam cauſam dederint quibuſdam de plebe, externis præcipuè, ne in ea quiete atque obedientia ſe continerent qualis deſiderari ab ipſis merito poſſet. Et quomodo id hominum genus antehac in Synodis communibus, quas Nationales vocant, ſæpe conati ſunt munire ſeſe contra ius illud rectoribus reipublicæ circa electionem ad paſtoralia munera ac res alias debitum, atque etiam ſuos collegas in illis controuerſiis aliter ſentientes cenſuris vexare, ſic nunc etiam id agunt vt maiori cum pompa propoſitum vetus effectum dent. Quanquam vero nationes quædam noſtri federis quas iſta incommoda minus vrgent, ad indictionem talis Synodi permoueri ſe paſſæ ſunt, etiã nomine vtentes in litteris indictiijs procerum Federatorum, nos tamen gnari alium eſſe apud nos quam apud ipſas Eccleſiæ ſtatum, tum vero federe quod cum aliis nationibus pepigimus, ius conſtituendi de publico Eccleſiarum ſtatu nobis reſeruatũ, ita vt nullius imperijs ea in re teneamur, alia oſtendimus remedia meliora, quæ incolumi libertate ac iure noſtro ad res tranquille componendas valerent, vt videre eſt in oratione quæ has litteras comitatur. Quare conſcij ſummæ beneuolentæ,

lentiæ, qua pater tuus nunquàm ſatis laudatus, tuque paternis inſiſtens veſtigiis rempublicam Hollandicam proſecuti ſemper eſtis, plane confidimus non permiſſuram tuam Maieſtatem, vt ſubditorum ſuorum opera quiſquam confirmetur in eo inſtituto quod iuri noſtro adverſum eſt, ſed potius perſtantem te in ſumma noſtri caritate omni occaſione laboraturum, vt legitima poteſtas noſtra, te quoque ſuſtentante, ſalva ſit adverſus factiones ac tumultus, cunctaque dirigantur ad maximam concordiam, cuius pars magna ſita eſt in iuris cuique proprij libertatiſque tutela. Quod nos ſuper tot alia accepta à te beneficia grato addictoque animo ſemper proſequemur; Deumque venerabimur, Rex potentiſſime, vt ſolium tuæ Maieſtatis ſtabiliat, tibique largiatur firmam valetudinem & florens imperium. Tuæ Maieſtati addictiſſimi proceres Hollandiæ ac Veſtfriſiæ.

Oratio, cuius in literis iſtis mentio apparet, eadem eſt quæ habita erat ab Hollandiæ proceribus in conventu procerum Federatorum die XXVIII Iunij & die Iulij III ſcripto tradita, comprehendens conditiones ſatis commodas ad pacem conſtituendam etiam per Synodos & auxilia tum domeſticæ tum externæ eruditionis, cuius orationis meminimus ſupra capite ſexto. Me poſtea Rotterodamum digreſſo

formula iſta literarum, primum per eos qui id negotij acceperant, deinde à conventu recognita eſt, meque abſente nonnihil mutatum: quantum & quibus in partibus certo affirmare nequeam: confido factum id qua oportet prudentia. cæterum id præſtare non eſt meum.

Quibus hoc agitur vt contra rei veritatem Regi perſuadeatur Synodi communis indictionem hoc habere propoſitum vt ſummis poteſtatibus, nobilibus, ac inſignibus vaſallis adimeretur ius collationis ſive Ecleſiaſtici patronatus:) Contra rei veritatem procedit iſta narratio. Placuerat enim Regi Galliç, Regi Britanniarum ac Principibus aliis commonſtrari, non indictionis Synodi hoc eſſe propoſitum, quod perinde eſt quaſi legati nationū eò contendiſſent, verùm, non omnes quidem, *ſed aliquos paſtores per communes Synodos ſæpius id conatos*: quod ſane verum eſt, & verum eſſe apparet ex actis omnium antecedentium Synodorum, præcipue illius quæ habita anno CIↃ IↃ LXXXII Middelburgi, quæ circa electionem ad paſtoralia munera nullam magiſtratuum facit mentionem: tū vero & eius quæ auctore Comite Liceſtrio habita eſt anno CIↃ IↃ LXXXVI, contra quam proceres Hollandiæ ſpeciali decreto ius poteſtatis ſuæ ſervaverant, vt

ſuprà capite VII narratum eſt. Dictum præterea eſt in literis iiſdem etiam nunc quorundam paſtorum conatus eo tendere. Hoc vero ita eſſe non ſoli Hollandiæ proceres iudicarunt, ſed & Tranſlavicani, qui propterea denuntiarunt nolle ſe pati vt ius patronatus apud ſe moribus receptũ in controverſiam vocaretur, vt eodem capite VII annotavimus. Ibidem cõmemoratum à nobis eſt, quomodo huius indictionis impulſores (de Eccleſiaſtici ordinis hominibus intelligi me volo) libros ſcripſerint quibus rectores reipublicæ ab eo iure deijciuntur, quomodo eo ſolo nomine cœtus ſegreges inceptaverint, & ad ſimile divortium alios arcanis promiſſionibus obſtrinxerint. Quî poteſt ergo de eorũ animo dubitari? Neq; vero acta Synodi ab horum hominum mente nimium diſcedere apparet ex decretis Synodi compluribus, in quibus mutationẽ eſſe neceſſariam gravibus de cauſis nationes aliquot iudicarunt. Verum in illis ad Regem literis præter hoc incommodũ, aliud quoque nihilo levius indicatur, nempe, *propoſitum paſtoribus nonnullis . ollegas ſuos de Prædeſtinatione & rebus annexis aliter ſentientes cenſuris vexare.* Cur hoc ſilentio diſſimulatur, cum

etiam ſine altero hoc ſolum ſuffecerit, vt ſapientes viros omnes à Synodo eum in modum indicenda abſterreret?

Federatos proceres in eius Synodi epiſtolis indictitijs nomen Federatorum procerum vſurpare:) Dici debuit, *quaſdam nationes nomen ſibi aſſcribere Federatorum procerum.* nam quod ſententia hîc loquitur, commodum ſenſum non habet. Res ita habet. Nomine Federatorum procerum legitime perſcribuntur acta omnia, etiam quæ ex partis maioris ſententia decreta ſunt, in rebus quæ legibus federis ad conventum Federatorum delatæ ſunt: in rebus aliis idem non licet, niſi de communi nationum conſenſu. Proinde merito proceres Hollandiæ & alij cenſuerunt, ſi vellent Geldri, Zelandi & Friſij cis atque vls Lavicam Synodum convocare citra conſenſum quarundam ex nationibus ſociis, licere id ipſis, ſed proprio ipſorum nomine præſcripto, non nomine conventus Federatorum, quia ea res ad vniverſitatem ſocialem non pertinebat, vt ſecundo capite oſtenſum eſt.

Quibuſque Rex oratur non permittere vt ſuorum ſubditorum quiſquam ad Synodum veniat) Verba habent *Confidere Hollandos Regem* (idē ad Principes alios ſcribebatur) *non per-*

miſſurũ vt ſubditorum ſuorum opera quiſquam confirmetur in eo inſtituto quod iuri Hollandiæ adverſum eſſet. In epiſtolis ad Euangelicos Principes hoc amplius erat additum: *ſed potius operam eos daturos, vt vnitati Eccleſiaſticæ, quæ plerunque ex grauium controuerſiarum definitionibus periclitari ſolet, conſulatur per vias molliores, nimirum per Chriſtianam moderationem & ferendi ſe mutuo æquitatem.* Etiam alia epiſtola concepta erat ad reformatarum Eccleſiarum legatos qui Regi Galliæ adſunt, qua rogantur Eccleſiarum ſuarum conſilia ad pacem dirigere. Ego vero & apud Maurerium ſæpè & apud Boſſizium poſtea, Regis Galliarum legatos, precibus inſtiti vt idonei viri rerum ſacrarum periti ex Gallia mitterentur, qui pacis ſpem promouerent, & quæ eo facerent reperire iuxta alios allaborarẽt. Vnde promtum eſt intelligi, non id egiſſe noſtros, ne periti ſacrarum rerum aliunde huc mitterentur, ſed ne mitterentur cum definiendi mandato, & ad conventum eo modo ac forma indictum. Cæteroqui vt externi tum Principes civitatumque rectores, tum rerum ſacrarum interpretes rem totam rectius perſpicerent, eoque paratiores eſſent ad ſuggerenda ſalutaria conſilia; placuerat cum literis Hollãdiæ ſimul ad eos trãſmitti capita

Remonſtrantium, etiam illa capita quæ in colloquio Hagienſi deprehenſa fuerant inter partes convenire, decreta à proceribus Hollandis, Trajectinis, ac Tranſiſalanis facta pacis ergo, exemplum conciliationis olim factæ in Polonia cum parte literarum quas ſimilem in finem Elector Palatinus ad noſtros ſcripſiſſet. In epiſtola vero ad Regem Britanniarum multæ aliæ rationes & exempla vetera producta erant eodem facientia, ex quibus omnibus conſtare poteſt de animo procerum Hollandiæ cùm literæ iſtæ ſcriberentur.

Sed potius vt Hollandis aduerſus aliarum nationum factionem (vt ibi appellatur) eſſet auxilio:) Manifeſta detorſio. Epiſtola agit, *de legitima procerum Hollandorum poteſtate adverſus factiones ac tumultus ſuſtentanda.* Quę ſint illæ factiones ex his quæ in eadem epiſtola præceſſerant, facile erat intellectu, vbi dictum erat, *paſtorum nonnullos magis magiſque ſibi indulgentes non tantum Eccleſias miſerabiliter diſcidiſſe, verum etiam cauſam dediſſe quibuſdam de plebe, externis præcipuè, ne in ea quiete atque obedientia ſe continerent, qualis deſiderari ab ipſis merito poſſet.* Hæ factiones (Liceſtrianis illis non multum diſſimiles) palam viſitatæ erant Veteribus aquis, Harlemi, Lugduni, Huſdæ, etiam Hagæ. An ve-

ro etiam arcana decreta de indicanda Synodo communi facta à legatis quarundam nationum, adhibitis in conſilium quibuſdam legatis oppidorum Hollandiæ, atque eorum perpulſio ingratia Hollãdiæ & nationum aliarum contra ius antiquum, factionis nomine appellari poſſit, hîc non diſputo, quando apertum eſt epiſtolæ verba non eo reſpicere. Beneficium quod his literis à Galliæ rege erat poſtulatum, idem placuerat poſtulari ab aliis Principibus ciuitatumque rectoribus, ad quos procerum Federatorum nomine deſtinatæ fuerant literæ. Epiſtola ad regem Britanniarum circa hæc verba deſinit. *His quæ ſincere, prout ipſa ſe res habet, Maieſtati tuæ ſignificantur, rogatur Maieſtas tua animum advertere, ſummiſque ſuis in hanc rempublicam beneficiis hoc adiungere, vt legitimos eius rectores in coercendis conatibus ſeditioſis & tuendo imperij iure adiuvet: tum vero auctoritate ſua, qua merito pollet maxima, doctorumque Theologorum conſiliis à ſeceſſionis præcipitatæ propoſito eos avertat, qui ob controverſias ad ſalutem non neceſſarias, difficiles præterea & vix explicabiles, etiam legitimis Evangelicarum monitionum gradibus non obſervatis, mutuas congregationes deſerunt, & corpus Eccleſiæ lacerant. De Ordinibus viciſſim certo ſponderi poteſt eos in ſuo officio ſegnes non*

fore, ac præſertim diligentiam adhibituros, ut adverſantia receptæ veritati dogmata iudiciis Eccleſiaſticis, & publica, ſi eam opus ſit accedere, animadverſione ex Eccleſia exterminetur, omniaque fiant quæ aut ſalutaris veritas, aut Chriſtiana charitas expoſcant.

Quæ omnia eo pertinebant, ut communis Synodus & medicina malis in religione enatis impediretur :) Mens procerum Hollandiæ, quorum eram ſubditus, & rectorum Rotterodamenſium, quorum eram miniſter, fuit impedire talem Synodum qualis tum agitabatur, vnde nihil exſpectandum erat, niſi definitio parum æqua, maior divulſio, & reipublicæ rectorum mutatio. At alia multa meliora remedia ab Hollandiæ proceribus non ſemel commonſtrata fuerant. Vide ſuprà caput ſextum. Proinde ex vero dictum fuit in literis ad Regem Galliæ conceptis : *alia oſtendimus remedia meliora quæ incolumi libertate ac iure noſtro ad res placide componendas valerent*: Et in literis ad Principes Evangelicos : *alia remedia monſtravimus quæ ſalvo iure noſtro ac publicis legibus ad reſarciendam Eccleſiæ pacem rectius ducerent.*

Ipſum quoque nunc captivum in Anglia eo fini monitu Iohannis Oldenbarneveldij animos tentaſſe Epiſcoporum, ut, ſi eò omnino deveniendum eſſet, aliqui ad Synodum adhiberentur qui

novæ opinioni non eſſent contrarÿ:) Primum apparet hinc verum non eſſe quod dictum eſt ſupra, me Synodo ſemper obſtitiſſe. Nam obſtare Synodo & aliquos tentare, vt eos ad Synodum adhibeas, res ſunt pugnantes adverſis frontibus. Deinde patet hinc in Anglia, cuius religio cum noſtræ patriæ publica religione vna atque eadem cenſetur, in dignitatibus Eccleſiaſticis, imo in eximiis dignitatibus, eſſe nonnullos Remonſtrantium dogmati conſentientes, quod dogma immerito hic iterum novitatis accuſatur, cum ab antiquiſſimis Chriſtianis magno cōſenſu creditum traditumque ſit, atque in Proteſtantium grege non paucos habuerit propugnatores. Cur ergo apud nos tantæ ſunt excitatę turbæ, vt eiicerentur ex Eccleſia & ex patriæ finibus qui illud adeo in Anglia non damnatum dogma defendunt? Tertio hinc diſcimus qua æquitate illa Synodus ſit indicta, in quam nemo admitti potuit, niſi qui Remonſtrantium ſententiæ eſſet contrarius. Ad rem vt veniamus, quod hîc dicitur non eſt verum, neque à me confeſſum, quamquam ſi eſſet nihil in eo peccati agnoſcerem. Miſcuerunt hic iudices duas diverſi temporis narrationes, tam præcipites in ferenda ſententia quam in nobis in-

terrogandis cunctabundi fuerant. Dixi anno CIↃ IↃ CXIII, cum miſſus in Angliam eſſem ob Indicana negotia, conciliante Caſaubono amicitiam mihi partam cum antiſtitibus Anglis, meque monitu Oldenbarneveldij ipſis aperuiſſe quæ eſſent apud nos controverſiæ, vt intelligerem quid ipſi auctores eſſent ea in re faciendi ad tranquillandas Eccleſias: ipſorum autem conſilia congruentia fuiſſe menti procerum Hollandiæ, optimam ſcilicet medicinam fore, ſi diſſentientes ſe mutuo ferrent. Hoc eſt illud tentare animos. Verum itidem eſt anno CIↃ IↃ CXVII literas à me ſcriptas ad Marcum Antonium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem conquerentes de his quæ non vt oportebat apud nos gerebantur, in quibus & hæc erant verba: *Vtinam is cuius in manu ſunt corda regum Sereniſſimi regis animum inflecteret, vt miſſis viris idoneis ad diſceptandas huius generis controverſias rerum noſtrarum ſtatum certius exploraret, cognito malo facile aptiſſima remedia inventurus*. Mea autem mens, cum id ſcriberem, non hæc erat, vt ad communem è nationibus Synodum aliqui inde mitterētur (nam eo adhuc tempore ſpes erat Synodum talem argumentorum pondere & conditionum æquitate poſſe declinari) ſed vt mit-

teret rex rerum ſacrarum peritos vnum atque alterum, qui habito cum doctiſſimis partis vtriuſque colloquio & controverſiarum naturam & propoſita remedia intelligerent atque ea renuntiarent, vt Rex Britanniarum deinde ex illorum atque aliorum qui apud ipſum eſſent conſilio excogitaret rationes quæ eſſent optimæ ad pacem ac tranquillitatem firmandam ſine veri ad ſalutem neceſſarij detrimento.

Cum tamen univerſæ nationes Federatæ multis relationibus:) Relationes fiunt ad deliberandum ac proinde vim non habent obſtringendi nationes.

Federibus:) Federa quæ in hanc rem producuntur, non inter ipſas facta ſunt nationes, vt alias aliis obligarent, ſed cum externis quos in religionem apud nos nullum habere imperium res manifeſtiſſima eſt. Quare illa federa ad præſentem de iure imperij circa ſacra quæſtionem nihil pertinent.

Pactionibus:) Nullæ reperientur pactiones factæ inter nationes noſtras hac de ré. Poſtrema pactio eſt Trajectinum fedus.

Decretis:) Sed nec decreta reperientur quæ mutuam inter nationes obligationem pariant. Imo contra anno CIↃ IↃ XC à Trajectinis proceribus decretum, & à primo-

ribus tum Federatis, tum Hollandiæ probatum eſt, arbitrium religionis eſſe penes nationis cuiuſque conventum. Vide ad hæc omnia caput II ſupra.

Aliæ aliis promiſerint capita fortunaſque ſe obiecturas pro tutela Reformatæ Evangelicæ religionis:) Nullo vnquam tempore probari poterit talem promiſſionem eſſe factam. Videntur tralata verba ex relatione facta anno CIↃ IↃ LXXXIII, ſed quam nulla nationum obligatio ſecuta eſt. Hollandis quidem placuit: *Vt Evangelica Reformata religio, cuius publice vſus fuerat permiſſus receptuſque & quæ tum publice in vſu eſſet, vbique intra Federatorum fines defenderetur, neque publice docendi aut ſacra faciendi ſecundum religionem aliam ius permitteretur.* Sed hæc ſententiæ dictio obligationem non peperit, cum de eo nihil inter nationes contractum ſit. Tum vero nihil ad rem hoc facit: neq; enim aut Hollandi, aut Trajectini proceres aliam religionem à reformata publice defenderunt aut defendere voluerunt, ſed contra ſenſerunt congruenter peritiſſimis ſacrorum interpretibus controverſias quales hîc diſputabantur non efficere, vt alia atque alia ſit religio. Vide hac de re caput III.

Vbique per has terras receptæ:) Ergo & in

oppido Goudæ & in Eccleſia Iacobina vrbis Trajecti, vbi illo ipſo anno CIƆ IƆ LXXXIII dogma Remonſtrantium palam docebatur, aliis nationibus nihil contradicentibus. Minime vero procerum Hollandię, quorum pars Goudani ſunt, ea fuit ſententia, vt decreto huiuſmodi ſibi adimerēt poteſtatem illius quod nunc Remonſtrantium dicitur dogmatis paſtores in imperij ſui Eccleſiis tolerandi.

Neque vllam mutationem in ea facturas, fieri ve ſe paſſuras:) Non debebant ergo paſtores Remonſtrantium ſententiæ ex Eccleſiis eliminari. nam ea magna erat mutatio. Omitto nunc ne poſſe quidem ſummam poteſtatem ſe obſtringere, nequid mutare ipſi in religione fas ſit, ſi religionis nomine quævis dogmatum capita intelligantur, niſi intra animum ſuum certa ſit ſumma poteſtas omnia illa capita nullo excepto divinis oraculis conſentire. Hac vero de re certos fuiſſe proceres Hollandiæ anno CIƆ IƆ LXXXIII, ſi ratio habeatur eorum capitum quæ dicantur cum Remonſtrantium dogmate pugnare, ne ab ipſis quidem iudicibus noſtris credi credo.

Et his conſequenter anno CIƆ IƆ LXXX *ſacramentum omnium præfectorum, ducum, centurionum & militum ita conceptum:*) Sacramen-

tum præſtantes obligat, non eos quibus præſtatur.

Decretumque fuerit:) Non docebitur de hac re à nationibus rite deliberatum factumque decretum. Certe inter nationes ea ſuper re contractum non eſt. Neque tamen hoc ſacramentum attingit pręſentem quæſtionem, vt iam ſubiicietur.

Vt fidem iurarent proceribus communibus qui in fœdere & tutela veræ Euāgelicæ religionis eſſent perſtituri:) Ad diſcrimen communium procerum partis alterius, vt indicatum ſupra eſt ſecundo capite. Reſpicitur ergo hîc ad conſpicuas notas quibus illa religio à Romanenſi dignoſcitur. De dogmatibus Reformatæ religionis iudiciũ neutiquam permittitur his qui in hæc verba adiguntur. imo id cõfingere nihil eſſet aliud quam obſequium militare diſſolvere & illudere reverentiam iuriſiurandi. Iam diximus ea quæ rerum ſacrarum periti ex principiis certis porro per argumentationem hinc inde inferunt, non eam habere vim, vt religionis diverſitatem pariant. Ita olim ſentiebant proceres non aliquarum duntaxat, ſed omnium, ni fallor, nationum.

Et leges in quas dedita ſunt oppida diſerte contineant, vt ab eis reciperetur vſus eiuſdem religionis:) Iure victoriæ, quod ius certe ob-

tendi non poteſt adverſus proceres Hollandiæ & eorum membra, quorum opera ſimulque Zelandorum cæteræ nationes libertati ſunt reſtitutæ. At ne illa quidem oppida quæ ad leges accipiendas armis coacta ſunt, vnquam adſtricta ſunt, vt ſuper agitatis inter nos ſacrorum controverſiis partem alterutram amplecterentur. Multoque minus is ſenſus fuit nationum vt ſeſe obligarent ad recipienda ac tuenda ea omnia quæ paſtoribus in Synodis viſa eſſent. Ea enim intoleranda eſſet ſervitus. Adde iam quod ne Synodo quidem definitæ erant controverſiæ iſtæ quo tempore nos in republica fuimus.

Quomodo ea à ſociis vbique recepta erat:) Etiam Goudæ, vt dixi: etiam Trajecti in Iacobina Eccleſia. nam & hi inter ſocios erant. Evangelicam vero religionem cum tali libertate intellectam optima fide tueri propoſitum nobis fuit, multaq; bona conſilia dedimus, vt ea libertas cum modo & ſine offenſa exerceretur.

Neque intra hæc ſtetiſſe captivum, ſed auſum etiam reipublicæ ſtatum turbare, vt in ea quoque omnia ex ſua ſuorumque lubidine agerentur:) Deus mentium cognitor ſcit neutiquam mihi fuiſſe propoſitum turbare rempublicam, non magis quàm Eccleſiam. Æqui

omnes qui me noverunt antehac, ex rebus atque actionibus meis multo aliter iudicabunt quam hæc fert ſententia. Res meas quod attinet, ex perturbata aut mutata republica nihil commodi ſperare poteram. Hollandus eram, natus oppido Delphis, cuius maiores nuncupati Grotio & Cornetſio nomine per ſæcula aliquot ei oppido cum laude præfuerant. Eadem Grotiorum domus iam olim & Hollandiæ iudicum conſeſſui, & adſeſſioni magiſtratuum Dordrechtanorum viros eximios dedit. Per aviam paternam genus trahebam ab Hemskerckiis quæ domus antiquitus inter nobiliſſimas Hollandiæ habita eſt, cui & Iacobum Hemſkerckium patria debet, qui ad Calpen fortiter faciendo occubuit. Qui me ſanguine contingebant proximè, affinitatem contraxerant cum familiis valde nobilibus, qualis eſt Almondana veniens ex Toparchis Stridenis, & Reneſſia atque Vtenengana apud Trajectinos. Propinquos habebam in republica non Delphis modo, ſed Lugduni quoque, Amſtelodami & in oppidis aliis, atque in honoratiſſimis patriæ conſeſſibus. Per vxorem filiam Petri Reigerſbergij, Veriani ſæpe cõſulis, qui & Zelandiæ & Naſſaviæ domo non inutilem operam navaverat, eamque

ob cau-

ob cauſam Liceſtrianis tēporibus ab inimica factione eiectus oppido exulaverat, Zelandorum potiſſimis eram innexus, & ibi quoque in oppidorum regimine atque cōſeſſibus, habebam meas neceſſitudines. Tum vero literarum ſtudia & vitæ tenor honeſtam mihi famam circumdederant. Iam in miniſterio eram præclari in Hollandia oppidi, & quod, ſi ratio ineatur tam maritimorum vectigalium quam aliorum, publico ærario plurimum infert ſecundum Amſtelodamum. In eo oppido amabar tenere nec à magiſtratibus tantum, ſed & à municipibus vniverſis: Neque tantum ad Hollandiæ mittebar conventus, ſed & pars eram conſeſſus curatorum reipublicæ Hollandicæ, à quibus mos eſt Federatorum quoque conventum frequentari. Quos inter honores is erat honos maximus, quod benigna hominum iudicia his honoribus non imparem me exiſtimabant. Facultates meas reipublicæ credideram, vt fortunas meas vndique cum patriæ fortunis ſociarem. Nemo gratuitò malus eſt. Ergo vbi in ſuſpicionem delicti vocatur aliquis, ſuccurrit ſapientibus Caſſianum illud, Cui bono? Quid mihi tandem ex perturbata republica maius his

quæ habebam poterat accedere? Rumor quidam, invito me ortus, Oldenbarnevel-dio me ſucceſſorem in grave illud & periculoſum onus deſtinabat. Vere teſtor, & norunt propinqui, non modo doluiſſe me hoc rumore, ſed ita iudicaſſe, ſupra alia multa ad id munus neceſſaria quæ in me deſiderabantur, valetudinem quoque meam imbecilliorem eſſe, quam vt onus illud laboris perpetui, neque recreationem vllam animo indulgentis toleraret. quod ſi etiam eò perveniſſem, nihilo meliore loco res mea futura fuerat, quam iam erat. neque vero reipublicæ perturbatio via erat quæ eò duceret. Imo ſi hac tentatus fuiſſem ambitione, iudicio communi non ego ab ea ſpe longius quam cæteri aberam. Quomodo igitur credibile cuiquam fiat ſtuduiſſe me rebus novis? Si actiones meæ inſpiciuntur, ne eæ quidem vllam præbebunt ei rei ſuſpicionem. Ab ætate prima ſectatus ſum honeſtiſſimas conſuetudines, & honeſtiſſimis negotiis me dedidi: cum cura legens & divina oracula & quæ alia bene formandis moribus valent. Vita probro caruit. Poſtquam tradita eſt mihi fiſci advocatio, qua fide ac caſtitate in ea me geſſerim conſeſſus iudicum, fiſci curatores & quotquot actionum

mearum inſpectores fuere teſtes compello. Amor meus in patriam & præſentem reipublicæ ſtatum, inclitamque domum Naſſaviam ex omnibus libris meis cognoſcitur. Pro navigatione Indicana, pro ſervanda apud nos pannorum politura laboravi quantum alius quiſquam. Pro libero vero piſcatu in Oceano tantum, vt Carletonus regis Britanniarum legatus, cum ab inimicis meis incitatus eſſet, vt contra me iam captum aliquid publice diceret, nihil quod diceret aliud invenerit, quam me principium feciſſe ſermonum de ea libertate, vt quæ & iure gentium & omnem memoriam excedente vſu niteretur, cum tamen à me in eo argumento nihil dictum ſcriptumve fuerit diverſum ab iis quæ anno CIϽ IϽCX Federatorũ procerum legati in Britannia defenderant, atque antehac maiores noſtri etiam ante ſæcula aliquot. Et tamen aiebat is legatus, mei infortunij exemplo terreri alios debere, ne eam ſententiam tuerentur. Conſilia omnia mea quæ dedi aut Rotterodami, aut in conventu Hollandiæ, aut in conventu Federatorum ad egregium publicum tendebant, quod atteſtari poſſunt quicunque adfuerunt. Sancte & illud aſſeram, me ex

quo reipublicæ admotus ſum à Principibus poteſtatibuſve externis nec teruncium accepiſſe: à civibus autem quibus gratum feceram tantillum vt negare ſuperbum fuerit. Qua ſpecie de eo qui ſic vitam ſuam inſtituerit, cogitari poteſt tam immane conſilium quale hîc mihi exprobratur? Tantum vero abſum ab hac culpa, vt & Principi & aliis ſignificaverim, ſi quenquam offenderem ego aut actiones meæ (quæ omnes ad oppidi Rotterodami & Hollandiæ ſalutem dirigebantur) ac proinde crederentur turbæ aliquæ mei occaſione poſſe oriri, libenter me ab omnibus honoribus exiturum: quod ſi id ſatis non eſſet, etiam ſponte patria exceſſurum ſi vel eo modo tranquillitas publica poſſet redimi. Rogo omnes qui hæc lecturi ſunt ne, quæ verè iam dixi, ea in iactantiæ partem accipiant, ſed vt extorta defenſionis neceſſitate.

Eundem nunc captivum adiutorem fuiſſe talis in republica gubernationis, vt diverſi tum Eccleſiaſtici tum profani ordinis homines qui per iniuriam ſe læſos, exſules actos, excedere iuſſos aut aliter oppreſſos querebantur in iure audiri aut effectũ iudiciorum conſequi nõ potuerint, ſed oppidorũ magiſtratus obfirmati ſint, ne præceptis quæ

fiebant ab ord nariis iudicum conſeßibus parerent:) Si quis fuit in omni Hollandia qui honorem habuerit iudicum conſeſſibus, eorumque auctoritatem defenſam voluerit, eum me dicere audeo. Dum fiſci patronum egi, id ipſum oſtendi, quantum mearum fuit virium, neque id ipſos iudices latet. Ad rempublicam vocatus in eodem animo perſtiti, omneſque arripui occaſiones gratum ipſis faciendi. neque id ſine cauſa. nam prætcrquam quod, vt id fieret, reipublicę intereſſe credidi, ipſi iudices multis modis me ornaverāt: ſuperior conſeſſus etiam me commēdaverat, vt in ſuum cœtum allegerer. Inter ipſos iudices multi mihi erant amicitia iuncti, quidam etiam propinquitate: ita vt manifeſta ratio credi cogat quicquid à me aſſertum fuit contra ipſorum aſſertiones, nō aliter à me factum quam ex officij neceſſitate. Ad rem vt veniam, primùm hęc diſputatio quæ nos cum iudicibus commiſit, ad proceres Federatos pertinere neutiquam poteſt, cum conſeſſus illi neque in miniſterio ſint Federatorum procerum, neque illis fidem iuraverint, ſed natio vnaquæque curet ius reddi ſuo nomine, niſi quod Hollandia & Zelandia conſeſſus communes habent. Ne-

que vero aut dixi, aut feci quicquam privatim, ſed expreſſo iuſſu decurionum Rotterodamenſium, aut procerum Hollandię: quantumque eius à me dictum factumve eſt, tantundem fecerunt oppidorum adſeſſores alij, qui ne appellantur quidem. In componenda demonſtratione iuris, quod nos contra ea quæ à iudicibus aſſerebantur tum conventui procerum, tum oppidis competere exiſtimavimus, non meæ tantum operæ vſus fuit, ſed iuxta me adſeſſorum Dordrechti, Harlemi, Lugduni & ſcribæ Alcmariani. Quod de ea re perſcriptum, id primum à nobis vniverſis, deinde ab ipſo conventu approbatum eſt. Nec novi quicquam defenſum eſt à nobis, ſed quod oppida antiquitus defenderãt, quodque decretis multis ante mea tempora factis erat confirmatum. Ipſi Amſtelodamenſes, Enchuſani, Edamenſes & Purmerendani in allocutione ad conſeſſus iudicum aiunt, cauſarum genera quædam tum procerum conventui, tum oppidorum magiſtratibus præcipuo iure eſſe attributa. De huiuſmodi cauſis non de aliis nos agebamus. Certuſque ſum, ſi ſe occaſio dederit, novos reipublicæ rectores non aliud dicturos quam tum à nobis dictum eſt: quod quale ſit quibuſque rationibus nitatur hîc

non exſequar, cum præſtitum id ſit ſuprà capite XII. Quæ vero æquitas patitur, vt privatim nos luamus quod nos privatim non fecimus, ſed vt miniſtri oppidorum, aut vt negotium habentes à cōventu mandatum, neque vero ſoli, ſed pariter cum aliis quorum nemo convenitur. Multo ſpecioſius illi conveniri poterant qui in cauſa Blauhulciana miſſos ad ſe iudices prohibuerunt mandata ſuperioris conſeſſus implere. Atqui etiam inter iudices noſtros ſedit, qui fixa ab illis quos miſſos tum dixi programmata refixit. Excuſat ſe mandato eorum quos ſuperiores habebat, negatque à ſe id privatim præſtandum. Mementote ergo, ô iſti, non aliter in cauſa alterius iudicare quā quod in veſtra æquum cenſeatis. Et tamen multum intereſt inter cauſam vtramque: Nam cum Enchuſæ illud gereretur, nondum procerum Hollandiæ auctoritas ſe negotio interpoſuerat. Addam apud nos non tantum duobus illis notis conſeſſibus, ſed & conſeſſui curatorum reipublicæ Hollandicæ ordinariam eſſe de rebus multis iuriſdictionem, ac proinde qui ibi audiuntur, iis iudicium negatum dici non poſſe. Quantum attinet cauſam quorundam municipum Harlemenſium (nam ad eam præcipuè reſpicere vi-

dentur hæc ſententiæ verba) Rotterodamenſes ita de ea cenſuerunt , præcipiendum conſeſſui iudicum ſuperiori(quomodo factitatum antehac ſæpe fuerat) acta vt tranſmitterent accurate expendenda , vt cognoſceretur in modumne litis civilis, quod ordinarie dicitur, an ad formam publicorum iudiciorum,quod extra ordinem vocant,cauſa proceſſiſſet: Si ad modum litis civilis aut alio quidem modo , ſed non legitime actum appareret, tum vt cognitio ſuperiori iudicum conſeſſui redderetur: ſin criminaliter & legitime fuiſſet actum, indicaretur id ipſum dicto iudicum conſeſſui, neque eo minus daretur opera , vt commodis rationibus municipes illi magiſtratibus ſuis reconciliarentur. Quod vero pertinet ad municipes Lugdunenſes , qui homines privati adverſus magiſtratum coitionem fecerant, hi neque à conſeſſu iudicum ad provocationem admiſſi ſunt,nec quominus id fieret interdictum : ſed conventui placuit, ſiquid poſtulandum haberent , faciendum id ipſis non in modum corporis(nam corporis conſtituendi qualitatem non habebant)ſed viritim. Quoties vero iudicum conſeſſus egreſſi poteſtatis ſuæ fines in ius vocarũt quenquam de cauſis quę ſecundum leges veteres appellatio-

ni non faciebant locum, ſemper oppidorum magiſtratus cenſuerunt non eſſe cur obtemperarent. Imo decretum anni CIϽ IϽ XCI diſerte continet hanc ſanctionem, *vt epiſtolæ citatoriæ contra eius decreti præcepta emiſſæ, & ſecuta diei dictio ipſo iure pro nullis haberentur, ac proinde ne quis teneretur eis morem gerere.*

Vtque alij alios hac in re confirmarent:) Rotterodamenſibus eo opus non erat. ſemper laboravi, vt cum iudicum conſeſſibus pax nobis eſſet. Semel literæ citatoriæ ſatis enormes in eos emiſſæ ſed revocatæ ſunt.

Atque procerum auctoritate totum hoc conſilium velarent:) Nihil opus erat eam in rem quicquam operæ ſumi, cum pridem edicta vulgata, decretaque facta eſſent idem iubentia quod nos poſtea cenſuimus, vt conſpicere eſt capite XII.

Ipſum captivum de eo aliiſque negotiis cum dictorum oppidorum legatis, monitu Oldenbarneveldij, cœtus peculiares ac conventicula habuiſſe:) Nūquam huius rei ergo legati oppidorum in vnum convenerunt: ſed verum eſt à pleno conventu quibuſdam & eos inter mihi id datum negotij, vt contra libellos conſeſſuum iudicialium conciperemus ſcripto quæ ex mente erant procerum atque oppidanorum magiſtratuum. Id conceptum

cum eſſet exhibitum eſt conventui, & à conventu ad oppida miſſum, vt ſi qui decepti hac in re erãt vera edocerentur. Res cæteras quod attinet de quibus oppidorum legati inter ſe contulerunt (quod ipſum maxima ex parte factum eſt me abſente) & qua occaſione id evenerit, de eo actũ ſupra eſt. Quoties iuxta tam multos alios, quibus nulla lis eo nomine intenditur, his conventibus interfui, non monitum Oldenbarneveldij ego reſpexi, qui officij ſui exiſtimabat monere membra, vt ius corporis ſalvum pręſtarent, ſed iuſſa ordinis Roterodamenſis cuius eram in poteſtate.

Vt etiam ea de re alij alios audirent, atque ita coitione facta ſententias in conventum Hollandiæ perferrent, ac decreta formarent è re ſua:) Imo res eſt, antequam oppidorum legati peculiariter convenirent, atque adeo ante diem IV Auguſti anni CIↃ IↃ CXVII multa decreta facta contra id quod conſeſſus iudicum aſſerebant. Et vt prætereamus tam edicta quam decreta quæ facta fuerant annis CIↃ IↃ LXXXV, CIↃ IↃ LXXXVI, CIↃ IↃ LXXXVII, ſimulque decretum factum quidem anno CIↃ IↃ XCI, confirmatum vero anno CIↃ IↃ XCIII (quorum omnium facta eſt mentio capite XII) multo ante dictum diem IV Auguſti anni CIↃ IↃ CXVII præce-

ptum fuerat conſeſſui iudicum antiquiori, ne cognoſceret de lite quæ de Eccleſia Vvarmenhuſiæ exorta erat. Menſe Iunio anni CIↃ IↃ CXIII concordibus ſententiis conventus decretum & ad eundem conſeſſum perſcriptum fuerat è re nata (Abrahamus Vivenius quidam Rotterodamo exire iuſſus erat) ne de ea ſimilibuſque cauſis cognoſcere vellent. Poſt id die XXIII Martij anni CIↃ IↃ CXVII ad ſuperiorem conſeſſum ab Hollādiæ conventu ſcriptæ erant literæ, quibus & illi vetabantur pati ſe appellari à paſtoribus miniſterio exauctoratis, aut ab his quos conſules, rectores & ordo oppidorum oppidis migrare iuſſiſſent, neque itidem citationes decernere contra regulam præſcriptam decreto anni CIↃ IↃ XCI. Cumque adverſus hæc libellus à ſuperiore conſeſſu exhibitus conventui & ab altero cōſeſſu epiſtola ad conventum ſcripta eſſet, die XXVII Aprilis anni CIↃ IↃ CXVII placuerat, *adverſarium libellum componi, quo iura ac libertas publica, itemque iura ac leges oppidorum defenderentur eumque iungi iudicum ſcriptis, vt ſimul à magiſtratibus ac decurionibus expenderetur: pendente vero hac deliberatione imperari conſeſſibus iudicum, vt parerent his quæ die* XXIII *Martij ad ipſos perſcripta fuerant.* Quæ omnia pluraque alia decreta

facta,literæque perſcriptæ erãt,priuſquam oppidorum legati mittentium mandatu conſilia ſociarunt ad tuendum ius publicum factaq; decreta. Quare vt multæ aliæ, ita & hæc ſententiæ pars aliud dicit quam res habet.

Vbi etiam ſummatim repetita ſunt capita de quibus ſubinde ad proceres relatum fuerat, vt de illis perrogatio generalis fieret:) Hæc eum videntur ſenſum continere quaſi ſæpius inſtituta ſit talis repetitio , cum me quidem conſcio tale nihil factum ſit niſi ſub id tempus quo factum eſt decretum diei IV menſis Auguſti anno CIↃ IↃ CXVII. Perverſe & hoc dicitur,relatum duntaxat de capitibus ad conventum fuiſſe,cum ex vero dixerim capita eius decreti omnia ſingulatim in conventu perrogata iam fuiſſe:legatos vero oppidorum collocutos , vt illa ſingula alij aliis in memoriam revocarent,nihil autem novi ab ipſis conſtitutum decretumve,deinde vero in ipſo conventu capita illa vniuerſa in vnum collecta, voce pariter perrogata, & ab Oldenbarneveldio præſentibus è conventu plurimis qui à conventu id negotij acceperant perſcripta. Huic conſultationi tum oppidorum ſeorſim,tum apud Oldenbarneveldium interfuerunt non tantum quidam de oppidis

octo, Harlemo ſcilicet, Lugduno, Gouda, Rotterodamo, Brila, Schonhovia, Alcmaria, Horna, ſed & de Delphis, Gorichemo, Medemelaca, puto & aliis. Scribundo adfuerunt etiam è nobilitatis ordine nonnulli, qui pro ſe ſententiam dixerunt, non cuiuſquam mandatu, vt ego & adſeſſores cæteri. Tamen horum nemini negotium exhibetur, ſed ſoli mihi, qui neque voce, neque ſcripto quicquam feci præter cæteros, & quantum feci, id feci, primum mandatu & in præſentia legatorum Rotterodamenſium ex iuſſu ac mente ordinis oppidani, deinde ex imperio conventus. En vt vndique in me conquiruntur crimina.

Quod factum quoq; eſt & ab Oldenbarnevel-dio perſcriptum, ac collectim voce ipſius pronuntiatum) Prius pronuntiatum, deinde perſcriptum ab his quibus à conventu id erat mandatum.

Acre illud decretum diei IV *menſis Auguſti anni* CIƆ IƆ CXVII:) Morbi acres quales ſunt motus plebis temerarij adverſum magiſtratus acribus interdum remediis egent. At quiſquis cum hoc decretum alterum conferet factum die VI Februarij anni CIƆ IƆ LXXXVII, ſupra capite vndecimo recitatum, multo illud reperiet acrius. Fateor alium tunc fuiſſe exitum ſed

----- nunquam ſucceſſu creſcit honeſtum.

Neque vero tantum eſt fortunæ regnum, vt ex iure iniuriam, aut ex iniuria ius facere poſſit.

Quo præcepta ordinariorum iudicum cum ipſorum inſtituto pugnantia pronuntiantur ipſo iure nulla, magiſtratuſque oppidorum confirmantur, ne iis pareant:) Iam à belli initio interdictum iudicibus fuerat in ius vocare quenquam contra decreta procerum: vnde ſequitur, ſi quid tale fiat, cenſendum eſſe vitio factum & ſine iuris effectu, ac proinde vires non adeſſe ad obediendum quenquam obligandi: quod ipſum diſerte definitum fuerat decreto anni CIↃ IↃ XCI. Neque novum ergo hoc erat, neque præter ius. Vide caput XII.

Poteſtatemque accipiunt muniendi ſe novis hominibus armatis quos oppidatim conſcriberent, atque in ſua propria verba adigerent extra commune Federatorum ſacramentum:) Ait decretum, *rectoribus oppidorum poteſtatem fieri etiam plures conducendi homines armatos, ſi conſules & decuriones oppidorum hoc ad ſuam ſecuritatem & vim arcendam neceſſarium iudicarent.* Oppidis per ſe antiquitus ius fuit homines quoſdam armatos habēdi ſub ſuo imperio, vt capite decimo demonſtratum eſt. Atq; adeo ante id decretum quod hîc memora-

tur oppida complura iam habebant homines armatos. Cuius gratia id fiebat & honeſtum & iuſtum erat, vt contra ſeditiones tuti eſſent magiſtratus, vt arceretur vis omnis in deiiciendis magiſtratibus, in extorquendis edictis, in domibus expilandis, in locis publicis invadendis & quæ alia ſunt ad eum modum. Nihil hoc ſocios tangit. nam ſicut de rebus civilibus imperium manſit penes nationes ſingulas, ita & imperij eius tutela, & ipſius acceſſio. Ex federe tenentur quidem nationum ſingularum proceres auxilio eſſe alij aliis cõtra hoſtem externum, etiam contra vim internam, quoties interpellantur. Sed non eo proceres aut oppidorum rectores ſuæ tutelæ per ſe conſulendi libertatem abdicarunt. Iuramentum quod attinet, nuſquam ea lex invenietur, ne magiſtratibus cuſtodias in ſua verba adactas habere liceat: neque vero hinc quicquam abſurdi aut quod cum federe pugnet, ſequitur. Nanque homines iſti armati iureiurando obſtringuntur magiſtratibus oppidanis, magiſtratus oppidani proceribus ſuæ nationis ad facienda imperata, proceres vero nationum ſociis ſuis ad præſtanda quæ habet fedus. Idem vſu venit in municipibus armatis oppidorum: nam & hi oppidis peculiariter iurant, non

autem Federatis, quia non tenentur operam præſtare in bello quod commune eſt, quãquam etiam ad eam rem illorum opera vſui eſſe poteſt, volentibus oppidi rectoribus: quemadmodum tum de his municipibus, tum de conductis cuſtodibus conſpectum ſæpe eſt, adiutos eorum opera ſocios extra obligationis neceſſitatem: quod officium noſtra quoque oppida; ſi res id exegiſſet atque ab ipſis id poſtulatum fuiſſet, ſociis non fuerant negatura. Cenſuiſſe ipſos proceres Federatos illicitum hoc non eſſe, capite decimo probatum eſt, vbi & hoc apparuit, tum olim, tum anno CIↃ IↃ CI à Lugdunenſibus editas leges quas præſcripſerant propriis ſuis cuſtodibus, qui fidem iurabant Conſulibus oppidique rectoribus, non autem ſociis, nulla cum ſociorum querela.

Quoque honorati, iudices & quicunque Hollandiæ fidem iuraſſent vi eius iuramẽti adſtringuntur anniti vt decretum illud ad rem conferretur:) Ait decretum: *Teneri vnumquemque eorum qui fidem iurarit, operamve addixerit, aut proceribus Hollandiæ, aut oppidis, interpellatione facta, ita vt oportet vſum ſui præbere pro negotij conditione, tum ad defendendam poteſtatem procerum & oppidanorum magiſtratuum, tum ad vim propulſandam.* Certe arbitror ſuperiores

periores inferioreſque poteſtates omnes ita cenſere, quicunque iuramento aut addicta opera ipſis ſubiacent; eos ad talem obedientiam opemque obligari.

Præcipiturque præterea vt præfectis omnibus, tribunis, centurionibus ac gregarijs ordinariæ militiæ ſerio mandetur atque imperetur, vt nationum ſingularum proceribus quibus mereant:) Illud *quibus mereant* in decreto non apparet. Nam milites proceribus nationis intra cuius fines degunt in paganicis negotiis omnibus obedientiam debent, etiamſi ab illis ſtipendium non accipiant: multoque magis ſi intra fines degant eorum à quibus æs ipſis numeratur.

Magiſtratibuſque oppidorum in quibus præſidium agitent:) Suo gradu ſcilicet, id eſt quatenus magiſtratus illi muniebantur decretis procerum ſuæ nationis, atque ea decreta ſequebantur: non vt adverſus ea quicquam attentare ipſis fas ſit.

Non habita ratione eius quod alij quilibet imperarent:) Procerũ nationis cuiuſque ſummo loco, ac ſecundum illos magiſtratuum ius eſt curam gerere rei civilis, vt primo capite aperte demonſtratum eſt. Sicut ergo alij qui intra nationis alicuius fines degunt, obedientiam debent ſummis primum, deinde & cæteris qui ibi ſunt recto-

ribus, ita & milites: qui etiam ſpeciali ſacramento eam in rem adigi poſſunt, ex Federe Traiectino & vſu ſubſecuto, vbicunque id expedire iudicatur. Etiam generalis iuramenti formula intellecta vt oportet & ad reipublicæ noſtræ formam, idipſum exigit, vt capite vndecimo explicatum eſt. Hoc iuramento & obligatione nemo eſt qui ſolvere milites poſſit. Non proceres Federati, quibus nō modo iura nationum ſingularum primoribus debita invadere non licet, ſed id etiam incumbit, vt interpellati eoſdem primores in iure quod ipſis competit tueantur. Sed neque præfectus, vt qui pollicitus ſit: *Se nobilitati & rectoribus oppidorum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, qui earundem nationum ordines referunt, fidelem atque obſequentem futurum*: atque etiam *legibus atque imperatis procerum Hollandiæ peculiariter* (id eſt in negotiis eam nationem ſpectantibus) *ſe pariturum*. Quod quidam in ſenſum contrarium vrgent verborum ordinem, quia prius Federati proceres, deinde proceres Hollandiæ nominentur, ſubtilitatis eſt nullo iure ſubnixæ. Docent enim nos iura ſpeciale generali præſtare, quoties generali ſubiungitur: quod tunc imprimis locum habet cum ſpecialitati

Dd in l. quoties C. de famil. erciſc. & in l. Si ſervo manumiſſo ff. de

additur vox aliqua gravidæ ſignificationis, qualis hic eſt vox *nominatim*. Secundo pugnat hoc ipſum cum reipublicæ noſtræ natura, quandoquidem nationis cuiuſque proceres in rebus regiminis civilis (ſub quibus omnino comprehenſa quoque eſt magiſtratuum ſecuritas) non ſubijciuntur Federatis proceribus, ſed vt ſociis pares ſunt. Tertio pugnat idem intellectus cum vſu perpetuo, & mente Federatorum procerum, qui tum in edicto quo Regis Hiſpani imperium eiuratur, tum in oratione habita ãno CIↃ IↃ LXXXVII ius ſuum & ius nationum ſingularum ita diſtinguunt, vt illud pertineat ad negotia quæ nationes communiter contingunt, hoc ad negotia quæ nationes ſingulatim ſpectant.

pecul. leg. Canoniſt. in c. 1 in fin. x. de reſcrip. in c. 2 adverſus: de hæreſi & c. quanquam XXIII. diſt.

Fidem atque obedientiam præſtent) Omittitur hic quod eſt in decreto & ad explicandam mentem procerum Hollandiæ ſummopere pertinet: *& promittant vim omnem ſe vt dictam ante eſt ſine vlla exceptione propulſaturos.*

Addita ſanctione vt non parentes miſſionem acciperent) Decretum memoratum antea, quod factum fuit VI Februarij anni CIↃ IↃ LXXXVII, ſic ait: *Præfecti vero militares, tribuni, ductores, centuriones, qui per oppida ac*

caſtella Hollandiæ Zelandiæ & Friſiæ in præſidium miſſi ſunt aut mittentur, Hollandiæ & Zelandiæ proceribus ſacramentum dicent fidei atque obedientiæ: atque id quam poterit primum effectum dabitur, diſcingenturque qui nec parentes erunt. Miſſio talis ſine vllo ſit periculo publico, cum in locum miſſorum alij ſurrogentur implendis numeris. Notumque apud nos miſſionem militum decerni tam à proceribus nationum ſingularum earumve reipublicę curatoribus, quam à primoribus Federatis aut Senatu federis, ita vt inter eos ius ſit occupandi: vt & hoc, electionem eorum qui militibus præſunt, quod diſtributas centurias attinet, eſſe penes nationes ſingulas.

Ex quibus conſecutum eſt vt amplius iudicijs reſiſteretur:) Rotterodami factum id non eſt. Ideoque res hæc neque me tangit, neque eos qui proprie mihi imperabant. Alibi vero iudicum conſeſſibus (qui tamen apud nos non ſoli iudicia exercent) negatam obedientiam (quod hic reſiſtere appellatur) in negotiis quæ ſecundum leges, mores & ſummarum poteſtatum decreta ad ipſos pertinebant, ne id quidem probatur.

Ac nomine magiſtratuum Harlemenſium publicato edicto quod captivo conſcio factum &

ab ipſo relectum fuerat) Non optima fide hæc res narratur, quaſi ego edicti , ita vti publicatum eſt,tenorem totum approbaſſem. At contra interrogatus dixi, meque probaturum ſuſcepi, multa loca à me annotata quæ meo iudicio aliter rectius poni potuerant,cuius etiam rei quoſdam legatorum Harlemenſium à me monitos. Addidi ſemper,ita ſenſiſſe me,rectores oppidorum debere quidem iuſta ſua tueri contra iudicum conſeſſus, ſed comiter ac modeſte. Sed rurſum id quoque ſenſi ſemper, iudicum eſſe officium , vt procerum Hollandiæ ſubditos ac miniſtros ſe agnoſcant,& vt tales ſe gerant.

Iudices ſuperioris in Hollandia conſeſſus ipſi quidem tanquam immorigeri & qui contra iuratam fidem & honeſti regulam feciſſent) Hæc verba in Harlemenſi edicto non reperio. ſed hoc , ſi iudices proceribus Hollandiæ paruiſſent, aut reiiciendo aut inhibendo cognitionem cauſarum quæ ibi commemorantur,quæque aſſeruntur moribus antiquis& ex multis decretis provocationem non recipere, id ipſum officio iuratæque ab ipſis fidei non contrarium, ſed conſonãs futurum fuiſſe. Id vero ipſum ea occaſione ibi dicitur,quod iudices iuramenti religionem pro ſe adferrent : quod tamen iu-

ramentum ex mente perpetua & procerum & oppidanorum magiſtratuum, neq; obligabat ipſos neque poteſtatem ipſis dabat, vt iuriſdictionem exercerẽt cõtra procerum decreta. Iuris manifeſti eſt quod quis dicit iuris ſui defendẽdi gratia, etiamſi id pugnet cum alterius cuiuſquam dignitate, aut exiſtimatione iniuriæ non teneri: tãtum abeſt vt liceat cuiquam ex eo quod defendendo oppidorum iuri dictum eſt per illationem derivare quæ in partem iniuriæ interpretetur. Multo iuſtius tempeſtate eadem Hollandiæ proceres ipſos iudices accuſare potuerant, tanquam qui ſcriptis ſuis ipſos traducerent, vt plebis oppreſſores & perturbatores iudiciorũ, quod tamen proceres non fecerunt, ſed rationem obiecerunt rationi.

Ipſorumque ſententiæ vt ipſo iure nullæ notantur) Congruebat hoc decreto anni CIƆ IƆ XCI aliiſque multis quæ capite duodecimo indicata ſunt.

Ideo quod ius dixiſſent quibuſdam qui ſe contra ius læſos querebantur) Si queri ſufficit, ſemper competens erit cõſeſſuum iſtorum iuriſdictio, nec quicquam reperietur quod à provocatione exceptum ſit. Quæ ſententia oppidi Rotterodami nomine in conventu dicta ſit ſuper negotio municipum

Harlemenſium, dictum ſupra eſt. Certè mihi videntur in hoc negotio iudices ſuperioris conſeſſus ad præceptum conventus Hollandici tam potuiſſe ſuſpendere cognitionem, vſquedum acta viſa fuiſſent, quam in cauſa Blauhulciana eam ſuſpenderant.

Cui conſequens fuit vt magiſtratus dictorum octo oppidorum) Ne hoc quidem verum eſt. nam nec Brilæ nec Alcmariæ armati vlli conducti ſunt. Rotterodami vero ex iure ac poſſeſſione antiqua auctus fuerat cuſtodum numerus iam antequam decretum diei IV menſis Auguſti fieret; ac proinde non quadrant in eius oppidi cauſam verba illa *cui conſequens fuit.* Adeo ſupine concepta fuit ſententia, quia res omnis ita compoſita putabatur vt nemo vnquam futurus eſſet qui adverſus eam hiſcere auderet. Sed & hoc notandum, captioſe hæc verba cum ſuperioribus necti, cum vulgo qui hæc legunt aliter ea accipere vix poſſint, quam vt eorum quæ continenter narrantur ego credar auctor fuiſſe, aut adſuaſor, cum ad conducendos in aliis oppidis homines armatos neque opem, neq; conſilium dederim, neque ei negotio me immiſcuerim. Nam Rotterodamenſis cauſa me quatenus tangat, quando ea de re ca-

put proprium in ſententia factum eſt, proprio quoque loco explanabitur.

Sæpe moniti ab Iohanne Oldenbarneveldio, vt ſibi caverent ſuæque ſecuritati conſulerent) Nimirum adverſus tumultus, expilationes, & vim aliam poſtquam earũ rerum exempla Veteribus aquis, Amſtelodami pluribuſque in locis viſitata erant: poſtquam etiam rectores paſſim famoſis ſcriptis inuſti erant, neque vero aut Federati proceres per edicta, aut per iudicia conſeſſus iudicum & oppidorum quorundam magiſtratus ei malo occurrerant ita vt ius & rei magnitudo exigebant.

Novos homines armatos & ſub vexillo ordinatos conduxerint) Quid tandem ad hanc rem vexilla? Tamen memini cum primum ea de re verba fierent, monitos à me conſules Rotterodamenſes omitti vexillum poſſe declinandæ invidiæ. Sed ipſi reſponderunt velle ſe perſtare in more veteri, & antiquitus ſuis armatis hominibus vexillum fuiſſe quod in baſilica ſuſpenſum mihi oſtentabant. Nonne & armati municipes ſua habent vexilla? Qui minus conductis cuſtodibus habere ea liceat?

Aut ante conductos mutaverint, auxerintque) Vel hinc appareat rem fuiſſe, non novam. Ius numerum augendi pro temporum vſu

ſemper in arbitrio fuerat eorum qui oppidis præerant. Vere autem dici poteſt, vix vnquam maiorem incubuiſſe neceſſitatem.

In ſua propria ac peculiaria verba adactos) Nec hoc fuiſſe nouum neque incommodis obnoxium demonſtratum ante eſt.

Excluſa Federatorum communitate & Principe Mauritio, vt magiſtro militum) Aliud eſt non nominare, aliud excludere. Vt excluſio inferatur, primum poni debet ius tum Federatorum, tum magiſtri militis quod ius non extenditur niſi in milites quos communis Notitia continet, non autem in oppidorum cuſtodes conductos, non magis quam in municipes armatos. Cur hac de re conqueſti non ſunt proceres Federati anno CIↃ IↃ LXXXVII & anno CIↃ IↃ CI, cum rectores Lugdunenſes homines armatos conduxerunt & ſacramentum ab eis exegerunt, neque tamen eos ſacramento vllo, aut proceribus Federatis deuinxerunt, aut Principi Mauritio? Alienum ab hoc argumẽto non eſt quod iuris magiſtri nos docent, quicquid poteſtatis ab eo qui ſummum imperium habet cuiquam conceditur, id conceſſum cenſeri communicando alteri, non adimendo ſibi, id eſt penes ſummo imperio vtentem manere ius

Chaſſ. ad cõſti. Bur. rubr. II. §. I. in gloſ. vlt nu. 30. Bal. in proœm. feud. verſ. expedito nu 32.

id per ſe exercendi quod alteri permittit.

Iuſſoſque ſuorum magiſtratuum imperiis ſolis obſequi) Ego vero id vſquam factum haud ſcio: imo quod hic dicitur alienum à vero arbitror. Contra Rotterodami cuſtodes, primo ac præcipuo loco adſtricti ſunt in obſequium procerum Hollandiæ, vt mos antiquus ibi habebat. quod ſi etiam expreſſum id non fuiſſet, tamen aperta erat mens magiſtratuum, vt qui nihil agerent niſi virtute decreti publici, & ad ius procerum atque eorum decreta tuenda. Sed odio concitãdo poſitum hoc eum in modum in ſententia eſt, vt perſuaderetur lectoribus id actum, vt cuiuſque oppidi magiſtratibus ſummum imperium aſſcriberetur: quod planè pugnat tum cum mente, tum cum ſæpe dictis eorundem magiſtratuum.

Etiam contra communitatem federis & Principem Mauritium) Verba hæc à vero abeunt. Oppidorum magiſtratibus nihil propoſitum erat extra tutelam ſui & poteſtatis publicæ procerum Hollandiæ: non vt in Federatos proceres, Principemve Mauritium quicquam molirentur, aut ipſorum iura involarent. Quanquam vero confido, tum Federatos proceres, tum Principem, de re omni edoctos, facile intellecturos ſuum non eſſe in negotiis peculiaribus reipubli-

cæ Hollandiæ imperare quicquam contra decreta procerum Hollandiæ, tamen cuſtodibus conductis nihil eius indicatum eſt, neque ea de re mandatum quicquam, quia cum primum facta conſcriptio eſt, ad vulgi tumultus ſpectabatur: ac poſtea etiã, ſubortis maioribus diſſidiis, in ſpem pacis intenti erant noſtrorum animi, cui conciliandæ æqua multa ſunt allata. Hoc amplius dicam, ex animo me credere, ſi ita exegiſſet rerum neceſſitas, libenter oppidanós magiſtratus conceſſuros fuiſſe, vt cuſtodes ſui pro finibus excubarent, bono Federatorum & ſub ductu Principis.

Quoties dicti magiſtratus exiſtimarent ab illis attentari quicquam quod ipſi ſuo iuri libertatiq; adverſum crederent) Et hoc extra verum ponitur. Nam primum nunquam datum eſt mandatum eiuſmodi, ſed & quod dicitur alienum eſt à mente magiſtratuum, qui in negótiis nullis (ne dum in illis in quibus aut Federatos proceres, aut Principem Mauritium haberẽt ſibi adverſantes) quicquam agere voluiſſent, niſi quod forte Hollandiæ proceres ſervãdi iuris certi minimeque controverſi, ac poſſeſſionis ſuæ cauſa rite erant decreturi, idque intra fines neceſſariæ tutelæ: qua etiam ſpecie cuſtodes conducti in nihil amplius obligantur

quam antiquitus obligati erant municipes armati. Iam vero tanta fuit magiſtratuum æquitas, vt etiam neceſſaria tutela vti pepercerint, qua ſi vti voluiſſent, quantum coniecturis eſt aſſequi,

Troiaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneret.

Sed illi, quod ſuæ adminiſtrationis temporibus libertatem ſuſtentaſſent, putabant.

Sat Troiæ Priamoque datum:

At cum eo iam eſſet ventum vt

Non ex iure manu conſertum ſed mage ferro

res ageretur, maluerunt aliis permittere rempublicam quam eam adductam videre in maius periculum per motus ciuiles. Et hi viri optimi hic traducuntur, tanquam ſi aliquid moliti eſſent aut contra Federatos proceres, aut contra Principem Mauritium.

Ab ipſo quoque captivo monitum illud Iohannis Oldenbarneveldij acceptum) Auditum à me verum eſt: nec quicquam vltra: ita vt hic iterum à vero diſcedatur.

Aſſenſumque vt Rotterodami talis conſcriptio fieret) Aſſentiri meum non erat. nam adſeſſores magiſtratuum ius ſententiæ dicendæ non habent. Relatio ea de re facta eſt ab vno Conſulum, me non præmonito. Collegio conſulum primo, deinde ordini placuit cuſtodiam in melius reformari. Qui

hoc decreverunt, eorum exiſtimatio illæſa ſervatur, quidam eorum etiam in republica habentur. Ego qui ius ſententiæ non habebam, qui auctor non fui, tantis malis obruor. Quis non videat quæſita vndique pigmenta ſævitiæ?

Vtque vi dicti decreti Brilam legati è conventu mitterentur) Nihil ego huius intellexeram antequam in conventu agi de eo cœpit, verba facientibus rectoribus Brilanis, qui deferebant querelas de ſermonibus turbidis ac minis auditis ex quibuſdam præſidium ibi agitantibus. Nec quicquam ea de re locutus ſum, niſi quod mandatu Rotterodamenſium qui ad conventum miſſi aderant dixi, nos accedere ſententiis ante nos dictis. Quæ tandem ratio patitur mihi id imputari?

Ignaro Principe Mauritio, militum magiſtro) An præmonitus fuerit de ea re Princeps Mauritius equidem neſcio. præmonitum tamen arbitror. Hoc ſcio, decretum ipſum per legatos è conventu aliquammultos ipſi ſignificatum, additis quæ eo facerent rationibus. Edoctus quoque ſum Principem Mauritium iam ante, dum conventus habebatur, conventu inconſcio, præcepta dediſſe centurionibus quibuſdam, quid agendum haberent ſi qua vis fieret ex oc-

caſione controverſiarum de religione: quod gravis erat exempli.

Ad cogendos in dictum iuramentum milites ibi præſidium habentes aut militia mittendos) Non memini aliud ab eo milite exactum quam pollicationem parendi proceribus Hollandiæ & tuendi contra vim Brilanos magiſtratus, quæ pollicitatio generali ſacramento congruebat. Quanquam etiamſi peculiare eo nomine ſacramentum exactum ab eis eſſet, iure fieri id quoque poterat ex lege Federis Trajectini & ſecundum morem locis multis obſervatum; vt ſupra capite vndecimo diſcere licuit.

Satis vero cognitum ipſi captivo fuiſſe novos hos milites non cõductos dũtaxat adverſus vulgi motus) Ergo inter cætera etiam adverſus vulgi motus conducti erãt, quod vnũ ſufficit, vt iuſta ſit hæc ſive cõductio ſive potius adauctio cuſtodiarum. Dico inſuper primitivum propoſitum non alio ſpectaſſe: Sed cum poſtea exceptæ eſſent paſſim voces ordinarij militis quæ ad magiſtratus contemnendos pertinebant, acceſſit alterum, vt cuſtodum novorum reſpectu impediretur ſi quid ordinarius miles attentare alioqui vellet contra ius procerum aut oppidanorum magiſtratuum.

Tum quia conducti ſunt etiam Goudæ) non

principio ſed ſero admodum, cum magiſtratus cauſas datas ſibi crederent diffidendi ordinario militi. Sed me res iſta non tangit: neque inde evincitur à Rotterodamenſibus auctam cuſtodiam alia de cauſa quam reprimendis vulgi motibus.

Et Hornæ vbi non erat quod vulgi motus metuerentur) Hac de re interrogatus non ſum: nec eam cognitam habui, credo tamen ab eius oppidi rectoribus nihil factum niſi gravibus de cauſis. Et quantum de rebus Hornanis ego intellexi, ſatis comprehendere nequeo, quo argumento dicātur vulgi motus ibi metuendi non fuiſſe, præſertim poſt tot alibi exempla, quæ concitare ſolent etiam ſponte quieturos. Notādumque hic eſt, Hornanos poſtremos fuiſſe qui cuſtodias adauxerint, cum iam clare appareret, non caſu ſed de compoſito ac conſpirato impeti magiſtratus qui pacem Eccleſiæ tutandam cenſerent; ac tum ob animi ſui religionem, tum boni publici cauſa adduci non poſſent ad proculcandos Remonſtrantes.

At Traiecti etiam quæ vrbs ab anno CIↃ IↃ CX *ad comprimēdos vulgi motus valido præſidio tenebatur*) Hac quoque de re interrogatus non ſum, neque vero ad me pertinet, cum quicquid eius factum eſt a primoribus

Trajectinis me non conſulto factum ſit: Tamen illud vere profiteor ita exiſtimare me Trajectinis proceribus eaſdem fuiſſe ita faciendi cauſas quæ noſtris rectoribus fuerant. Agnoſco poſt ſeditionem anni cIↃ IↃ cx res Trajectinas ſatis tranquillas fuiſſe, quam ad rem Oldenbarneveldij apud Federatos proceres conſilia non parum momenti attulerant. ſed propinquum à Veteribus aquis exemplum Trajectinos adverterat, vt crederent ſi quid motum fuiſſet à plebe quæ ſe ab Eccleſia publica ſubduxerat, adverſus eam, vtpote puræ religionis titulo conſpicuam, nihil rectoribus futurum fuiſſe ſubſidij in Principe & multis qui eum ſectabantur. Docuit autem exitus, ſub religionis nomine non tantum rectores legitimos ab honoribus deiectos, ſed reſuſcitatas quoque partes quæ anno cIↃ IↃ cx repreſſæ fuerant, multoſque è præcipuis ſigniferis tum iſtius, tum Liceſtrianæ olim factionis ad rempublicam aliaque munera provectos. Quid vero frequentius eſt, quam vt qui in locum legitimorum reipublicæ præſidum irrumpere volunt, puriora dogmata & religionis ſtudium acrius venditent? Sed vt intelligantur cauſæ conductorum apud Trajectinos cuſtodum, vide epiſtolam à proceribus

Trajectinis

Trajectinis ſcriptam ad proceres Federatos & hic ſupra recitatam capite decimo. Verum inſuper eſt Trajectinis proceribus etiam à proceribus Federatis, quanquam opus id non erat, poſt annum cIↃ IↃ cx poteſtatem attributam militem proprium conſcribendi ſi tempora id exigerent.

A Rotterodamenſibus quoque ac Traiectinis novos milites ſuos trãſmiſſos, vt oppidum Schonhoviam, vbi duæ Centuriæ Federatorum præſidium agebant; in factionis ſuæ poteſtatem redigerent) Quid Trajectini fecerint neque me tangit neque mihi ſatis cognitum eſt. Rotterodamenſes non milites ſibi addictos Schonhoviam miſerunt, ſed quibuſdam militum ſuorum miſſionem dederunt, qui deinde Schonhoviam ſe contulerunt: idque ipſum me factum eſt inconſulto. Fac vero feciſſe eos quod hic dicitur. Quæ lex obſtat, quominus aut eiuſdem nationis, aut eiuſdem federis magiſtratus aut municipes armatos, aut cuſtodes à ſe conductos vicinis commodent quo vis à magiſtratibus propulſetur? Quod duas illas centurias attinet; quæ in oppido Schonhoviæ præſidium agebant, magiſtratus oppidani, poſtquam apparuerat quę mens eſſet Principis Mauritij ſuper vi arcenda, cauſas habebãt cur eum militem metuerent magis,

quam ei ſe crederent, eoque magis quia ignaris magiſtratibus nitrato & glandibus ſe armaverant. Verbum factionis quod attinet eo perverſe notantur magiſtratus lecti ſecundum leges, quibus neminem munere ſuo aut poſſeſſione deiicere, ſed publica decreta tueri & vim omnem arcere propoſitum fuit. Qui contra agunt, his nomen factionis iuſtius debetur, etiamſi religionis perſonam ſibi induant.

Sicut ipſe captivus etiam decurionibus quibuſdam Delphicis perſuadere conatus eſt ab ipſis quoque novum militem conducendum) Hac de re interrogatus vere dixi me eius non meminiſſe: ac ne nunc quidem memini. Siquid cum quoquam ea de re collocutus ſum, factum id eſt diſſerendi occaſione, non ſuaſionis modo. Fateor tamen non leves cauſas datas magiſtratibus Delphicis, quo ſibi ſuæque tutelæ proſpicerent; quia tempore ſeditionis ibi exortæ ob onera quædam oppidi propria, magiſtratibus per vim atrocem oppugnatis centuria quæ ibi agebat è militibus ordinariis non ſuccurrerat, cum alioqui in eius poteſtate eſſet tumultum reprimere: & quia nonnulli eorum qui centuriæ iſti præerant deprehenſi erant concitare municipes contra magiſtratus, & in arcano conſilia ſociare cum

paſtorum vno qui magiſtratus oppidanos ſolitus erat apud concionem traducere, & vulgi odiis obiicere : ad quæ acceſſerat quod homo externus auſus erat municipes armatos convocare inconſcio magiſtratu, iactans id ſibi à Principe Mauritio mandatum.

Tum verò ad vulgi tumultus arcendos tanto novi militis numero opus non fuiſſe) Neque credidi hoc,neque nunc etiam credo. omnes conducti cuſtodes, ni fallor, ad mille octingentos non perveniebant,cum in ſolis oppidis duobus Harlemo & Lugduno multa eſſent peregrinorum millia intenta in res novas. Multo maior militum numerus nunc ad Remonſtrantium cœtus diſturbandos impenditur.

Neque propterea habendos illos fuiſſe extra ſacramentum in verba Federatorum & magiſtri militum) Hac de re dictum ante eſt antiquitus cuſtodes oppidorum non minus quam municipes armatos ſacramentum nullum aut Federatis , aut magiſtro militum dixiſſe,vt qui nō bello quod eſt commune, ſed propriæ tutelæ adhiberentur. Apparet hoc inter alia ex legibus militaribus quas rectores Lugdunenſes anno CIↃ IↃ CI publicarunt contradicente nemine. Non ergo ratio reddi debet cur nunc

quoque ita factum ſit, ſed qui aliter fieri oportuiſſe contendunt ab his ratio exigenda eſt, quam ex legibus patriæ nũquam reddere poterunt.

Ipſum captivum pariter cum aliis conſultaſſe de impendiis novi militis inter oppida quorum res agebatur diſtribuendis) Cum audita Harlemenſium oratione Dordrechtani, Amſtelodamenſes atque alij, cauſas non invenirent quibus ius ipſum oppidorum ad ſui tutelam refellerent, tantum de impendiis moverent controverſiam ac negarent onerandum illis corpus Hollãdiæ, (quamquam Amſtelodamenſium & ſeptentrionalium oppidorum cuſtodiæ corpori Hollandiæ imputantur) Oldenbarneveldius mecum ea de re agens hunc negotij exitum propoſuit, vt oppida quorum res erat alia aliis per pecuniam mutuo datam aut alio modo ſuccurrerent, quod ego ad Rotterodamenſes retuli, à quibus nihil ea de re conſtitutum eſt. Quod ſi id decretum etiam foret non video quod in ea re peccatum argui poſſit, cum omnes oppidorum magiſtratus teneantur opem inter ſe præſtare, præſertim vbi de tuendis decretis publicis conventus agitur.

Aut etiam referendis in onera communitatis Federatorum) Hoc plane à vero alienum ac

proinde à me pernegatum eſt. neque iudices vlla huius rei documenta habuerunt, ſed tantum hoc affirmarunt pro ſua lubidine. Mens eorum quibus in nos ius erat hæc fuit, iure defendi poſſe impendia hæc, vt quę ſubirentur ad publici imperij tutelam, imputanda Hollandiæ, ſicut Lugdunenſes pari de cauſa idem defenderant anno CIↃ IↃ LXXXVII. At Federatorum vniverſitatem hoc onere gravare nunquam animus fuit, imo mentem contrariam & noſtri rectores & Trajectini Federatis primoribus teſtatam fecerunt. Verum quidem eſt, aliquanto prius tempore conſultatum fuiſſe de ſubſidiario milite conſcribendo in locum Gallicarum cohortium quæ tum in Galliam diſceſſuræ putabantur, imperio ac ſumtu Federatorum. Sed ea conſultatio nihil habet commune cum eo quod ſerius aliquanto ſive ante decretum factum die IV Auguſti, ſiue poſt id decretum fieri cœpit ad defendenda procerum Hollandiæ & oppidanorum magiſtratuum iura, vt ſupra capite decimo annotaſſe meminimus. Qui affectibus vacāt, facile vel ex hoc vno diſcere poſſunt quibus artibus graſſati ſint qui huic ſententiæ ſcribendæ adfuerunt.

Fatente tamen captivo non obligatum fuiſſe hunc militem Federatis proceribus obedire, ſi

magiſtratuum oppidanorum imperia repugnarent:) Dici debuit, ſi imperia procerum Hollandiæ ac Weſtfriſiæ & oppidanorum magiſtratuum repugnarent. Neque id abſurdum eſt, quando iſti cuſtodes Hollandiæ ſumtibus conducti erant, non in communes belli vſus, ſed ad internæ quietis tutelam ex eo iure quod nationis cuiuſque proceres & oppidani magiſtratus ſemper habuiſſent: ac proinde eodem loco erant quo municipes armati, qui ne ipſi quidem Federatis iurant. Attamen vt dictum antea eſt non gravatim oppidorum rectores, ſi ita res exegiſſent, horum cuſtodum operam ſociis commodaturi fuiſſent.

Ipſum quoque captivum cum aliis conſultaſſe de Gallico milite dimittendo, aut recidendis numeris centuriarum maiorum:) Res ita habet. Cum appareret graviter premi Hollandiam prorogatione ſtipendiorum quæ Gallicę cohortes tres & turmæ duę accipiebāt, quia biennium aut triennium erat ex quo pecunia è Gallia non venerat, cæteræque nationes ſæpè interpellatæ de reſtitutione nihil darent niſi verba: vnde rationes ærarij Hollandici valde perturbabantur, quia nulla vectigalia deſtinata erāt ad prorogationem hanc faciendam, vt

quæ inexſpectatò eveniſſet, conſentienter Hollandiæ placuerat, apud Federatos inſiſti vt in Galliam hæ copiæ remitterentur, ac reſpublica exoneraretur impēdio quod induciarum tempore vitari poſſe videbatur, quando graviſſimis belli temporibus ſępe minoribus præſidiis fines tuti fuiſſent. Sed quia nationes quædam perſuaſæ erant vt huic miſſioni intercederent, quas ſecuti ſunt poſtea Amſtelodamenſes quoque, Enchuſani, Edamenſes, & Purmerendani, alia conſultatio conventui propoſita eſt, an ſublevari ærarium poſſet reciſis maiorum centuriarum numeris: qua de re tamen nihil perrogatum eſt. Hæc palam in ipſo conventu geſta cum ſint, hîc tamen ita narrantur quaſi in arcano fuerint conſultata.

Vt comparſa eum in modum pecunia novus miles aleretur:) Hoc vero & cum his quæ interrogatus dixi & cum rei veritate pugnat: neque vero conſentit cum eo quod dictum ſupra eſt de conſilio diſtribuendi inter oppida oneris. Vera cauſa erat, vt reſpublica Hollandica, cuius rationes magis magiſque implicabantur, quia vectigalia, vt dixi, ad has expenſas nulla erant deſtinata, & nova reperire induciis manentibus vix conſultum videbatur, eo modo ſu-

blevaretur, æquatis inter ſe oneribus atque obventionibus, quod Dordrechtanis non minus quam cæteris placebat. Quod ſi etiam perſtitiſſent oppidorum rectores in eo quod dixerant, novum militem Hollandiæ corpori imputandum, tamen hoc onus multum à Gallicarum copiarum onere vincebatur. Cuſtodes, vt dicere cœpi, non perveniebant ad mille octingentos. At Gallorum tres erant cohortes, turmæ duæ. Gallicæ copiæ perpetuo adhęſuræ metuebantur: cuſtodes oppidorum non diutius, quam donec pacata eſſent Eccleſiaſtica diſſidia, aut certe donec Federatorum decreto cautum eſſet magiſtratuum ſecuritati. Amplius dicam. Fac proceres Hollandiæ turbidis temporibus pro externo milite, cui nulla reipublicæ vt alienæ cura, & quod genus ſæpe ab officio abduci exempla teſtantur, domeſticum maluiſſe. quid ea in re factum fuiſſet, aut iuris aut prudentiæ regulis contrarium?

Eundem captivum vi dicti decreti) non tantum eius decreti vi, ſed & antiqui iuris morumque, edicti quoque de eiurato Regis Philippi principatu, orationum quas Federati proceres temporibus Liceſtricis habuere, poſtremo ipſius ſacramẽti militaris.

Eam interpretationem ordinarij militis ſacra-

mento datam voluiſſe & vt daretur fuiſſe adiutorem) nunquam facto externo : neque enim cum quoquam ea de re contuli niſi Trajecti ex publico mandato : ſed intra animum meum ita ſacramentum interpretatus ſum, vt & paulo ante & capite XI explicavi : qua de re à iudicibus interrogatus rotunde promſi quid ſentirem. Quod autem ſenſi & nunc quoque ſentio, id non habui proprium ac peculiare, ſed commune cum omni, ni fallor, conventu Hollandiæ, qualis is erat meo tempore.

Teneri eos ſcilicet præcipuo loco nationum ſingularum proceribus quibus mererent) Nempe ſi intra fines nationis, vnde ſtipendia acciperent, ipſi verſarentur, quæ prima cauſa videtur fuiſſe diſtributi nationatim militis. Cæteroqui notum eſt eum qui territorio imperat ius habere validius quam eum qui æra numerat.

Eorumque decretis parere atque obſequi) In rebus ſpectantibus ad nationis regimen peculiare, non in his quæ ad belli ductum pertinerent.

Atque etiam magiſtratibus oppidorum in quibus præſidium agerent) ſecundum ſcilicet ipſos proceres nationis : quod pertinet ad ea cōfirmanda quæ de mente procerum Hollandiæ ſuper hoc negotio ſupra dixi, ac re-

ſellendæ calumniæ qua rectores quondam noſtri traducuntur, quaſi plenam nullique obnoxiam poteſtatem aſſcripſiſſent oppidanis magiſtratibus.

Etiam contra Federatorum univerſitatem & Principem Mauritium) Dictum id à me non eſt: ſed cum vrgerer à iudicibus, vt quæ hac de re ſententia animi mei eſſet, promerem, dixi conventum Hollandiæ ita ſenſiſſe, quantum mihi conſtaret, neque Federatis proceribus neque Principi Mauritio ius eſſe in negotiis regimen peculiare nationis alicuius ſpectantibus iubere quicquam contra iuſſa procerum eius nationis.

Vt in popularium ſuæ factionis) Perperam hoc vocabulo notantur rectores legitimi. Propoſitum mihi fuit Rotterodamenſibus, quorum eram miniſter, & proceribus Hollandiæ, quorum eram ſubditus, fidelem operam navare, quod à factioſo ſtudio longiſſimè abeſt.

Poteſtatem redigerent maximam partem militis intra has terras agentis, tum per iſtam ſacramenti explicationem, tum per conductionem novi militis) Non tantum pars maxima, ſed omnes omnino milites, qui intra Hollandiæ fines degebant, tenebantur Hollandiæ proceribus (qui immeritò hîc factio vocantur) obedientiam præſtare in negotiis ad

proprium Hollandiæ regimen pertinentibus: vt ſæpe iam dictum eſt. Non ergo in poteſtatem procerum redigere militem voluerunt eorum temporum rectores, ſed retinere in ea poteſtate vnde contra leges ab aliis deiecti ſunt. Attamen, quanquam iure proceribus Hollandiæ hæc poteſtas in militem ſuos intra fines agentem debebatur, nemo tamen adeo erat rerum imperitus, vt neſciret quam milites omnes Principi Mauritio eſſent addicti atq; obnoxij. ac proinde ſciebant oppidorum rectores eos milites aut partem eorum maximam non vltra ſibi parituros quam Principi videretur: quod ipſum, cõiunctum cum profeſſione Principis de vi naſcente ex negotio religionis, cauſam dedit conducendis aut augendis peculiaribus oppidorum cuſtodiis, vt eo modo magiſtratus ſibi tutandis ſufficerent. Alia mens hic non fuit, neque vlla veri ſpecie fingi poteſt.

Ipſum captivum in ante dicto ſegrege conventu aſſenſiſſe) Huius nihil à me factum niſi ex imperio ordinis Rotterodamenſis & præſentibus aliis indidem legatis. Harlemenſium legati capita quædam conceperant, quæ iuri conſentanea arbitrabantur, vt de illis cęterarum conventus partium ſententiam expoſçerent. Audire voluerunt quid

nos ea de re ſentiremus:nos id negare amicis atque vicinis non potuimus. Quicquid à nobis illis conſilij datum eſt, pertinuit ad molliendum negotium & declinanda quæ in offenſas patebant. Interdictumne igitur eſt oppidorum magiſtratibus cōſilio adeſſe aliis alios? Id vero ita ſe non habere ſupra eſt demonſtratum.

Vt profeſſio quædam à ſe Hanio & Hogerbetio perſcriberetur) Perſcripta fuit ab Harlemenſibus:aliorum vero oppidorum legati ipſos id rogantes participes fecerūt eorum quæ ſibi videbantur. Et hæc res ita hic narratur, quaſi facta eſſet à ſolis oppidorum aſſeſſoribus,cum & alij qui ab oppidis aderant ſibi viſa promſerint.

Conſilio Iohannis Oldenbarneveldij) Puto ab illo id datum conſilij, vt in profeſſione illa quam fieri poſſet pleniſſimè teſtatum fieret, iudicum confeſſibus paritum iri in negotiis omnibus ad ipſorum notionem ſpectantibus,idque minuendæ invidiæ.

Ac nomine Harlemenſium perferretur in conventum Hollandiæ) Nempe per conſultationis modum & rogatis aliis Hollādiæ membris,vt aut idem cenſerent, aut meliora ipſos edocerent,paratos cedere rationi. Hęc amice admodum ac benigne ab Harlemenſibus dicta ſunt.

Et ab aliis ſuæ factionis popularibus probaretur) Legati oppidorum profeſſionem ſcriptam acceperunt, retulerunt ad ſui oppidi quiſque ordinem, & ex mandato eidem profeſſioni, vt æquæ, acceſſerunt. Ac vt æqua an iniqua fuerit liberúm ſit omnibus iudicium, ipſam cum ſubſecuto Rotterodamenſium decreto adſcribam.

Legati ab oppido Harlemo, cum antehac ſæpius ante perrogationem de tributis in annum hunc CIƆ IƆ CXVIII *tum ore tum ſcripto expoſuerint mandata ac mentem rectã eorum à quibus miſſi adſunt, obtulerintque ſi opus eſſet, etiam ſpecialius ſenſa ſua exprimere, tum congruenter his quæ dixerunt ante, dicunt nunc quoque Harlemenſes in principio æſtuque ſæuiſſimo belli inter primos fuiſſe qui magno animo ac conſtantia ferocem atque horribilem hoſtis communis Hiſpani exercitum ad mœnia portaſque intrepidi exceperint, aduerſos ſe fortiter tulerint, ac Deo aſpirante vim cuncta perruaſuram ſtare coëgerint, obſidionem tam difficilem ac diuturnam pertulerint, tot ac tanta pro republica perpeſſi ſint, & qui ad hunc vſque diem nullis incommodis, nullis periculis deterriti fuerint, quo minus pro virili iura ac libertatem tuerentur, tum publica Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, tum propria partium eius atque habitatorum, ac nominatim libertatem circa ea quæ animi religio cuique dictat: ac nunc*

quoq; parati ſint capita & fortunas objectare ad arcẽdam dominationem Hiſpanicam, inquiſitionem in animos, legum violationem, vimq; aliam: atque ei fini agnoſcere tributa atque onera quæ ad hunc diem exercita fuere. Ab eiſdem vero intra animum ſuum ſerio expendi, quam arcto vinculo tum muneris ſui, tum præſtiti diſerte iuriſiurandi & ipſi & alij in hac patria magiſtratus obligentur ad tuendas leges, iura, libertatem, legitimamque reipublicæ regimen, ac nominatim poteſtatem procerum Hollandiæ & oppidanorum magiſtratuum: tum vero ad præſtãdam bonis civibus atque habitatoribus ſecuritatem adverſus cædem, expilationem & aliam vim, neque patiendum vt cuiquam ob ſententiam de religione iniuria fiat, noxave inferatur, ex præſcripto fœderis inter oppida Hollãdiæ & Vveſtfriſiæ initi, ac Federis quod Traiecti inter nationes coiit. Simul autẽ non ſine mærore ab ipſis cogitari, quomodo in contemtum regiminis ac legitimæ poteſtatis procerum, ab aliquo iam tempore, multa decreta admodum neceſſaria à maiore parte rite facta per calumnias inique traducta ſint, fructuque & effectu ſuo caruerint: libellos quoque dicto regimini ac poteſtati contrarios palam volitaſſe: Epiſtolas citatorias emiſſas contra leges & decreta dictorum procerum, etiam contra leges iura, moreſque oppidorum: Magiſtratibus oppidorum quorũdam alibi minas, alibi vim incuſſam:

electionem magiſtratuum, quæ libere ex legum norma faciẽda erat, per ſeditiones, minas & vim extortam: ita vt manifeſte appareat quibuſdam turbulentis factioſiſque hominibus id eſſe propoſitum, vt, ſub ſpecioſo velo pietatis ac ſacrorum, optimos ac fideliſſimos ciues, qui vitæ fortunarumque ſummo cum periculo indubitata dederũt documenta in patriam fidei, variis modis ac viis de republica deijciant: Deinde vero paſtores, plebem, bonoſque municipes perſtantes in religione reformata, ſed tantum ab aliis diſſentientes in capite de Prædeſtinatione & rebus annexis, per vim aliorum aut minas eccleſiis expelli, per vias publicas ac domi ſuæ terreri, iniuriis vexari ac male tractari, quin etiam aut fortunis ſpoliari, aut in diſcrimen adduci vitæ ac facultatum: quæ facinora barbara, atque immania ex odio religionis aut eo obtẽtu, cum omnium vere Chriſtianorum inſtituto, & vere Hollandorum ingenio directe pugnantia in his terris, ex quo libertas armis repeti cœpit, viſitata nunquam fuerant: ad quæ accedere, quod inquieti quidam paſtores non vereantur ſe à collegis ſuis alioqui de Prædeſtinatione & quæ adhærent idem ſentientibus ſubducere, ac triſte diuortium in Eccleſiam invehere ac fovere, hac vna de cauſa, quod iidem collegæ ac plebes, vt bonos ſubditos ex divinæ legis præſcripto facere oportet, in electione ad paſtoralia munera, ſecundum rectorum ac magiſtratuum

ſuorum pracepta, ſequuntur legem Eccleſiaſticam anni CIƆ IƆ XCI, *quam ipſi Hollandia proceres ſuo nomine atque imperio exerceri voluerũt quibuſcunque in locis oppidani aut agrarij magiſtratus ita opus factu arbitrarentur: ſupra qua homines diverſorum in religione inſtitutorum qui in his terris ad hæc vſque tempora quiete ac placide vixerunt, intactos à factionibus ac ſeditionibus, percelli iniecto exſilij metu, vt ex libello cui nomen Querela Eccleſia, aliiſque id genus turbidis carminibus, libris atque ſermonibus manifeſtum ſit: Quibus omnibus malis obviam hactenus itum non eſt pœnas exigendo pro meritis aut etiam providendo ne ſæpius hæc fierent, publicatis edictis, præſidiis diſpoſitis per loca ſeditionibus opportuna, amotis qui cauſam dederant, cum tamen ſerio admodum poſtulatum id eſſet tum in conventu Hollandia tum apud Federatos idque ad vetera ſimilium temporum exempla: Imo vero palam apparet eos qui à magiſtratibus pro ſui imperij poteſtate exire iuſſi ſunt oppidis, quo iiſdem oppidis pax & quies conſtarent, ab aliis receptari& in turbido propoſito confirmari: oppida Hollandia & Vveſtfriſia procul ab hoſtico ſita præſidiis teneri, qua rectoribus pariter ac municipibus inviſa ſint, incerto an non is miles ſub obtentu controverſiarum de ſacris aliquid ſit auſurus contra magiſtratus & oppidorum pacem, aut ſi ab aliis tale quid fiat, an ipſe*

ad pacem

ad pacem ſervandam magiſtratibus præſto ſit futurus ita vt ſacramenti verba & Federis Trajectini leges exigunt. Qua poteſtatis publicæ diſſolutione; delictorum impunitate, licentia ac temeritate hominum, quorum facta omnia evincunt nihil ipſis minus quam religionem eſſe cordi, cives & qui alij has terras colunt, perpetua formidine tenentur, pars etiam malo publico diſceſſum cogitant ni prompta medicina ſubveniat. Quapropter Harlemenſes ſolliciti vt cum iure ac libertate ſimul reditus quoque publici Hollandiæ & Vveſtfriſiæ bono publico ſerventur, ac gnari, ſicut ſubditi tenentur onera ferre quæ legitimo imperio ipſis imponuntur (quod ſumma cum obedientia ab habitatoribus harum terrarū factum eſt hactenus) rectorum viciſſim eſſe officium ſubditos tueri ac defenſare: ac proinde dantes operam quo omnes boni cives atque incolæ ſecuri de animorum libertate, de exiſtimatione, de vita, deque fortunis tanto lætius ſubeant onera quæ tolerare neceſſe eſt, operæpretium arbitrati ſunt à ſe ante pollicitationem tributorum hanc edi profeſſionem.

Principio promtos ſe paratoſque pro viribus defendere ius atque imperi..m procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, Principis Mauritij vt præfecti; curatorum reipublicæ in negotijs ad pacis bellique & ærarij regimen ſpectantibus & quæ alia cum his connexa ſunt: conſeſſuum iudicialium in com-

muni iure dicundo, honoratorum ac magiſtratuum per oppida atque àgros in his quæ ipſorum ſunt muneris, ſecundum mandata, decreta procerum ac mores: arcere ac prohibere quicquid verbis factiſve contra tentetur: decreta procerum quæ aut concorditer aut extra negotia tributorum, ſuſceptionem belli ac mutationem ſtatus publici, maiori parte ſententiarum perrogata erunt, effecta dare quantum in ſe ſit.

Neque minus paratos ſe exſequi fœdera ac pacta conventa quæ antehac facta ſunt, aut inter membra Hollandiæ & VVeſtfriſiæ, aut cum ſocijs ac proinde ope conſilio adeſſe illis adverſus dominationem Hiſpanicam, vimque omnem externam & internam, ac rupturam iuris, libertatis legumque tum publicarum tum municipalium, eamque ad rem nec vitæ nec facultatibus parcere, neque periclitantes deſerere.

Eidem fini rectores oppidorum maiorum minorumque tueri in legitimi imperij poteſtate vim ab eis propulſare, neque pati vt ad rempublicam quiſquam accedat niſi ſecundum iura ac leges electus: ſecus quæ facta ſunt adverſus ea rem in integrum reſtituere.

Sacra quod attinet, paratos ſe publice tueri pro ſua parte religionem Evangelicam Reformatam, neque tamen pati vt in cuiuſquam animi ſententiam inquiſitio fiat, aut eo quis nomine damnum, voxam iniuriamve patiatur, vtve vicinæ natio-

nes invitis proceribus Hollandiæ & Vveſtfriſiæ ea de re quicquam imperent, quandoquidem id adverſum ſit iuri atque poteſtati procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ ac fœderi quod Traiecti initum eſt. De controverſiis vero ortis per Reformatas Eccleſias ſuper divina Prædeſtinatione & cohærentibus rebus; ſicut antehac optaſſent præventum quod ea de re natum eſt diuortium, ita nunc nihil ſe malle quam vt ineantur æquabiles viæ quibus id divortium ſanetur: interea vero, quod ſine præiudicio in partes diſſidentes fiat; templorum poſſeſſio maneat penes paſtores ritè electos & earum plebem: ſecus facta quæ ſint per vim, adverſùs ea res in integrum reſtituatur.

Promtos quoque ſe agnoſcere ac revereri conſeſſus iudicum in rebus ad iudicia pertinentibus, eoſque conſeſſus tueri ſecundum mandata & codicillos ipſis datæ poteſtatis, hac lege ne citationes decernantur contra edicta decretave procerum, aut manifeſtas leges moreſve oppidorum, ac præſertim adverſus morem Hollandiæ antiquiſſimum, ne à iudiciis oppidanis in cauſis criminum tractatis criminaliter; ſive extra ordinem ad eos conſeſſus provocatio ſit.

Publici reditus vt impendantur tum ad arcendos hoſtes externos, tum vt tuta ſit adverſus vim ac turbas vita & fortunæ civium atque incolarum, etiamſi vis ea ſive turbæ occaſionem aut

prætextum ſumant ex odio ſententiæ cuiuſquam de religione.

Vt milites qui intra fines Hollandiæ ac Vveſtfriſiæ degunt, aut etiam qui alibi degunt, ſed qui in numeros Hollandiæ ſunt diſtributi, interpellatione facta teneantur ex VII *capite Trajectini fœderis ſupra ſacramentum generale etiam peculiare ſacramentum præſtare nationi, vrbi, oppidove vbi agunt, magiſtratibus ſe auxilio, municipibus vero atque incolis præſidio futuros adverſus vim omnem quæ ipſis immineat: etiamſi ea qua dictum modò eſt occaſione ſive prætextu.*

Simul profitentur cenſere ſe officij eſſe ſui ex præſcripto federum ac pactorum quæ facta ſunt antehac, ſicui rerum ante memoratarum nomine noceatur metuſve inferatur, eum vel vitæ ſuæ bonorumque impendio defendere, & ſi quid ſecus fiat id illico demere.

Orant vero legati ab Harlemo eorum nomine à quibus miſſi adſunt cætera huius conventus membra, vt ante tributorum pollicitationem de rebus ante dictis palam atque apertè parem edant profeſſionem: vt firmata fide mutua, caritate ac ſecuritate tributa eo lætius indicantur, inferanturque. Si quis vero (quod futurum non exiſtimatur) inveniat in illis quod ſibi non probetur, is quoque vt ſimpliciter & fide qua agi oportet inter amicos, federatos & unius corpo-

ris membra, & vt antehac ſimili temporum neceſsitate cum laude ac bono publico factum eſt, animi ſui ſenſa expromat.

Conſules ac decuriones oppidi Rotterodamenſis expenſa in cœtu ſuo diligenter oratione Harlemenſium quæ ſupra ſcripta eſt, imperant legatis ſuis iteris ad conventum procerum Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, vt in eo conventu huius oppidi nomine parilem edant profeſſionem & in eandem cum Harlemenſibus ſententiam concedant. Actum ab ordine Rotterodamenſi die XI *menſis Februarij anno* CIↃ IↃCXVIII. *Signatum eorum iuſſu Cornelius Smoutius.*

Ad hanc profeſſionem non modo ab oppidis octo, ſed & à maiore conventus parte dictum eſt, nihil ſe habere quod contradicerent, præſertim cum Harlemenſes atque alij dicerent nolle ſe vrgere reſtitutionem in integrum niſi quatenus effecta dari ſine magno negotio poſſet. Paucorum oppidorum legati in rebus eccleſiaſticis à nobis diſſentientes haud rectè, vt quidem nos iudicabamus, idem profiteri recuſarunt: neque tamen ab aliis rogati recuſationis ſuæ cauſas protulerunt, ne aut ſi aliud dicerent, appareret iniquitas, aut ſi idem, prohiberentur pridem deſtinata exſequi.

Qua dicunt non paſſuros ſe vt ab aliis Federa-

tis nationibus quicquam ſiat in negotio religionis ſe invitis:) Profeſſio Harlemenſium ait:invitis proceribus Hollandiæ & Vveſtfriſiæ, atque agit de eo quod per Hollandiam imperetur. Alioqui nemo obſtabat quominus intra ſuum facerent nationes quod viſum ipſis eſſet. Sed vt nationes alię Hollandis hac in re leges darent id vero iniquum erat. Vide caput 11.

Contra ſua decreta à conſeſſibus iudicum citationes decerni vetant:) Ait profeſſio *contra edicta ac decreta procerum*, quæ ipſa ſunt verba pactionis initæ inter Hollandos & Zelandos. Vide ſupra caput XII.

Ad ea arcenda impendi volunt reditus publicos:) Manifeſta detorſio. nam verba profeſſionis modò recitata, agunt de civibus atque incolis contra vim ac tumultum tuendis. Quis inficiari audeat pecuniam publicam hunc ſui vſum pręcipuè debere?

Ac iurare militem magiſtratibus apud quos præſidiū acturi eſſent, ſe ipſis præſto futurum:) Hoc dicitur, militem interpellatum teneri id iurare quod dictant Trajectini Federis verba. neque tantum agit profeſſio de magiſtratibus, verū etiam de civibus atque incolis tuendis. imo quod continenter ſequitur, id proximè adhæret civiū tutelæ. Omnino enim ad id reſpicitur quod Remo Epiſcopo ex religionis odio evenerat.

Etiamſi quid ipſi imperaretur quod occaſionem aut prætextum ſumeret ex cauſa religionis) Omnino hoc à vero abit. nam verba profeſſionis hunc ſenſum non continent, ſed longè alium, vt miles municipibus atque incolis præſidio ſit adverſus vim omnem quæ ipſis immineat etiam occaſione aut prætextu ſententiarum de religione. Hæc quantum diſtent facilè videbit cui aliquid eſt ſenſus communis. Vis ex cauſa aut prætextu religionis cũ ipſa religione pugnat. Quare Princeps Arauſionenſis Vvilhelmus & eorum temporum Reformatæ Eccleſiæ privatos iconoclaſtarum auſus improbarunt, quanto magis improbaturi quæ nos vidimus, templorum invaſionem, deiectionem magiſtratuum, aut inſultũ in eos, domuum direptionem aliaque à pietatis regula longiſſimè recedentia.

Quibus illi conditionibus pollicitationem tributorum novo more adſtringebant) Quicunque conventui interfuerunt, ſciunt inſolitum non eſſe, vt promiſſioni tributorum antecedant ſtipulationes quædam etiam tales ſæpe quæ non ius publicum, ſed oppidorum proprium ſpectant. Quanquam vero cauſa iuſta non erat cur Dordrechtani atque alij parem cum Harlemenſibus profeſſionem defugerent, quãdo ea iuri com-

muni, federibus compluribus, edictis atq; decretis conſonans erat, tamen, vt ante diximus, non omiſſa fuit ob eam rem tributorum condictio.

Aliaque oppida & membra reipſa ad novum fedus invitabant) Minime vero ad fedus novum, ſed ad implenda federa pridem facta ad quæ ipſa profeſſio digitum intendit. Nihil huius clam actum eſt. Dicta ſententia in pleno conventu, &c, vt dictum iam eſt, oratum ſi quis contrarias rationes habere ſe exiſtimaret eas audire vt liceret. Pactio illa quę inter Hollandos Zelandoſque inita olim fuit diſerte continet, teneri magiſtratus alios aliis auxilio ſubſidioque eſſe. Quid ſi iam quidam magiſtratus hac in re ceſſatores ſint? nonne cæteri nihilominus inter ſe obligati manent ex pactione antiqua, ita vt nova opus non ſit?

Quam profeſſionem etiam in Gallicum ſermonem transferri & in terras exteras mitti curaverunt) Hoc vero nunquam ego ſum confeſſus. neque verum eſt. Ego illam profeſſionem ad terras exteras nūquam miſi. neque alium quenquam feciſſe id ſcio. Ex iudicibus intellexi in menſa dixiſſe quempiam hanc profeſſionem ad externos miſſam. inde hæc fabula vt videtur in ſententiam ingeſta eſt.

Eaque de re ipſum captivum cum externo legato ſermones ſociaſſe) Res ita habet. Cum in ſermone dixiſſet mihi Maurerius Regis Galliæ legatus traduci rectores noſtros, quaſi tributis intercederent, iudicia opprimerent, Principi Mauritio ius ſuum demtum irent, dixi certum me falſa hæc eſſe, & vt ipſum quoque certum facerem exhibui ei profeſſionem Harlemēſem Gallicè redditam, quæ arcana non erat, quippe non tantum in conventu magno pronuntiata, ſed iam tum typis quoque vulgata. addidi deprehenſurum hinc legatum quam falſa eſſet illa calumnia. Hoc illud eſt de ſermone ſociato, nec vltra quicquam. Semper ita credidi, referre publice vt amici omnes præſertim Reges Galliæ & Britāniæ quam optime ſentirent de conſiliis atque actionibus procerum Hollandicæ nationis, vt quæ potentia & magnitudine tributorum cæteras federis ſupereminet. Atque ideo amicitia, quam iſtorū Regum legati, etiam Carletonus, mihi offerebant, vſus ſum omni occaſione in eum finem, ſperans ipſorum cōſilio ac monitis rectius omnia componi poſſe ſi de animo noſtrorum recte edocti eſſent. Quæcunque apud me locutus eſt Maurerius de controverſiis noſtris, ea omnia ad pacis inveniendæ rationes

ſpectabant : quod vere apud iudices dixi. Quod ego feci ad tuenda publica conventus decreta, id Amſtelodamenſium adſeſſor non omiſit etiam apud eundem Maurerium ad ſuorum magiſtratuum conſilia approbanda quæ cum publicis decretis pugnabant. Viderint alij qui nobis hoc negotium exhibuerunt, quouſque ipſorum cum externis commercia ſe protulerunt. Ego hoc rigide inquirere nolo : ſed ſanctè teſtor nihil mihi propoſitum fuiſſe niſi, vt maneret reſpublica in eo ſtatu ſub quo eram natus. Neque vero ex quo reipublicæ admotus ſum aut dignitatem me aut pecuniam, aut beneficium vllum ab externo quoquam principe accepiſſe. Honos qui ad me pervenit, vnus hic eſt, quod legati tum Galliæ, tum Britanniæ me ſibi interdum convivam vocarunt, quod commune habui cum multis tum qui ſupra tum qui infra me erant.

Eundem captivum ſigna dediſſe offenſi animi, cum oppidum Brila inſeſſum eſt præſidio ordinarij militis Federatorum, ne novus miles ibidem conduceretur) Hac de re interrogatus non ſum : atque adeo mirum eſt poni id in ſententia. Res autem ita ſe habet. Cum nomine preſbyterij ſegregis Brilani conſeſſui iudicum antiquiori libellus eſſet exhibi-

tus, hoc ferme cõtinens, appariturum brevi vtris pugni eſſent duriores, multaque alia turbide geſta eſſent, ibidem conſultatum inter magiſtratus fuerat de alterutro horum, aut de conducendis cuſtodibus in vſum oppidi, aut de accipiendis præſidio centuriis non ingratis, quæ promitterent tutelam magiſtratuum locorunque publicorum adverſus vim omnem. Dum pendet hæc deliberatio, Princeps Mauritius ſubito itinere nocturno, inſalutatis reipublicę Hollandicę curatoribus Brilam contendit, & magiſtratu fruſtra connitente vt mora interponeretur, duas centurias immitti iuſſit, quarum altera magiſtratibus multis de cauſis inviſa erat. Idem Princeps rogatus admodum, vt eas centurias pateretur loco iuriſiurandi nude polliceri, magiſtratibus ſe parituras & imprimis vim omnem ſe propulſaturas, vt polliciti erant milites qui ante id oppidum inſederant, dixit id ſibi non placere, cęterum ſe proviſurum nequid turbarum daretur: neque verò diſceſſurum ſe oppido antequam centurię intraſſent. Factum hoc non mihi magis doluit quam cæteris qui mecum in conſeſſu erant reipublicæ curatorum: primum quia Princeps Mauritius & ante eum præfecti non ſolebant Haga diſcedere niſi ſalutatis

Hollandiæ primoribus reive publicæ curatoribus:deinde quia mandata tum Principi, tum curatoribus reipublicæ Hollandicæ data id cōtinent vt de præſidiis Princeps cōſtituat de conſilio curatorum. Scio deſuetudinem quandam huius rei obtēdi: ſed Oldenbarneveldius ſæpe teſtatus eſt ſolitum Principem de præſidiis mutandis ſecum conferre. Apud Friſios notum eſt non paſſuros reipublicæ curatores de præſidiis imperari quicquam ſe inconſultis. Puto apud Zelandos idem iuris habitum factitatumque. Tertium erat,quod in republica noſtra, præſertim extra belli tempora & demto obſidionis metu, vſitatum ſemper fuerat, vt oppidanis magiſtratibus commodaretur hactenus,ne præſidio acciperent centurias niſi quę ipſis gratæ eſſent: quia ſi ſecus fiat,non poſſunt non inde offenſæ exoriri. Quartum eſt,quod magiſtratus oppidani ius habent à centuriarum ductoribus exigendi peculiare ſacramentum ex lege ſeptima federis Trajectini:multoque magis depoſcendi nudam pollicitationem obſequij auxiliique. Sed ſine tali inſeſſione videbatur deſtinata mutatio magiſtratuum contra leges haud æque facile proceſſura.

Qua de re effecit ipſe cum aliis quibuſdam rei-

publicæ Hollandicæ curatoribus vt ad Iohannem Oldenbarneveldium literæ conſcriberentur in receſſu neſcio quid occultantes) Ne hac quidem de re interrogatus ſum. Id memini de literis ad Oldenbarneveldium ſcribendis verba primùm facta à Duickio ſcriba conſeſſus, atque ita miſſas literas, vt ipſe eas conceperat: ita vt ego ad eas literas nihil attulerim niſi nudam aſſenſionem inter cæteros. Quid occultari hac in re ſuſpicio ſit quod ad Hollandiæ adſeſſorem miſſus eſt nuntius rei tam palam geſtæ, mihi adeo occultum eſt, vt ſuſpicari id nequeam.

Similiterque ad oppida Hollandiæ) Mos eſt reipublicæ curatoribus, oppidis ſignificare ſiquid rei maioris & exempli ad oppida pertinentis geſtum eſt.

Atque ex ipſorum numero legati Brilam mitterentur qui Principi eo in negotio obſtarent) Literę continebant, vt legati conſilium Principi prębérent ſecundum mandata conſeſſui curatorum data. Mens hæc erat vt Brilæ rectores, pars fida reipublicæ, æqua omnia obtinerent. opera in hanc rem à legatis data eſt: ſed fruſtra. Quid vero ea res me magis tangit quam collegas alios?

Ipſum præterea captivum, quo magis ipſorum factio muniretur cum octo oppidorum legatis) Non factioſa fuiſſe conſilia noſtra, ſed id

vnum vt poteſtas cui iuramento addicto eramus ſalva eſſet, ſuprà annotatum eſt.

Concepiſſe actum mandati die XIV *Maij anno* CIↃIↃ CXVIII *quod oppida legatis ſuis dederunt*) Huius mandati dandi conſilium à me profectum non eſt. Imo maxima ex parte conceptum eſt me abſente, cum adeſſent alij à Rotterodamo legati. neque memini vel vnum verbum à me ad eam rem collatum. Nam recordor me ex hoc opere ad aliud quoddam vniverſitatem Federatorũ ſpectans fuiſſe evocatum, & cum redirem vidiſſe me mandatum conſcriptum eodem ferme tenore quo ante annos triginta legati oppidorum acceperant.

Cuius vi ac poteſtate ipſi nulla relatione ad alios facta conſtituere poſſent) Non hoc dicit actus mandati: ſed permiſſum hoc erat arbitrio legatorum pro rerum magnitudine, prout eæ moram ferrent vel non ferrent, prout ipſis conſtaret vel non conſtaret de mente eorum qui ipſos miſerant. Atque in eum modum mandata dari ſolent miſſis ad conventum.

Per vias aut iam initas, aut etiamnum ineundas facto ipſo reſiſtendum) Actus mandati ſimpliciter ait reſiſtendum, quod fieri ſæpe poteſt argumentis atque aliter. Atque inter cætera ex hoc mandato placuit oratio-

nem ſcribi tum ad proceres Federatos, tum ad Principem pro tuendis magiſtratibus.

Omnibus illis qui Synodum communem vellent promovere, aut qui conarentur diſcingere novum ab ipſis conductum, quod in neminem alium directum eſſe poterat quam in Principem & proceres Federatos qui vtrunque id negotium vrgebant) Captioſe hoc eam in formam conceptum & cum ſequentibus continuatum eſt, vt fides plebi fieret propoſitum fuiſſe rectoribus noſtris adverſus verborum conatus vim ſolidam opponere, quod ab ipſorum mente abeſt longiſſime: Sed & à verbis actus quæ primo narrant, *cœpta fieri multa quæ cum ſummo imperio ac poteſtate procerum, cum iure, libertate, legibus publicis oppidorumque ac partium, cum federibus ac pactionibus inter nationes factis pugnarent : quodque eſſet peius, ſpargi rumores de vi Hollandiæ ac Vveſtfriſiæ, ac nominatim oppidis ibi quibuſdam inferenda*: deinde poteſtas fit reſiſtendi eiuſmodi conatibus. Revera conſilium fuit, vt teſtari poſſunt omnes qui tum conventui interfuerunt, omnia in medium adferre quæ pertinere poſſent ad componendas controverſias Eccleſiaſticas, & tutandos magiſtratus atque in iis rebus tantum concedere nationibus aliis ac Principi quantum publica ſalus ferret: cui cōſequenter mul-

tæ conditiones latæ ſunt,tum in conventu Hollādiæ,tum apud Principem,tum apud Federatos. Quod ſi nequicquam tentatis iſtis omnibus ipſo facto pergeretur ad deſtituendos magiſtratus atque paſtores contra procerum decreta,tum vt cōſultaretur; ſatiuſne eſſet defenſionem aggredi (quæ habita erat legitima in Regem Hiſpaniæ tunc Principem harum terrarum,vt videre eſt tum in edicto eiurati principatus, tum in altero edicto quo Hollandiæ proceres anno CIↃ IↃ LXXXVII ius ſuum exponunt) an maioris periculi vitandi cauſa iniuriam pati,quod tandem prælatum eſt.

Ipſiſque legatis liberum eſſet alios aliis cavere ſecuritatemque præſtare talibus promiſſis,ope, auxilio, damnorum ſuſceptione) Non hoc ait actus mandati,ſed *promiſſis opis,auxilij damnorumque ſuſceptionis.* Hæc promiſſio à legatis fieri poterat, ita tamen vt conſultatio de modo auxilij maneret penes eos à quibus legati venerant: Atque adeo hîc rurſum res inuertitur.

Qualia ipſi neceſſaria iudicarent) Hæc verba in actu mandati referuntur ad ſola promiſſa,& additur *ad defendenda iura ac libertatem publicam, ſervandaque federa & pactiones.*

Qui proinde actus vim habebat federis inter

ipſos

ipſos initi:) Minime vero: nam eo hic actus pertinebat vt bona fide implerentur ea ad quæ membra Hollandiæ ex præſcripto primitivi federis, atque etiam ex præſcripto Trajectini federis tenebantur, id eſt vt tuti eſſent magiſtratus contra vim & vt illegitima eorũ deſtitutio prohiberetur. Vide hac de re Harlemenſem profeſſionem. Nam actus hic mandati nihil aliud reipſa continet quam illa ipſa profeſſio; multaque decreta ante eum diem in conventu facta. Similis damni communiter ſuſcipiendi promiſſio facta erat anno CIↃ IↃ LXXXVII. Fac etiam novum fedus fuiſſe. Iam ante Wilhelmum Principem Arauſionenſem dicentem audivimus, non omnia nova federa illegitima cenſeri poſſe, ſed ea demum quæ in perniciem iuris publici fierent. Belgicogermanicæ nationes devinctæ inter ſe erant vinculo pacis Gandavenſis. non eo tamen minus liberum ſibi iudicarunt nationum nonnullæ fedus inire propius & arctius Trajecti. Et hoc ipſum fedus Trajectinum non impedit, quo minus comprehenſæ in eo nationes inter ſe fedus arctius faciant aut vetera federa renovent, vt apparet ex decreto facto ab Hollandiæ proceribus die XVII Iulij CIↃ IↃ LXXXIV quod ſic habet: *Cum reipſa compe-*

riant proceres Hollandiæ rempublicam Hollandicam eiuſque regimen bene ordinari non poſſe niſi prius nobiles & oppida omnino perſtent in fœdere quod anno CIƆ IƆ LXXVII *re bene expenſa ſolemniter admodum inter Hollandos Zelandoſque factum eſt: quo vinculo tum in tributis tum in rebus aliis eæ nationes concordes retineri poſſunt: teſtati ſunt nobiles atque oppida à ſe dicti fœderis facti anno* CIƆ IƆ LXXVII *leges ſingulas probari ac ratas haberi, obligaruntque ſe denuò quod in ſe eſt eis legibus ſtaturos eaſque ſervaturos; ſic tamen vt opera detur vt Zelandi idem faciant atque etiam Trajectini: vtque in eo fœdere confirmãdo diligenter ratio habeatur eorum quæ in fœdere Traiectino aut alibi ſunt comprehenſa; & ex eis augeatur idem fœdus peculiare ac corroboretur, negotium datum eſt principi conſeſſus iudicum cæteriſque iudicibus vt cum adſeſſore conventus Hollandiæ & quos alios ex oppidanis adſeſſoribus ad ſe adſument, relegant capita tum Fœderis inter Hollandos Zelandoſque initi, tum Trajectini atque inde formula inſtituatur fœderis inter dictas iam nationes faciendi.*

Cui illigare etiam Trajectinos proceres laboratum eſt:) Nunquam cum proceribus Trajectinis, aut quoquã eorum egi hac de re: nec quicquam huius mihi cognitum fuit. tãtum intellexi Moerſbergium ab Hogerbetio poſtulaſſe exemplum actus mandati

facti à Lugdunenſibus non addito quam ob cauſam. Quare omnino extra verum hoc mihi imputatur. Interim illud verum eſt, proceres Hollādiæ & Traiectinos obligatos fuiſſe inter ſe vt legitimum regimen alij aliorum à vi defenderent, primum ex Trajectino federe cuius vinculo ſolvi non poterant ceſſatione aut detrectatione cæterarum nationum, quādo fedus non tantum vniverſas obligat nationes, ſed & in ſolidum ſingulas ad ea quæ diximus præſtanda: tum vero ex aliis etiam pactionibus quæ antiquatæ non apparent: vt ea quæ facta eſt, cum profanum omne imperium in Carolum Imperatorem tranſiret: deinde altera quæ inita eſt, cum Trajectini poſt pacem Gandavenſem vicinis reconciliarentur, qua proceres Hollandiæ ſpoponderunt ſe eam ad rem ipſis adiutores fore: poſtremo ex eo quod proceres Hollandiæ, quo tempore Principi Mauritio mandata præfecturę Traiectinæ ſunt data, promiſerunt auxilio ſe futuros vt leges mandatorum (in quibus prima eſt de religionis arbitrio) implerentur: vnde liquet opus non fuiſſe vt nova pactio vlla inter proceres Hollādos & Traiectinos iniretur.

Quorum nomine die III *Iunij anni* CIↃ IↃC XVIII *ſecundum vetus Kalendarum ſimilis actus*

mandati editus eſt: ſed magiſtratus vrbis Traiectinæ, ſentientes quorſum expoſceretur, aſſentiri noluerunt, niſi certa lege quam ſequente die x Iunij addiderũt, ne legatus ſuis vti poteſtate conceſſa liceret eum in finem vt ad vim atque extrema veniretur, aut vti extra fedus commune novæ pactiones fierent:) De eo quod hîc narratur nihil plane mihi cõpertum eſt, neque ad cauſam meam hoc pertinet. Si ita res acta eſt, male edocti fuerunt magiſtratus Traiectini de animo eorũ qui nobis præerant, cum alioqui ſatis intellecturi fuiſſent illa lege adſcripta nihil fuiſſe opus. Nam propoſitum noſtris erat ſtare federi Traiectino, &, ſi ſumma neceſſitas ingrueret, conſultare an ad ſui tutelam ſe componerent, vt clare ſupra commonſtratum eſt.

Cumq́ proceres Traiectini deprehẽderent alendo in longũ novo milite ærarij ſui rationes labare, ac propterea menſe Iunio anni CIↃ IↃ CXVIII *legatos de ſuis aliquammultos Hagam miſiſſent, vt de miſsione dãda novo militi cum Principe Mauritio agerent, ipſum captivum cum Hanio & Hogerbetio itidem opp:dorum adſeſſoribus veniſſe domum Ioannis Vtenbogardi: atque ibi ea cum Ledenbergio Traiectinorum ſcriba commentos, argumenta, ac rationes, quibus cæteri à Traiecto legati moverentur non aperire quod ipſis ea de re mandatum fuerat:*) In hoc negotio multa de vero ſubticentur: multa etiã narrantur ex-

tra verũ. Ledenbergius me atq; alios duos adſeſſores conventos voluerat domi Iohannis Vtenbogardi viri conſpectæ dudum fidei in Eccleſias, proceres Hollandiæ & ipſum Principem, quicum Ledenbergio vetus notitia intercedebat, cum ego Ledenbergium nunquam vidiſſem niſi in via publica, aut in conventu Federatorum, neque vllam cum ipſo amicitiam contraxiſſem. In eam domum ventum vbi erat, cœpit quidem Ledenbergius narrare quędam de propenſione procerum Trajectinorum ad liberandos ſe novi militis onere, ſi nempe id cum ſecuritate ipſorum procerum conſiſtere poſſet. nam plene illud ac definite decretum fuiſſe ex eo non didici. Illud ſimul intellexi, non abs re proceribus Trajectinis videri, ſi eo de negotio Princeps compellaretur: deſtricte vero mandatum nę hoc quidem perſentire potui. Mens eſſe hæc videbatur, proponere miſſionem novi militis hac lege, vt centuriæ militis ordinarij tum Trajecti præſidiũ agitantes (quę extra ſuſpicionem non erãt) amoverentur, earumque in locum ſubmitterentur aliæ, quarum ſtipendia à Trajectinis ſolvi ſolerẽt. Hac ſuper re obiectæ ſunt difficultates non à nobis, ſed à Ledenbergio metuente ne Princeps nollet proceri-

bus & magiſtratibus vrbanis quantum ſatis eſſet cavere, præſertim de tuendo publico religionis ſtatu ſecundum procerum conſtitutiones: tum ne colloquium cum Principe, re infecta, tacitum non maneret, atq; adeo magiſtratuum infringeret animos, ſimulque iritaret, tum ordinarium militem prodita in ipſum ſuſpicione; tum novum militem miſſione tentata. Hæ rationes ipſius erant, quæ nobis non ſpernendæ videbantur. nos vero nulla in medium attulimus argumenta aut rationes quæ legatis aliis exponerentur. Imo cum abiremus à Ledenbergio, mihi ne in mentem quidem veniebat futurum, vt legatos Trajectinos hac de re conveniremus. tantum diximus, nos negotium omne renuntiaturos aliis qui ab oppidis noſtris ad conventum miſſi erant: exploraturos quoque conſilium Oldenbarneveldij vt peritiſſimi rerum civilium.

Renuntiataque re Iohanni Oldenbarneveldio) Vt conſilium ipſius exploraretur ſicut diximus, qui non multum nobis reſpondit, ſed Ledenbergij rationes non levis momenti iudicabat, auctorque nobis erat, cum aliis oppidorum noſtrorum legatis ageremus, &, ſi ipſis conſultum id videretur, etiam cum legatis Trajectinis ad conſultandum

an res Hollandica & Trajectina, tum in collatione cum Principe, tum in eo quod præterea faciẽdum reſtaret, communi conſilio atque opera tractari poſſet, ad implendam fidem earum pactionum quas Hollandiæ ac Trajectinis intercedere iam diximus.

Ipſum deinde captivum cum cæteris duobus adſeſſoribus in iuſſu eorum quorũ in miniſterio erat, acceſſiſſe ad legatos Traiectinos in ædibus Danielis Treſelij) Hic ſilentio transmittitur Langius, optimus civis & dudum ſpectatæ virtutis, qui non tantum nobiſcum Trajectinos legatos acceſſit, ſed etiam ipſe vnà cum illis adſeſſoribus me compellavit, vt ſe comitarer, iuſſu (quantum intelligere memini) legatorum ab oppidis, tum noſtris, tum aliis quæ cauſam eandem tuebantur. nam ego occupatus in conſeſſu reipublicę Hollandicæ curatorum, conventui legatorum ab oppidis noſtris non interfueram. Eos quod attinet quorum eram miniſter, ordinem ſcilicet Rotterodamenſem, ei ſæpe placuerat non dimittendos cuſtodes niſi communiter. Imo ipſi de ſcribis ſuis vnum miſerant Trajectũm, vt ibi rectorum animos pertentaret & offerret conſiliorum commercia. Quare hoc in negotio cum certam volũtatem eorum quibus ſuberam

(quam me probaturum quoque ſuſcepi) ſecutus fuerim, immerito accuſor quid-
L. ad quam iniuſſus feciſſe: Nam iuris notiſſimi
tem. eſt, miniſtris, præſertim qui abſentium ge-
l.lega runt negotia, non exſpectandum ad ſingu-
tū de las circumſtantias mandatum ſpeciale: ſed
pro- ea quæ occurrunt regenda ab ipſis ex man-
curat. dato generali & mandantium voluntate.
Rom. conſ. 94. Cum ergo Traiectini legati iamiam eſſent diſceſſuri, noſtrorum rectorum intererat, vt ipſi illorū, illi ipſorum viciſſim animum intelligerent: cui fini, non ad aliquod negotium contrahendum, inſtitutū erat iſtud colloquium. Talia verò amica colloquia inter miniſtros diverſorum oppidorum aut etiam nationum, ad tutelam legitimæ poteſtatis factorumque decretorum, illicita eſſe, nulla cum ratione aſſeri poteſt: imo ne mandato quidem opus eſt ad colloquia eiuſmodi. Sed qui huius nos incuſant, ipſi viderint quomodo æquis iudicibus approbare poſſint, arcana illa & ſecreta conſilia, quæ nationum aliquot legati ſociarūt cum oppidis Hollandiæ nonnullis cōtra decreta procerum Hollandiæ: ſimulque illa arcana colloquia, quibus Amſtelodamenſes & alij oppida quædam in ſuas partes pertrahere ſtuduerunt. In eo vero conſpectiſſima eſt iniquitas, quod mihi & adſeſſori-

bus illis hæc res datur crimini, cum Langius, me non invidente, ne conveniatur quidem.atqui nihil dictumeſt niſi omnium nomine,re communiter conſultata, nihil quod non communiter ſit approbatum.

In hanc rem proprie congregatos) Nimirum vt nos audirent, quod noſtræ dignitatis hominibus negari non ſolet.

Ibique vſum acribus pernitioſis & in rem ac quietem publicam nocentibus argumentis atque effatis) Iterum hîc vagatur calumnia famæ noſtræ malo. Nam argumenta illa atque effata exprimi debuerãt, vt iudicare lector poſſet,eſſentne illa acria,pernitioſa,ac nocentia,an vero æqua ac ſalutaria. Multis in partibus ſententiæ iniuria mihi facta eſt: nuſquam vero magis quam in huius colloquij narratione.Captatus eſt morbus meus vt hac de re interrogarer: interrogationes conceptæ ſunt captioſum in modum:quæ reſpondi non vt volui perſcripta:quamobrem huius pręcipue partis recognitionem apud iudices petij, affirmans certo me ſcire,non huiuſmodi fuiſſe mea verba,qualia mihi imputarentur. Et tamen ne ſecundum illam quidem extra iudicium factam ac præcipitatam quæſtionem cõcepta ſunt ſententiæ verba: ſed partim ex renuntiatione legationis perſcripta à legatis Traie-

ctinis,qui forte in largius omnia extenderunt, quo faciliuseos à quibus miſſi erant ad retinendum novum militem permoverent, maxima vero ex parte ex privatis annotationibus vnius qui ab eo tempore decreta omnia ſe adiuvante facta reſcindere, & proceres Traiectinos deſerere conſtituerat, vt ex mutatione reipublicæ quæſtum faceret. Ego contra provocavi ad teſtimonia non Hanii tantum & Hogerbetii,ſed Langii quoque. Vt ergo generaliter primum quæ in eo colloquio acta ſunt repetam, poſtulatu Hanii, Hogerbetii, Langii,legatos Traiectinos ſalutavi:expoſui quæ in conventu Hollandiæ decreta erant aut deliberata:etiam ſentētiam octo oppidorum, vt expoſita erat profeſſione Harlemenſi, ita vt ad eam nihil adderem. Eo autem tendebat expoſitio iſta,vt legati Traiectini hac expenſa conſiderarent an cum bono terræ Traiectinæ & cum mente procerum à quibus miſſi aderant, conveniret rem integram ſervare,donec communis quædam ſecuritatis inita eſſet ratio: quæ mens clare apparuit, cum antequam diſceſſiſſent Traiectini legati, è conventu Hollandiæ triginta amplius, cum nobiles, tum oppidorum magiſtratus ad Principem Mauritium miſſi voce Oldenbarneveldij

ipſi oſtenderunt, nihil aliud armatorum hominum conductione quæſitum, quam ſui tutelam contra vim: ex legatis autem Trajectinis compertum ſibi eius nationis proceribus idem eſſe mentis: Proinde facile componi negotium poſſe, ſi Principi placeret peregrinos quoſdam milites quibus haud ſatis fidebatur, amovere, vrbemque Trajectum & oppida nonnulla Hollandię, vbi id opus eſſet, cuſtodire indigena milite, quod fieri poſſet per centurias viginti magna cum gratia tot oppidorum optime meritorum de republica. Argumenta ac rationes quod attinet, quæ à me prolata dicuntur, perſuadendis legatis ne quæ mandata ipſis erant aperirent, ea vero non id quod dicitur habuerunt propoſitum, ſed demonſtrare quæ facta eſſent hactenus ab Hollandiæ proceribus, ea facta ſecundum leges publicas. Ea verò argumenta atque rationes non aliæ fuerunt, quam illæ ipſæ quæ multis ſcriptis editis in vulgus explicabantur, multiſque decretis erant approbatæ: puta nationi cuique ius eſſe imperandi de publico religionis ſtatu ſecundum fedus Traiectinum, & mandata præfecturæ Traiectinæ Principi Mauritio data: ius eſſe nationum atque oppidorum rectoribus ſecuritati ſuæ proſpicere contra vim

contraque mutationem cum legibus pugnantem. iudicent nunc omnes boni cives hæc argumenta ac rationes an eiuſmodi ſint, cuiuſmodi eſſe hic dicuntur.

Etiam auxilij pollicitatione) Auxilium plane nullum promiſſum eſt, ſed dictum generaliter, ita nos confidere, proceres Hollandos adverſum Traiectinos functuros officio fidelium ſociorum, atque impleturos quæ federibus ac pactionibus continerentur. Imo cum poſtularent Traiectini, vt à proceribus Hollandię, aut oppidis quibuſdam mutuam pecuniam acciperent, diximus nihil eius à nobis promitti poſſe: ſed his qui nobis præerant rem renuntiandam.

Ipſos perſuaſiſſe atque induxiſſe) Quod dictum à nobis eſt, non eſt dictum ſuadendi modo, ſed vt legatis ipſis expendere liceret, quid factu optimum eſſet. Et tamen conſilium bona fide dare peccatum non eſt.

Ne Principi Mauritio aperirent quod mandatum ipſis erat) Imo vero quæ à nobis dicta ſunt, eo pertinebant vt communiter res Principi aperiretur.

Sed Traiectum redirent) Id vero fecerunt legati nullo ſuaſu noſtro, imo ignaris nobis, vt quæ ex nobis intellexerant, tum quæ

à delegatis è conventu Hollandiæ dicta apud Principem fuerant, & quomodo is difficilem ſe præbuiſſet, ſuis renuntiarent.

Magno periculo ac malo reipublicæ Traiectinæ atque vrbis) Contra ſe res habet. nam ſi accepta fuiſſet æqua illa conditio de ſecuritate rectoribus præſtanda, mutata non eſſet contra leges reſpublica Traiectina, neque everſæ leges Eccleſiaſticæ quæ magno conſenſu tum procerum, tum paſtorum perrogatæ fuerant.

In iis rationibus proceres Federatos ac Principem ab ipſo notatos vt adverſarios, averſos, malevolentes) Non ita ſe res habet. ſed de induſtria ad me traducẽdum confuſa ſunt, quæ dicta à me fuerunt de paſtoribus nonnullis aliiſque è plebe vim ac ſeditionem contra rectores moventibus, vt Veteribus aquis, Huſdæ, Harlemi, Lugduni: quæque dicta à me fuerunt de proceribus Federatis ac Principe Mauritio, circa negotium indicendæ Synodi nationibus quibuſdam invitis, deque exauctorãdo milite novo. Certus ſum, neque proceres Federatos, neque Principem Mauritium à me nuncupatos aut deſignatos nomine malevolentium, aut alio tantundem valente: ita vt hac in re inſignis mihi facta ſit iniuria.

Quibus cordate contra eundem eſſet atque in

id primo loco impendenda reipublicæ vectigalia) Rurſum hîc connectuntur quæ ſuper diverſis rebus prolata à nobis ſunt. Fieri poteſt vt dixerim, pacem eccleſiaſticam inter diſſentientes ſuper notis controverſiis, vt rem Chriſtianos decentem, animoſe defendi argumentiſq; eo pertinentibus muniri iure poſſe ac debere etiam: neque minus ius nationis cuiuſq; in ſacra, vti à Traiectinis factum fuerat antehac, tum ſcriptis literis, tum voce in conventu Federatorum. De vectigalibus nihil dixi, niſi ex profeſſione Harlemenſi, oppidorum noſtrorum mentem eſſe, impendenda vectigalia tum ad propulſandos hoſtes externos, tum ad tuendos magiſtratus ac municipes contra ſeditionem ac vim. Qua ratione etiam Lugdunenſes nixi fuerant anno CIↃ IↃ LXXXVII, cum ſimiliter dicerent, onus novi militis à ſe neceſſario conſcripti ab omni Hollandia agnoſcendum. Sed captioſum in modum concepta ſunt ſententiæ verba, vt fides lecturis fieret dictum à me, publica vectigalia præcipuo loco impēdenda contra proceres Federatos ac Principem, quod neque dictum fuit à me, neque in mentem mihi venit.

Miſsionem novi militis additur am infeſtis animos) Dixi hoc præcipue reſpiciens ad reli-

quias factionis anni cIↃ IↃ cx Traiecti, ac ſecundo ad peregrinos quoſdam Harlemi & Lugduni.

Ipſorumque factioni inflicturam vulnus inſanabile) Satis quivis intelligere poteſt à me vocem factionis non vſurpatam. Dixi miſſionem novi militis nullo alio reperto ad ſecuritatem præſidio (id quippe diſerte additum) inflicturam vulnus inſanabile, nimirum quia rectorum mutatio, quantum prudentibus cōiectare licebat, eam ſequebatur Traiecti, manaturo longius in Hollandiæ oppida, Harlemum præcipue Lugdunumq; exemplo. Immerito legitimum regimen factionis nomine appellari ſupra demonſtratum eſt.

Et cum periculo coniunctam ne in diſcrimen maius res adduceretur) Quod dixi ſemel, multis hîc verbis repetitur, ex annotationibus diverſis quas quiſque fecit privatim, vt memoria ſuppetebat.

Commoturamque animos per alia oppida quorum item res agebatur) Turbaturam oppidi quietem auctu licētiæ. Senſus idem quem iam dixi: ita vt crebra hæc iteratio circumveniendæ plebi ſit, quaſi aliud quid occultetur quam nobis propoſitum fuit.

In ordinario milite haud ſatis certum eſſe præſidium) Generaliter hoc dictum non eſt. ſed

de quibuſdam centuriis, præſertim externis: quamobrem curam adhibendam in dilectu centuriarum, quo rectoribus ſecuritas conſtaret. Dictum hoc à nobis partim ſecundum ea quæ ex Ledenbergio intellexeramus; partim ex periculo facto per Hollandiam, vbi ordinum ductores nonulli ita edocti erant, vt ſacramentum de parendo proceribus perſtantibus in reformata religione extenderent ad excludendos eos omnes qui pacem Eccleſiaſticam ſuper controverſiis de prædeſtinatione & capitibus cohærentibus tuerentur, quaſi ipſorum iudicij eſſet, quid de religione ſtatuẽdum eſſet à reipublicæ præſidibus, quod revera erat poteſtatem ſibi aſſcribere in eos quibus obſequium ex ſacramento debebant. Sapientes omnes iudicent, an non rectores nationum atque oppidorum cauſas habuerint cur non ſatis ſecuritati ſuæ cautum putarent, ſi talia præſidia aut acceptarent aut retinerent.

Oſtendendos hac in re animos) Aliis verbis iterum hic repetitum quod ante poſitum fuerat. De oſtendendis animis dixi nihil, niſi eo ſenſu qui ſuprà explicatus eſt.

Oppida ac membra Hollandiæ, quorum item res agebatur auxilio ipſis futura) Hoc vero neque confeſſus ſum, neque verum eſt: a

nova eſt, ſed detorta repetitio eius quod iam dictum fuit, confidere nos proceres Hollandos adverſum Trajectinos functuros officio fidelium ſociorum, atque impleturos quæ federibus ac pactionibus continerentur. Conſilium non erat oppidorum nomine quicquam cum Traiectinis agere: ſed in ipſo conventu diſpicere, ſi de invenienda alia ſecuritatis ratione cum bona omnium gratia non ſuccederet negotium, ecquid Traiectinis commodari poſſet, pecunia credita, aut interpoſita fide.

Ac communiter rem exſecutura, & in eo perſtitura, nihilque omiſſura quod eò pertineret:) Neque dixi hoc, neque dixiſſe faſſus ſum: ſed detorta iterum explicatio eſt eius quod ante dictum eſt de federibus ac pactionibus implendis.

Hollandos ita ærario ſuo conſulturos vt Traiectinis quoque levamen inde accederet:) Et hoc non rectè narratur. Dixi in convẽtu Hollandiæ actum de ita ordinandis ærarij rebus, vt eius rei conſequentia etiam Traiectinis levamento eſſe poſſet. Hoc autem pertinebat ad conſultationem in qua tum verſabamur de Gallicis copiis dimittendis vt in Galliam irent. Quanquam enim ſtipendium earum ab Hollandis pro mu-

tuo ſolvebatur; tamen nationes cæteræ, & in eis Traiectini, Hollandis pecuniam pro ſua parte reſtituere tenebantur: quo onere levandi poſthac erant ſi proceſſiſſet abitio earum copiarum, quod conſentienter ſatis toti conventui haud ita multo ante placuerat. Hæc vero mea mens fuit, vt in quæſtione reſpondi.

Eoſdem de militibus ſtipendia à ſe accipientibus ita conſtituturos, vt ſcirent cui fidendum eſſet, cui nō:) Non id facturos dixi, ſed in conventu fuiſſe qui id faciendum vrgerent, quod verum erat. Multa enim oppida ita cenſuerant, percunctandum aperte ex militum ductoribus, vellentne proceribus ac magiſtratibus præſidio eſſe ſine diſcrimine, tum qui in hanc, tum qui in illam partem de ſacrorum controverſiis ſentirent. Non video quo colore id negari potuerit.

Cum tamen captivus ipſe fateatur ſe intra animum ita ſenſiſſe, expoſitionem dicti mandati idoneam fuiſſe viam qua multa mala vitarentur:) Multo iuſtius poſſem dicere, qui hæc ita concepit, feciſſe hoc contra animi ſui ſententiam, cum rem aliter ſe habere non ignoraret. Ego optima fide teſtor, mandati eius expoſitionem mihi videri futuram fuiſſe non inutilem ſi res ſucceſſiiſſet, id

eſt ſi Princeps Mauritius obſecutus hactenus eſſet proceribus Traiectinis vt centurias illis dediſſet acceptas ipſis, eaſque obligaſſet adeſſe proceribus, ac rectoribus contra vim omnem, etiam quæ æſtum religionis ſibi præſcriberet: ſed quia metus erat ne Princeps huic poſtulato non accederet, periculum erat in mandato aperiendo, quia res procerum Traiectinorum atque rectorum poſt detectum infeliciter mandatum multo futuræ erant loco deteriore, ob cauſas quas iam diximus. Quicunque autem futurus erat eventus, tutius certe & voluntati Rotterodamenſium, de qua actum ante eſt, congruentius erat, patefieri conſilium Hollandorum ac Traiectinorum communi nomine. Hoc ſenſi, hoc dixi: vnde promtum eſt intelligi, quomodo narratio hæc inſtituta ſit omiſſis rebus neceſſariis, meiſque verbis corruptis, quaſi id diſſuaſiſſem quod conſultum mihi videbatur: quod à vero abeſt longiſſime.

Cumque Federati proceres à Principe Mauritio petiiſſent, & de ſuis legaſſent quoſdam vt Traiectum proficiſcerentur, ibique diſcinctionem novi militis, & indictionem Synodi communis è Federatis nationibus reſque alias quaſdam promoverent:) Notandum eſt, quod proba-

tum manifeſtiſſime ſupra eſt capite XIII, mandatum à Federatis proceribus datum Principi ac legatis ſuis de novo milite dimittendo non vltra pertinuiſſe quam ad amice perſuadendos proceres Traiectinos vt ipſi eum militem dimitterent, non autem vt Princeps Mauritius aut Federatorum legati invitis proceribus Traiectinis militem iuberent militia abire.

ipſum captivum à paucis nobilium & trium oppidorum legatis, pauciſque è republica Hollandicæ curatoribus, quibus id negotij à ſuis rectoribus datum non erat, paſſum ſe legari vt cum Hogerbetio adſeſſore atque aliis Traiectum proficiſceretur:) Rei veritas doloſe hîc tenebris involvitur. ipſa ſic habet. Cum Proceres Hollandiæ menſe Iulio anni CIƆ IƆ CXVIII conveniſſent, dieque eius menſis viceſimo quidam oppidorum legati domum abire vellent in dies aliquot, exquiſitis ſententiis placuit continuari conventum, rediri autem ad negotia die XXIV. Eo autem die XXIV habitus eſt conventus in loco maiorum, & cum à nõnullis oppidis legati abeſſent, curatores reipublicæ ex eiſdem oppidis miſſi: quibus mandatum erat abſentibus legatis adeſſe conventui, oppidi quiſque ſui locum occuparunt, ſententiamque dixerunt prout

congruere exiſtimabant ad rectorum ſui oppidi mentem, more ante id tempus ſæpius vſurpato. Vere ſupra diximus tum ſecundum leges communes, tum ſecundum patriæ noſtræ conſuetudinem, hos qui oppidorum vicem ſuſtinent non debere, neque vero poſſe peculiari mandato inſtrui ad negotia ſingula, quæ ſæpe improviſa ingruunt, neque differri ſe patiuntur: ſed ex mandato generali faciendum ab ipſis quod factu optimum cenſent. Conſtabat ergo conventus ex nobilitate, ex oppidis Harlemo, Delphis, Lugduno, Amſtelodamo, Gouda, Rotterodamo & Alcmaria. Alia oppida quod attinet quæ necdum advenerant, noti iuris eſt abſentes vocatos pro præſentibus haberi, & pro ſubſcribẽtibus parti ſententiarum maiori. Sententiæ autem præſentium omnes concordes fuere demta Amſtelodamenſi. Perrogatum eſt legitime ac more maiorum ab adſeſſore Hollandiæ, literæque confectæ à Duickio procerum ſcriba, qui pœnam debiturus fuerat eo nomine, ſi vſus eſſet procerum Hollandiæ ſigillo ac manus ſuæ ſubſcriptione ad literas, de quibus ſcribendis à proceribus decretum factum non eſſet. Prætereà ſilentio in hac ſententia prætereuntur res quædam partim ante geſtæ, partim ſubſe-

cutæ, quę plane ad intelligendam huius legationis qualitatem ſunt neceſſariæ. Nam primum legatio hæc noſtra conveniebat cum decretis prioribus, quādo pleno Hollandiæ conventu ſæpe placuerat, non eſſe proceribus Federatis ius imperandi de milite ad nationum oppidorumq; cuſtodiam conducto: tum verò officium eſſe nationū vt eo in iure tuendo alia alij eſſent auxilio. Legatio quoque noſtra ter poſtea approbata eſt. Primum poſtridie quam digreſſi eramus, die ſcilicet xxv cum Moerſbergius miſſus à proceribus Traiectinis ad conventum Hollandiæ iam integriorem poſtulaſſet vt ex Hollandia legati mitterētur, qui proceribus Traiectinis adeſſent; cui reſponſum à conuentu eſt, iam miſſos aliquos ei fini cui id poſcebatur. Deinde cum die eodem xxv orationem habuiſſemus apud proceres Traiectinos, exemplo eius ad Hollandiæ conventum iam auctiorem tranſmiſſo, die xxviii ab ipſo conventu reſcriptum nobis eſt, quæ ſignificata à nobis erant, atque inſtitutum agendi modum placere, atque ita pergendum nobis ad mandata exſequenda: quod ipſum quo maiore auctoritate ac conſilio pleniore fieret, collegæ nobis ſubmittebantur Ruichaverius reipublicæ Hollādiæ curator, &

conſularis oppidi Harlemi, & Ioannes Ioannides Anglus cognomento conſularis oppidi Hornani. Horum mandatum noſtri mandati confirmationem continens ſic habebat.

Die xxviij. Iulij anni CIↃIↃXVIII. *Hollandiæ & Weſtfriſiæ proceres legarunt ad negotia obeunda, quo proceres Traiectini inveniantur in arcenda vi omni quæ ipſorum voluntati decretiſque ſit contraria, Weſſelium Boetſelartium toparcham Aſprenæ, Martinum Ruichavertium curatorem reipublicæ & conſularem oppidi Harlemi, eos qui legati ſunt ante hac Franconem Torenvlitium, Rumbaldum Hobergetium Iuriſconſultum, Didericum Iacobi Sconhovium reipublicæ curatorem, Hugonem Grotium reipublicæ curatorem, & Iohannem Iohannidem Anglum cognomento conſularem oppidi Hornani: promittuntque ratum à ſe habitum iri, quicquid ab eiſdem legatis ex mandato ſuo, decretoque aut hodie facto aut poſthac faciendo ipſiſque tranſmittendo, aut factum iam eſt, aut poſtmodum fiet. Signatum impreſſo ſigillo.*

Poſtremò ab itinere Traiectino reverſi legationem noſtram conuentui renuntiavimus, ac pro opera navata gratiæ nobis actæ ſunt: perſcriptumque pittacium de ſolvenda impenſa itineris, ac laboris remuneratione. Cùm ergo manifeſtum ſit, ne-

que ſemel, à conventu ipſo teſtatum, legitime nos legatos, ſi quis arguere velit exceſſos mandati fines, id ab his qui nos legaverant, non ab alijs diiudicandum eſt: ſin hoc dicitur, quod mandatum nobis erat id fieri ius non fuiſſe, non nos eo nomine, ſed qui nos miſerant appellandi ſunt. nam iuraveramus nos cum primum in conventum admiſſi ſumus, *legationes ac mandata nobis à conventu iniuncta à nobis pro viribus atque ingenij facultate fideliter impletum iri, & vt impleantur datum iri operam.* Quandoquidem verò omnis ſævitia in nos exercita à multis imputatur profectioni Traiectinæ (quã defugere per iuriſiurandi religionem & neceſſitatem officij nobis liberum non fuit) quam inique nobiſcum actum ſit, vel hinc apparet, quod Ruichaverius, Schonhovius, Anglus qui omnia iuxta nos egerunt, non conueniuntur omnino: Torenvlitius autem qui ab initio legatus eſt nobiſcum, nobiſcum profectus, poſt mutatos etiam rectores in republica retinetur. Quanquam vero, ob eas quas diximus rationes, ſufficere nobis debebat, allegaſſe mandatum, tamen, Hollandiæ procerum reverentia, demonſtrabimus, quod mandatum erat, id iuſtum & æquum fuiſſe.

Atque ibi proceribus & vrbis magiſtratibus

opem conſiliumque offerrent:) nimirum pro captu noſtro qui ferro pugnare non ſolebamus. Atque huius oblatæ opis pars erat, vt oraretur Princeps Mauritius, nequid iniuſſu procerum Traiectinorum agere inſtitueret, ſed vt gratam haberet communem aliquam iri rationem qua tam Hollandis quam Traiectinis rectoribus ſecuritatis fiducia daretur. ea enim ratione inventa nihil fore quod militis novi miſſionem moraretur: quæ nos omnia Principi ſtatim vt in vrbem venerat, traditis ipſi procerum Hollãdorũ literis, comiter ſignificavimus.

Et ſi Princeps ac legati ab vniuerſitate Federatorum conarentur novum militem exauctorare ingratia procerum Traiectinorum) quod ſcilicet extra mandata erat ipſis data, neque vero à proceribus Federatis per leges mandari potuerat, quando cura publicæ ſecuritatis, vt pars præcipua imperij civilis, penes ſingulas eſt nationes.

ad id facto ipſo prohibendum adiutores eſſent:) Non ita: ſed vt centurias Hollandis merentes procerum Hollandiæ nomine admonerent ex federe Traiectino & ſacramento militari, ne ſui vſum præberent ad vim vllã invitis proceribus Traiectinis, qua æquiſſima cautione vis omnis præveniri potuit.

Fatente ipſo captiuo ſibi ac collegis ſuis propoſitum fuiſſe Traiectinis proceribus in ipſorum propoſito morem gerere:) Nempe vt proceres Traiectini retinerent quæ tum habebant ſecuritatis ſuæ præſidia, donec alia conſenſu communi reperta eſſent.

Et efficere vt ab ordinarijs militibus mos ipſis gereretur:) nempe ne quid contra per vim fieret: ſed vt decretis procerum Traiectinorum de negotijs ad imperium ciuile ſpectantibus parerent ſecundum formulam ſacramenti.

Cui rei literas ſecum tulerant ad ductores militis ordinarij Hollandiæ merentis conceptas ab Iohanne Oldenbarneveldio, at non lectas in illo qualicũque Hollandiæ conventu:) At argumẽtum literarum voce expoſitum probatumque fuerat: imò hoc ampliùs decem ante menſibus à reipublicæ Hollandicæ curatoribus literæ erant ſcriptę ad ductores militum eodem tenore. Et poſt nos legatos, cum ductores alij cum Principe, aut eius accitu in vrbem veniſſent, ſimiles literæ ad eos ſcriptæ ſunt, lectæ in conventu Hollandiæ, ab eo probatæ, nobiſque tranſmiſſæ.

Quibus ad eos ſcribebatur, officium ipſorum eſſe ſtipendiorum ſolutoribus atque etiam proceribus nationum ſingularum apud quas degerent

fidem & obedientiam præſtare, & auxilium præbere, omnia decreta ipſorum obſeruando & efficiendo vt obſerventur:) vox *omnia* extra literarum complexionem addita hic eſt, cum tamen ſatis conſtet non actum hic de decretis ad rem militarem pertinentibus, ſed ad imperium publicum, tum in ſacra, tum in profana, eiuſque tutelam.

ita vt ipſis non liceat contra facere, aut tentare quicquã, pative vt fiat tenteturve.) certum eſt qui decreta alicuius ſeruare tenetur, ei liberum non eſſe aduerſus ea facere, aut quantum in ſe eſt vt fiat pati. At verò mandata quæ à Traiectinis proceribus Princeps ipſe Mauritius accepit, hoc continent *teneri Principem proceribus Traiectinis auxilio eſſe eorumque edicta decreta & conſtitutiones tueri, effectaque dare & curare vt effecta dentur.* Tum verò militum ſacramento hoc ineſt, *vt teneantur fidem atque obſequium præſtare proceribus nationum apud quas præſidium agitant.* Vide hac de re caput XI.

Ipſum captivum cum celeriter Traiectum veniſſet,) imperatum nobis erat vt iter quantum fieri poſſet celeraremus.

atque ibi in peculiari conventu cum Ledenbergio conſultaſſet de argumentis ac conditionibus quæ proceribus Traiectinis proponi poſſent, vt novi militis ſiue cuſtodis miſſionem non proba-

rent ſed impedirent,) Neque verum hoc eſt neque à me confeſſum. Res ſic habet. Traiectum vt veneramus, Ledenbergium oravimus per nuntium, vt ad nos accederet. Cum acceſſiſſet, narravimus quorſum miſſi eſſemus, ac petiimus operam daret vt à proceribus Traiectinis quàm primum audiremur: quod ille recepit, addens gratiſſimum fore proceribus Traiectinis adventum noſtrum. nam & miſſum iam Moersbergium vt legatos ex Hollandia poſtularet. Hoc illud omne eſt quod tunc actum eſt inter nos. En quid ſit quod peculiaris conventus ac conſultationis nomine notatur. De argumentis atque conditionibus dictũ nihil eſt: ſed tantum de mandatis ita vt data nobis erant. Neque vero mens noſtra hæc erat, vt Traiectini proceres indefinite miſſionem non probarent, aut impedirent: ſed omnem amicam ac vicinalem operam ipſis navare vt res integræ manerent, donec rectorum ſecuritati cautum de communi conſenſu eſſet, vt iam diximus. Quo clarius appareat meum meorumque collegarum circa hanc rem cõſilium, ſciri oportet antequam Haga Traiectum mitterer, iniunctum mihi & aliis è conventu Hollandiæ nonnullis adire Federatos proceres, eoſque orare vt differrent Traiectum

de ſuis legare, donec rediiſſent Traiectinorum ad ipſorum Federatorum conventum legati, qui tum abierant domum: quo tempore dixi Federatis proceribus, ſi placeret ipſis fidem dare rectoribus Hollandis ac Traiectinis de auxilio adverſus vim omnem, etiam ea vi non excepta quæ nomine religionis velari poſſet, nihil obſtiturum miſſioni noui militis. Sed qui aderant à nationibus legati ſententiam ſuam ſuper ea re promere defugerunt. Traiectum cum veniſſem, quæſivi ex Ledembergio, an non excogitaſſent proceres Traiectini rationē aliquam quæ Principi & nationum legatis placandis eſſet. Reſpondit, ſe iudice rectiùs ea de re in Hollandia agi poſſe quam apud Traiectinos. Etiam hoc propoſui, cum ex colloquio cum Principe intellexiſſem adventum noſtrum minus gratum ipſi eſſe, an proceres Traiectini pati poſſent nos abire: ſed illis hoc inconſultum videbatur. Bis autem cum Principe collocuti ſumus, eique memoravimus id quod in conventu Federatorum ad concordiam prolatum fuerat, ſed reſponſum quale optabamus, nō retulimus. Contra deprehendebamus plane decretum Principi indictionem communis Synodi, & quæ porrò ad eam rem neceſſaria iudicabat promovere. In conven-

tum Traiectinorum procerum iterum ingreſſi, non ſponte noſtra, ſed ipſorum vocatu, retulimus ad ipſos, quando rumor eſſet, plebi ſegregis eccleſiæ conſilium eſſe de templis vnum manu facta invadere, multique ex Hollandia & in eis nonnulli ob turbidum ingenium oppidis exire iuſſi in vrbem veniſſent, quantum conijcere licebat ad eam molitionem auxilio futuri; an non ex re ipſis videretur cuſtodiæ vrbis formam quandam præſcribere & de ea cum Principe agere. Quæ omnia valde facientia ad docendum, quam longe mea meorumque collegarum mens abfuerit ab eo quod hic perverſe traditur, in quæſtione habita aſſerui, meque probaturum recepi, ſed probandi copia mihi facta non eſt.

cum Hogerbetio alijſque criminis conſortibus) Ita hic vocantur hi qui nobiſcum legati erant ab Hollandiæ proceribus. Si criminis conſortes fuerunt, cur non accuſantur? Hoc vero manifeſtam arguit iniquitatem.

orationem habuiſſe in conventu procerum Traiectinorũ:) ita vt mandatum nobis erat. Eadem oratio perſcripta eſt miſſa ad Hollandiæ proceres, & ab eis probata vt ſuæ menti conveniens.

Opemque & conſilium obtuliſſe vt dictum an-

te eſt:) tantum reſpectu federis & peculiarium pactionum, vt iam mox apparebit.

Additis etiam rationibus quæ adverſum proceres Federatos & Principem Mauritium neſcio quid occultabant) Hic iterum vagatur criminatio, neque exprimuntur rationes illæ quas expreſſas oportuit. Sed vt conſtet quã hoc à vero abſit, ipſam orationẽ ita vt apud proceres Traiectinos habita eſt exhibebo.

Hollandiæ & Vveſtfriſiæ primores nos, quorum infra ſcripta nomina apparent, huc legatos miſerunt, vt vobis, nobiles potentesque proceres, ipſorum nomine omnia offerremus officia quæ à bonis amicis atque vicinis exſpectari par eſt, cum voto bene feliciterque gerendæ reipublicæ: Certosque vos eſſe volunt, ſicut ab ipſis hactenus nihil omiſſum eſt quod ad ſeruandum imperium, ſalutem, regimenque legitimum nationis Traiectinæ eiuſque partium ſpectans ſuarum virium eſſet, ita nunc quoque ſe perſiſtere ſemperque perſtituros in eodem benevolo ac fideli animo.

Qua propter dolori ipſis fuit intelligere, quod cum menſe Septembri anni qui exijt graves ac validæ rationes liberaliter allatæ à vobis eſſent de conducto milite ad tutandum ſtatum nationis atque vrbis Traiectinæ per hæc tempora turbida ac periculoſa, nihilominus nuper à quarundam nationum legatis in conventu Federatorum iterum conſultari cœperit, ac decerni etiam procu-

randam eius militis miſſionem: cum tamen eiſdem legatis ab integro Hollandiæ Weſtfriſiæque conuentu demonſtratum eſſet, inter iura ſummi imperij ad nationem quamque pertinentis contineri etiam ius peculiariter proſpiciendi tutelæ ſuæ, neque id ius federe Traiectino abdicatum tranſlatumve eſſe, ſed ſeruatum potius, tum lege federis prima ſub iure ac libertate ſingularum nationum, tum VII *&* XXXII *capite mandatorum quæ data ſunt ſenatui, ac proinde fas non eſſe nationibus quicquam in alias nationes imperare ea de re aut impedimento ipſis eſſe quominus ſuo arbitratu agerent: manifeſtum quoque eſſe iuris iſtius ſeruati vſum ante & poſt belli tempora, cum ante, tum poſt initum fedus Traiectinum. His vero commonſtrandis etiam ex conventu Hollandiæ delegati ſunt qui Principem Arauſionenſem convenirent, ac ſententia ſcripto tradita proceribus Federatis: & cum nationum aliarum legati perſtantes in propoſito ſenatus conſiliũ depopoſciſſent, ab Hollandiæ ac Weſtfriſiæ proceribus literæ ad ſenatum directæ ſunt, quæ ipſos memores facerent tum quod ius eſſet nationum ſingularum, tum quid mandata ipſorum ferrent. Iterumque retractato negotio in Federatorum conventu ab Hollandiæ & Weſtfriſiæ legatis, ſæpe ſerio admodum ac connixe poſtulatum eſt, ne in ea deliberatione pergerent, ſed legatos veſtros opperirentur, qui tum omnes à conventu aberant, ſperato interim Hol-*

landiæ

landiæ quoque & Vveſtfriſiæ conventum, qui ſolutus quidem aut intermiſſus non erat, imo vero decreto facto continuatus, ſed diſceſſu quorundam imminutus, ad ſuam plenitudinem rediturum, vt negotium illud, quod duas nationes & vicinas & tot inter ſe vinculis colligatas ſummopere ſpectaret, conſiderate expenderetur. Sed quia his omnibus poſthabitis lecti ſunt qui ad vos mitterentur, Hollandiæ & Vveſtfriſiæ proceres conſcij quam ipſi non Trajectino tantum fœdere, ſed & multis pactionibus vetuſtis obligati ſint ad defendendam veſtram poteſtatem, veſtrumque regimen, ſimul memoria recolentes amicitiam ſingularem, ac bonæ fidei plenam neceſſitudinem quæ inter ſe voſque perpetuo fuit exercitata, omittendum non putarunt; quin gnaros vos facerent operæ à ſe hactenus navatæ, ac dubitare vos vetarent ſe conſtanter perſeveraturos in propoſito fideliter ſervandi fœderis Trajectini, aliarumque pactionum, omniaque conferendi quæ ipſorum in poteſtate ſunt ad tuendum imperium veſtrum, libertatemque, jus ac ſecuritatem veſtræ nationis, & partium eius ſingularum. Tum vero hoc quoque oratos vos volumus, vt hanc legationem ab optimis ac propinquiſſimis ſociis venientem gratam habeatis, ac de nobis ita exiſtimetis, nullam nos occaſionem elabi paſſuros qua opera & obſequium noſtrum probari vobis poſſint.

Dictum die XXV *Iulij anni* CIↃ IↃ CXVIII *ſecundum novum Kalendarium, perſcriptum vero ac traditum die* XXVII.

Quid vero hic ſuſpectum occultatur? Sententiam noſtram non obſcure expreſſimus, ius conſulendi ſuæ ſecuritati à nationum ſingularum proceribus nunquam abdicatum diximus: quod verum eſſe probatum ſupra eſt capite x.

Quæ omnia eò pertinebant vt Trajectinis adderentur animi, ne ſine conſenſu ſuo diſcingi novum militem paterentur:) Nihil ad eam rem opus erat animis additis. nam ſatis docet ipſa natura, nemini vt tale quid ſine ſuo conſenſu fiat volenti eſſe. ſed eò tendebat oratio, quod ip ſa præfert, vt ſecundum imperata proceribus Trajectinis operam noſtram deferremus.

Cumque eodem veniſſet Princeps & Federatorum legati & orationem ex mandato habuiſſent, ipſum captivum vſum ſui prælu iſſe in concipienda reſponſione quam darent Proceres Trajectini:) Quid autem in hac re peccatum eſt? venit ad me Ledenbergius, ſatiſque copiosè ſententiam ac mentem procerum Traiectinorum mihi expoſuit, meque rogavit vt eum ſẽſum ſcripto complecterer, quando ipſi nunc id per negotia minus vacaret, eo conſilio, vt quod ſcripturus eram ipſe cum

Trajectinorum procerum adſeſſore recognoſceret, emendaret ſi opus eſſet, ac Trajectinis proceribus exhiberet. Morem ei geſſi, ac cōceptam formulam collegis meis oſtendi, qui eam placere ſibi teſtabantur: deinde eam, ſi ſatis memini, adſeſſori procerum Trajectinorum & Ledembergio tradidi.

In qua ipſe legatos noluit agnoſcere vt legatos procerum Federatorum, qua tamen qualitate ipſi & literas fidem legationis facientes tradiderant & orationem habuerant:) Nolle aut velle hac in re meum non erat, ſed feci quod velle Trajectinos proceres ex Ledembergio didiceram. Reſponſum tale erat: *Trajectini proceres cum cura expenſis quæ in conventu ſuo dicta ſunt à Principe Arauſionenſi, & ab iis qui miſſi ad ſe ſunt ex numero legatorum ex Geldria cum Zuthphania, ex Zelandia, Friſia Ciſlavicana, Tranſiſalana, Tranſlavicana ad conventum Federatorum, primum gratias agūt,* & quę ſequuntur. Apparet hinc ita temperata verba, vt qualitas quam ſibi illi adſcribebant directè nec tribueretur illis, nec negaretur. Cur vero directè eam qualitatem illis tribuere gravati ſint proceres Trajectini, cauſas has fuiſſe ſuſpicor. Primum, quia nomen Federatorum procerum iure præſcribi poſſe non arbitrabantur, niſi in

negotiis ad federis communitatem pertinentibus, in quibus non eſt aut proprij in quaque.natione regiminis tutela ac ſecuritas, aut etiam de ſacris imperium. Deinde quia decreta hæc legatio fuerat abſentibus legatis Traiectinis qui pars conventus Federatorum erant; ac tum iuſta de cauſa domum iverant, nimirum vt proceres ſuos edocerent ea quæ gerebantur & propiora mandata acciperent. Quamobrem, præſertim cum res hæc moram ferret (iam enim toto anno novus miles vrbem cuſtodierat, neque vllum inde incommodum) debuerant ſocii aut Traiectinorum reditũ ad ſe opperiri, aut etiam nationem novis literis ad conventum evocare: vt habet lex XIX federis Traiectini. Tertio, quia Hollandia, quæ apud Federatos merito magnam habere ſolet auctoritatem, in hoc decretum non aſſenſerat, ſed poſtulaverat Traiectinorum reditum exſpectari, quo & Tranſiſalani initio ferri videbantur.

Ipſum captivum Traiecti cum eſſet operam poſuiſſe in rebus procerum Traiectinorum) Ad id enim miſſi eramus vt in eorum rebus operam poneremus, offerendo quæ ſupra diximus, non poteſtatem arrogando, quod nec factum eſt à nobis.

Et in ſeparato conventu aſſenſit vt Harteveldio centurioni imperium in novos milites daretur) Significaverant nobis proceres Trajectini aliquos à ſe delegatum iri qui nobiſcum colloquerentur. Ex eo ſæpe ad nos de proceribus Trajectinis aliqui venerunt. is hic dicitur conventus ſeparatus inter ſermones dixerunt quid facere conſtituiſſent nullo ad hoc noſtro impulſu ſuaſuve. id hic aſſentire dicitur, cum non poſſemus non audire quod dicere aliis libebat. Inter cætera dixerunt, ſibi hoc viſum, Harteveldio, vt qui inter centuriones primus ordine eſſet, ex communi conſuetudine & ibi quoque ſeruato hactenus more, in novos milites imperium generale deberi, ſi quis motus ex templorum invaſione aut aliunde oriretur. Id hic dicitur imperium dare. In verbis quam paucis quam multa obtorta? Tum vero quod hac in re meũ eſt factum? adeſſe & audire non eſt quicquam facere.

Conatum quoque ipſum priuatim vni conſulum Traiectinorum perſuadere vt novos milites retinendos cenſeret) Verum eſt, cum ex proceribus Traiectinis quidam ad nos convivę veniſſent, atque inter eos cõſul Pollio, quem audiebam anno CIↃIↃCX fidum fuiſſe legitimis rectoribus, ſed in hac re ab alijs tranſverſum agi, incidiſſę inter nos duos ſermo-

nes an ex re eſſet dimittere novum militē, antequam rectorum ſecuritati aliter ſatis cautum eſſet,quo ſuper negotio quæ conſideranda exiſtimabam,congruenter menti procerum Hollandiæ & ordinis Rotterodamenſis aperui.ſperabam eo tempore breui omnia compoſitum iri communi cū gratia, quia Traiecti cum eſſem,intellexeram Boſſizium è Gallia extra ordinem legatum adveniſſe, virum cui fama conſentiens ſapientiæ,experientiæ,probitatis,bonitatiſque laudem aſſignabat,& qui quanquam in Romanenſi erat communione, apud Proteſtātes tamen tam in Germania quam in Gallia gratioſus ſemper fuiſſet. ob quas virtutes ſimulque ob beneficia quæ Rex & eius parens, cuius nunquam interitura eſt memoria,patriæ noſtræ contulerant,plane mihi perſuaſeram, ſicut rectores noſtri parati erant accipere omnes conditiones ęquas tranſigendis controverſiis, ita Principem quoque & aliarum nationum legatos in eaſdem cōditiones deſcenſuros. Simul eidem conſuli propoſui quædam quæ ad eccleſiaſticas diſputationes ſopiendas pertinere mihi videbantur. Quæ omnia cum ſufficiant indicare animum meum cupidum pacis rerumque ſervandarum citra mutationem rectorum il-

legitimam, in quæſtione dixi & probaturum me recepi.

Etiam cum præfecto vrbis conſultaſſe quid faciendum eſſet, ſi Princeps ipſo facto ad militem exarmandum progrederetur) De hac conſultatione nihil mihi conſtat. neque hoc confeſſus ſum. De eo addubito an percũctando dixerim: Quid eſt quod fieri poſſet, ſi Princeps ipſo facto peragere exarmationem vellet? Ita enim iudicabam, ſi Princeps ipſe operam in ea re ſumeret, impediendi ſpem nullam oſtendi, ob eam qua is apud milites valeret auctoritatem. Sed Principem ad eam rem copiam ſui facturum non putabam ob cauſas multas: Primum, qua conſilium datum à ſenatu, cui tum Princeps interfuerat, tantum hoc habebat, amice permovendos proceres Trajectinos vt militem dimitterent: deinde quia ipſum Federati conventus decretum non vlterius tendebat, quàm vt miſſio benigne procuraretur. Tertio, quia Princeps Mauritius, vt vicarius ac magiſter militum in terra Trajectina, obligatus erat proceribus Trajectinis legibus mandati inter quas hæc erat: *Princeps Mauritius, terram Traiectinam nemini ſubÿcito, neque ſemetipſum quantum ad Traiectinam præfecturam pertinet, niſi Federatis proceribus & Senatui, qui pro tempo-*

re ad regimen federatarum nationum conſtitutus eſt, idque in negotiis bellicis. Iam vero hæc res ad bellum non pertinebat, ſed ad propriam rectorum ſecuritatem. Quarto Ledembergius dixerat certo ſe didiciſſe ſi Principis opera ad exarmandum novum militem poſceretur, futurum vt ſe excuſaret allegando quas diximus mandati leges.

Laboraſſe quoque ipſum vt proceres Traiectinos ad vim opponendam permoveret) Verum hoc non eſt, nec confeſſus ego hoc ſum. Neque vero hoc ſequitur ex his quæ proxime connectuntur.

Suadens vt ad portas curarent diligentes cuſtodias agi, vtque ſecuritati ſuæ proſpicerent, ſimulque baſilicæ ibique excubitores ponerent ex municipibus armatis:) Tantum generaliter dixi expedire bene agi cuſtodias vt templorum invaſio, ſeditio adverſus rectores viſque omnis arceretur. Nam his curatis omnes iudicabamus neminem quicquam per vim cœpturum. De baſilica cuſtodienda à me verba facta non ſunt: ſed è Trajectinis rectoribus quoſdam tale quid dixiſſe puto, memores eorum quæ acta erant anno CIϽ IϽ CX.

Et intellecto centurionem Harteveldium difficilem ſe præbere ad navandam operam contra proceres Federatos & Principem) Perperam.

hoc narratur. Dictum tunc eſt, difficilem præbere ſe Harteveldium in recipiendo munere agendæ cuſtodiæ, quæ ipſi à proceribus Trajectinis aut magiſtratibus vrbanis mandanda eſſet: quam cuſtodiã ad vim arcendam negabam ego adverſus Principem quicquam facere. Hæc à me dicta ipſi illi qui præfuerunt quæſtioni ex teſtibus à ſe auditis compererunt: & tamen ita res hic deſcribitur, quaſi miratus eſſem ab Harteveldio operam negari adverſus proceres Federatos & Principem, cum tamen notiſſimum ſit nihil proceribus Trajectinis propoſitum fuiſſe extra ſui tutelam.

Dixiſſe captivum, eſſe hoc flagitium militare ac fidei deſertionem quæ neque ad decus neque ad bonum publicum pertineret: valdeque de hac re miratum eſſe) Verba ipſa non memini, ſed in quæſtione fidei teſtium rem permiſi. Quod ſi dixi fidei deſertionem aut flagitium militare eſſe, ſi qui per annum totũ à proceribus Trajectinis æra recepiſſent, nũc operã denegarent in agenda cuſtodia, quid in ea re à vero abeat, intelligere nequeo.

Eundem captivum vt etiam ordinarium federatæ communitatis militem ad ſimilem vim opponendam permoveret) Etiam hoc extra confeſſionem & verum abit. Tam verba noſtra quam mens ipſa huc tantum ferebant,

tur vt milites ordinarij, qui non minus Hollandiæ (cui merent) quam federatæ communitatis milites dici poſſunt, monerentur nihil agere adverſus decreta procerum Traiectinorum in negotiis quæ non ad rem bellicam, ſed ad proprium regimen nationis Trajectinæ eiuſque ſecuritatem pertinerent, congruenter mandatis quæ nobis data erant, & epiſtolis quas adferebamus.

Sacramentum illis ſuum prælegiſſe) Adfui cum id à legatis Hollandiæ fieret, vt mandatum ipſis erat. à me peculiariter nihil actum eſt hac in re.

Quod ipſum ita voluit interpretari) Ego vero ſacramenti interpretationem nullam feci. tantum in peregrinorum quorundam gratiam, vt recte intelligere poſſent quod iuraverant, verbum verbo reddidi. Antequam vero epiſtolas militum ductoribus traderemus, ipſiſque prælegeremus ſacramentum, adieramus Principem, atque ei dixeramus diſtuliſſe nos hactenus id negotium: ſed cum mandata ad nos repetita eſſent, ac metueremus ne culpæ nobis imputaretur ſegnitia, non poſſe rem à nobis vltra proferri. Dixi quoque militum præfectis, neque à Trajectinis, neque ab Hollandis controverſiam vllam moveri adver-

ſus proceres Federatos aut Principem, ſed id tantum ab illis curari vt ſuam poteſtatem integram ſervarent. Neque vero à nobis arrogari ius vllum imperij in ipſos præfectos militum, ſed nomine procerũ Hollandorum, à quibus ſtipendia acciperent, voce noſtra moneri ipſos, nequid tẽtarent adverſus proceres Trajectinos eorumque decreta in negotiis ad propriam ipſorum rempublicam ſpectantibus.

Non teneri eos parere communitati Federatorum ac Principi) Hi à nobis nominati hîc non ſunt.

In his quæ cum procerum Traiectinorum imperatis pugnarent) In negotiis pertinentibus ad proprium regimen nationis Traiectinæ.

Sed contra imperata ac decreta eorum quibus mererent) Nomine eorum quibus merebãt ad nulla eos imperata aut decreta aſtrinximus. neque vero attinebat id fieri. Tantum monuimus nequid in terra Trajectina facerent adverſum rectoribus Traiectinis in eo quod diximus negotiorum genere.

Et procerum Traiectinorum ipſis exſequenda, &, vt exſequerentur alij dandam operam) Militum officium eſſe adeſſe proceribus ad decreta tuenda dicebant epiſtolæ quas ferebamus. Nos tamen eouſque non proceſſi-

mus, cum ſatis nobis eſſet ſi a vi facienda eos abſtineremus: quanquam haud dubie ad exſequenda etiam decreta obligabantur in negotiis eiuſmodi, vt iam diximus.

Nec quicquam contra agendum ipſis tentandumve) Per vim. nam de eo agebatur.

Aut vt fieret patiendum) Dictum hoc à nobis non eſt. Et tamen congruebat hoc epiſtolis, federi, ac ſacramento.

Comminatione addita de non perſolvendis ſtipendiis ſi contra facerent) Ego tali comminatione vſus non ſum. ſed ab aliis collegis meis generaliter dictum puto, quid proceribus Hollandiæ faciendi ius eſſet, ſi milites hac in parte ſacramento non ſtarent, ſed proceribus Traiectinis impedimento eſſent in exercendo quod ipſorum eſſet imperio.

Ipſum quoque & criminis conſortes) De hac appellatione criminis conſortium dictum ſupra eſt.

Non veritos præfecto vrbis præcipere ne cui niſi ipſis) Nobis parendum non diximus: neque vero opus erat, vt iam indicatum eſt.

Et proceribus Traiectinis pareret) In negotiis dicti iam generis & de quibus ſolis hic quærebatur. Nam in belli rebus diſerte diximus ipſius eſſe officium parere Federatis proceribus Principi ac Senatui. Ego vero

nihil hac in re peculiariter dixi.

Vtque animum ſuum de vi opponenda plane oſtenderet) Non de vi opponenda: ſed de vi modis commodis prævenienda, vt dictum ante eſt ſæpius.

Ipſum captivum pridie quam exauctoratus eſt novus miles literas quas habebant ad militum ordinariorum ductores tradere aggreſſos) Male cohærens dictio oſtendit præcipitatum laborem in concipiendis ſententiæ verbis, quod & ſupra annotatum eſt. Rem quod attinet ea geſta eſt eo ipſo tempore quo facta eſt illa ad ductores militum admonitio hactenus memorata, ita vt cauſa non fuerit cur hoc factum ab illo ſejungeretur. Tum vero geſtum poſt repetita mandata, poſt additos nobis legatos alios, poſt ſimpliciter & aperte de mandatis èdoctum Principem, quæ omnes circumſtantiæ ad rem vel maximè pertinentes non recte hîc ſubticentur.

Saltem vt quietos ſe continerent) Mendoſe hic adſcribitur illud ſaltem cum vlterius, aut aliud quicquam à nobis concupitum non ſit.

Quod ſi fieret, aiebant Ledembergius atque alij facile ſe voti compotes futuros quippe bene diſpoſito per novos milites negotio) Nihil aliud ipſis in voto erat quam vim omnem evita-

re reſque retinere eo in ſtatu quo per annum integrum fuerant, ad conſervandum ſtatum civilem & eccleſiaſticum.

Ipſum quoque captivum ſecuta nocte ſermonem conſeruiſſe tum præfecto vrbis cumque eo conſultaſſe) Hoc & quicquid cohæret extra verum extraque mihi confeſſa memoratur. At res ſic habet. Cum intellexiſſent proceres Traiectini ipſum Principem ad exarmandum novum militem accingi, (quod futurum ante non crediderant) expenſo periculo conſtituerant potius iniuriam pati, quam ad extrema deſcendere. Præfectus vrbis, à Principe accitus cum eſſet, noctu venit ad nos in lectulis cubantes, qua occaſione haud ſatis ſcio, dixitque nobis iuſſum ſe venire ad Principem. Reſpondimus nos recte facturum ſi Principem accederet, & quod in ſe eſſet, id omne conferret quo res ſine ſanguine abiret. Deliberatum inter nos extra hæc nihil. confido pręfectum vrbis Ogleium, virum nobilem, dignitatis equeſtris, & noſtræ reipublicæ fidum, non aliud quam quod dixi dicturum.

Quibus modis prohiberi poſſet ne Princeps plus militis in vrbem induceret) Plane à vero abit quod hac de re cum præfecto conſultaſſe dicimur. Neque vero credibile id eſt, quã-

do proceres Traiectini conſtituerant iniuriam perpeti.

Et de eam in rem cuſtodia diſponenda ad portam Amersfordianam) Res diverſæ confunduntur. Cum præfecto vrbis eo tempore de porta Amersfordiana nihil eſt actum. Sed, cum primum Traiectum venimus, quibuſdam procerum dixeramus videri Oldenbarneveldio, non abs re fore ſi cuſtodiæ diligenter haberentur ad portam Amersfordianam, ne præſidium in vrbem induceretur niſi conſciis quos conſcios eſſe oporteret. Quam ad rem notari convenit per Hollandiæ & Traiectinæ oppida, vt quæ in limite poſita non ſint, moris eſſe centurias præſidio miſſas extra portas haberi, donec inſpectum ſit diploma attributæ ſedis. Goudæ, Gorichemi atque alibi inſuper portis diſtinentur milites, donec aut iureiurando, aut pollicitatione fidem ſuam oppidanis magiſtratibus adſtrinxerint. Tum vero etiam quæ ſub Rege Hiſpaniæ, ac poſtea ſub Archiduce fuerunt oppida, vt Ipera, Duciſſilua, atque alia, ab his quoque ſæpe recuſata præſidia, neque id pro crimine ipſis imputatum. Albanicis temporibus vrbs Traiectina aliaque oppida accuſata eo nomine quod cuſtodias auxiſſent, vnde regius procurator inferebat

regium ab ipſis militem pro hoſte haberi. Hornano quoque & Egmondano obiectum quod oppidis qubuſdam auctores fuiſſent ne præſidia admitterent: Verum ſuper his accuſationibus & illationibus, vt iniquis admodum, graves tum ortæ ſunt querelæ. Adde iam in codicillis, quos Traiectini proceres Principi Mauritio dedere, hæc verba contineri: *Si neceſſe iudicatur vt præſidia aliqua in vrbe oppidiſve locentur, fieri id nequito niſi diplomate Principis & conſenſu procerum aut curatorum reipublicæ Traiectinæ ſi Princeps intra fines Traiectinos erit. Extra eos fines ſi erit Princeps, tum diploma ad proceres curatoreſve tranſmittitor, vt ab eis curetur effectumque detur, niſi quid ipſis occurrat cur aliter faciendum ſentiant, cuius tum Princeps illico monetor.* Poſtea: *Ipſe*, Princeps ſcilicet, *generaliter ex conſilio & voluntate procerum aut curatorum, vrbem, oppida, caſtella terræ Traiectinæ, quæque facta ſunt, quæque facienda erunt, cuſtodito, perque homines ex legibus idoneos, quos proceres Principi nominaturi ſunt, cuſtodiri facito.* Intelligo etiam vrbis Trajectinæ nomine ſpecialiter ſtipulatum ne præſidium recipiat niſi volentibus magiſtratibus. Ex quibus omnibus liquido apparet, nullum præſidium ignaris rectoribus (præſertim manentibus induciis & cum ab hoſtico

Traiectum

Trajectum longè abeſſet) ſecundum leges induci potuiſſe: at contra licuiſſe rectoribus excludere militem præſidio miſſum aut accitum, donec inſpectis codicillis de ea re deliberatum eſſet.

ac vim nominaſſe ſi Princeps eam ob cauſam portas aperiri faceret:) Imo verò hoc tum dicebatur, velle Principem invitis proceribus & magiſtratibus Traiectinis portas malleo perfringere: qua occaſione dixi me, ſi militarem & Proceribus Traiectinis dixiſſem ſacramentum, libentius ſpectatorem eius rei quam adiutorem futurum. Vim an futuram id dixerim haud ſatis recordor. Illud ſcio Hollandis ingenium non eſſe factum ad aulam, ſine circuitione rem ſignant ſuo quamque nomine: & ſcapham non aliter quam ſcapham vocant.

Quæ actiones tetenderunt omnes) Facta quę hactenus narrata ſunt toties extra verum, nondum tamen ſufficiebant concitando in nos plebis odio, niſi adderetur hæc atrox illatio. Si id efficere quod hic ſequetur animus nobis fuit, mortem & quidem exquiſitiſſimam eramus commeriti. Cur ea affecti non ſumus, quandoquidem vt gratia nobis fieret non oravimus? Sin hoc dicitur, extra propoſitum noſtrum im-

minuiſſe tamen ex noſtris factis hæc mala, iam imprudentiæ rei ſumus, quæ certè nec perpetua captivitate nec bonorum publicatione fuit luenda. Adde jam eadem ſenſiſſe rectores noſtros ante nos reipublicæ admotos, ita vt huius rei auctores dici non poſſimus. Sed enim tantum abeſt vt ex factis noſtris mala illa ſecutura fuerint, vt multo maiori cum ratione adverſariis noſtris (qui pro iudicibus ſe venditant) id poſſit reponi.

Vt non tantum vrbs Traiectina ſanguine miſceretur :) Verum dixit qui mihi in carcere conſtituto dixit : *Proceres Fœderati* (id eſt homines octo vt dictum eſt antea:) *te in carcerem compegerunt, voluntque civibus atque exteris cauſam facti ſui approbare*: id eſt, quando eò iam deventum eſt aut tibi deprecanda eſt culpa, aut exſpectandum iudicium infame. Captores noſtri in illo non ſignato programmate, quod ſtatim à nobis captis prodijt, vulgaverant, futurum fuiſſe vt facto noſtro vrbs Trajectum ſanguine miſceretur. Dictum hoc erat : probari oportebat. Et ideo hæc verba ſententiæ inſerta ſunt, ſed plane contra veritatem. Nam bene ordinare cuſtodias, vt factum erat antehac, & Hollandicas centurias monere nequid adverſus legitimum re-

gimen Trajectinæ nationis tentarent, non ad cædes faciendas ſed ad eas cavendas pertinebat. Sed ex conſilio exarmandi militis invitis primoribus Trajectinis, imo etiam iniuſſu procerum Federatorum, vt legitimum regimen contra leges mutaretur, ex inductione præſidij in vrbem non conſentientibus quorum conſenſus requirebatur, potuerant cædes oriri, niſi bonitas Traiectinorum procerum, ei periculo prævertendo, ſucceſſiſſet iniuriæ.

Sed & reſpublica:) Rempublicam dileximus ſemper. Oſtendunt id apertiſſime conſilia omnia quæ vnquam à me ſunt data, & libri editi ad tuendum ornandumque præſentem ſtatum. Salva republica honores, exiſtimatio, gloria, bona, amici ſalvi mihi eſſe poterant: ea ſi in periculum adduceretur, & ipſe ſimul de omnibus quæ in hac vita homines cara habent, periclitabar. Vide de hac re quæ ſupra ad verba de turbando reipublicæ ſtatu notata à nobis ſunt. Maiores noſtri ita ſunt arbitrati, rempublicam ſalvam eſſe poſſe etiamſi nationes aliæ Romanenſem, aliæ Reformatam religionem amplexarentur: atque ipſe Princeps Mauritius terram

Arauſionenſem pacatam regit vbi vtraque religio colitur. Et nunc reſpublica conſtare non potuit, ſi temperata quædam libertas ſuper iſtis controverſiis adhiberetur; Minuſne bene in rempublicam animatum fuit oppidum Goudanum, quàm oppida alia, quia Goudæ Remonſtrantium dogma laudabatur? longe aliter Vvilhelmus Princeps Arauſionenſis atque eius temporis proceres iudicarunt, nimio rigore in rebus ſacrorum, cui nos pares non ſumus, rempublicam in diſcrimen adduci.

Ipſeque Princeps in ſummum adduceretur periculum) Principem colus ſemper & bona fide dilexi: neque vllam occaſionem paſſus ſum elabi qua id teſtatum facerem. Oſtendunt id libri. ſed & honos mihi obtigit vt in rebus privatis ſuis mea opera Princeps vti vellet, quam ipſi non diſplicuiſſe confido. Quod proceribus Hollandiæ & magiſtratibus Rotterodamenſibus parui in negotijs de quibus alia erat Principis ſententia, non eſt cur eo nomine mihi Princeps ſuccenſeat. Pars hæc eſt eius pro qua pugnavit libertatis. Poteſtatē quæ delata ipſi eſt imminutā nūquam volui: poterat eam retinere & nationis cu-

iuſque proceribus ſuam relinquere. At qui ſui commodi cauſa Principem negotiis ingeſſerunt adeo non apud nobiles tantum & rectores ſed & apud cives plurimos odioſis, nunc vt novos milites exarmaret, nunc vt legitimos rectores deiiceret, nunc vt paſtores pelleret, plebique adimeret Deum ex animi ſententia colendi poteſtatem, hi ſunt qui palam fecerunt ſibi ſe ſtudere, non Principi, cuius vitam ſine vlla neceſſitate aut ratione periculis obiecerunt. Nos initio non credidimus Traiecti Principem operæ ſuæ facturum copiam: cum id facturum intelleximus, vt ipſi cederetur conſilium dedimus. Ego peculiariter Rotterodami laborem ſumſi, vt contra ius ac poſſeſſionem eius oppidi data miſſione novo militi gratia Principis redimeretur, (ſcit ipſe) idque ne ad extrema truderemur. En vero quod huius facilitatis noſtræ pretium reportamus.

Ex quo cæteriſque ipſius coitionibus ac molitionibus ſecutum eſt) Nihil à me non palam factum eſt. Etiam quæ oppidorum legatis in conventu ſuo peculiari viſa fuerant, perlata fuerunt in communem Hollandiæ conventum. ad nullam rem coivi, ſed explevi officium obedientiæ quod Hollandiæ proceribus rectoribuſq; Rotterodamenſibus

debebam, firmo propoſito bona fide obſervandi federa& pactiones pridem factas. Si quid vltra ea quæ obiecta ſupra ſunt & à me refutata obiici potuit, ſpecialiter id expreſſum oportuit, non iis verbis ad quæ reſponderi non poteſt, niſi hoc vnum me neque coitionem neque pravas molitiones mihi conſcire, vt qui hoc vnice egerim vt egregio publico per vias quam iuſtiſſimas irem conſultum. Viderint an coitionis molitionumque immunes ſint, qui in cœtibus arcanis conſtituerunt eccleſiaſticum divortium impellere, vt & pacem ſuper controverſis quæſtionibus & ius magiſtratuum circa paſtores eligẽdos everterẽt: quique in iiſdem cœtibus decreverunt Synodum è nationibus communem obtinendam, vt factæ iam ſeceſſioni auctoritas circumdaretur: Quique privati cum eſſent contra magiſtratus ſe pactionibus mutuis colligarunt, imo magiſtratibus quæ vellent extorſerunt, vi eos aggreſſi ſunt ac pro libidine mutarunt: quique templa in quæ proceribus poteſtas erat privato auſu invaſerunt.

Vt in procerum corpore proceres alÿ) Non poteſt hoc nobis imputari, quibus hic ſemper animus fuit, decreta procerum Hollandiæ de negotiis ad ipſorum rempublicam

ſpectantibus tueri, proceribus federatis fidelem opem præſtare in his omnibus quæ ſecundum federis leges ad ipſos ſpectabãt. Illi viderint an non in procerum corpore proceres alios fecerint, qui primi inſtituerunt, vt oppida quædam peculiariter convenirent idque ad impugnanda procerum decreta, qui alia oppida in eandem ſocietatem pellexerunt, effeceruntque vt exemplum à procerum corpore membra diſcerpendi in Hollandia cœptum ad Tranſiſalanos manaret.

Imperium in imperio) Imo vero in Hollandia vnum ſummum imperium ſecundum leges mores ac fedus retinere conati ſumus, permittentes Federatis arbitrium rerum belli. At vero oppida quædam colligere vt manu facta decretis publicis contra eatur, id vero meo iudicio eſt in imperio imperium ædificare.

Novaque federa in ipſo federe ac contra fedus erigerentur:) Diſſentaneum & hoc à vero eſt. Provocamus ad federa, tum id quod inter Hollãdos ac Zelandos primo initum eſt, tum id quod Traiecti factum eſt poſtea, quorum vtroque ius ſummum imperij, etiam circa ſacra, cuique nationi ſervatur: Verba à nobis ſtant. Mutatio, quæ quidem aptari poſſit his quæ noſtro tempore con-

troverſa fieri cœperunt, nulla oſtenditur. Hortati ſumus alij alios & rotunde ſententiam expoſuimus ad ea federa obſervanda, non ad nova facienda. Qui federa & vim eorum intelligunt, facile iudicaturi ſunt, an non illi contra fedus faciant, qui invitis nationibus leges præſcribunt ex quibus eccleſiam gubernare debeant: qui nationum proceres & oppidanos magiſtratus vetant adverſus vim ac ſeditiones tutelæ ſuæ proſpicere: qui ſociorum in gratiam edictum facere nolunt ſeditioſis vocibus factiſque comprimendis: qui militem ordinarium abducunt ab officio quominus proceribus nationis ac magiſtratibus oppidanis prȩſto ſit ac pareat in negotiis ad propriam ipſorum rempublicam ſpectantibus: qui edicta faciunt & in Hollandia evulgant proceribus Hollandiæ nolentibus: qui capiendos decernunt eos qui ad Hollandiæ conventum miſſi ſunt, atque in fide publica ſunt Hollandiæ, & ad eam rem præfecti Hollandiæ operam abutuntur: qui nobiles oppidanóſque rectores contra leges honoribus deiiciunt, qui oppida procul à limite ſita externis præſidiis inſident invitis magiſtratibus ac municipibus, quæ præſidia militum numero vincunt quatuor illa millia de quibus Philippi II principa-

tu tanquam palam violato iure publico tam graves querelæ motæ ſunt: qui iuriſdictionem ſibi arripiunt in cives ac miniſtros Hollandiæ, erecto novo tribunali contra leges & ſine vllo exemplo niſi temporum Albanenſis præfecturæ.

Vtque in vniverſum ſtatus civilis & eccleſiaſticus perturbaretur:) Quominus de rebus divinis alij alia ſentiant, ſæpe nulla vi nullaque ſapientia prohiberi poteſt. Certè à nobis id præſtari nequibat, qui ad rempublicam venimus multo poſt quam & ortæ erant & celebres factæ controverſiæ. Sed ad præveniendas quæ inde naſci poſſunt turbas valent remedia à nobis indicata: interdictio obtrectandi ad exemplum Palatinatus cum hortamento ad retinendam vnitatem inter diſſentientes: aut delectorum ex civili & eccleſiaſtico ordine labor ad tranſactionem, aut Synodus convocata ad conciliandas partes regente eam ſumma poteſtate, aut interpoſitio hominum ſacra intelligentium, quibus moderatum ſit ingenium, & qui ſe controverſiis quam minimum immiſcuerint. Contra vero turbis cauſæ datæ ſunt dum repudiantur illa remedia, dum permittuntur in allocutionibus ad populum convitia, ſæpe & calumniæ, dum infeſſis animis definitio procudi-

tur. Statum civilem quod attinet, eum imperturbatum haberi poſſe, quanquam alij alia ſentiant ſuper quæſtionibus controverſis rerum divinarum,&ante hoc ipſo capite & ſuperius capite quarto ac ſexto demonſtratum eſt. Si regendæ reipublicæ modus aſpicitur, obſervatio federis non mutato aut ſtatu qui per annos quadraginta bene ceſſerat, aut rectoribus quorum fides longis experimentis erat probata, turbis cauſam præbere non poterat:ſed id poterant præcipites conatus ad ancipitia & ad vim in ſocios,quæ agendi ratio, vt verum dicam,venenoſa eſt & hoſtibus in rempublicam noſtram occaſiones ſuppeditat. Qui ergo nunc ſunt qui contenti ſuo fuerunt & qui illi qui res novas quæſiverunt? Res manifeſta eſt. ſed ſemper habet lupus in agnum iurgij cauſam.

Cur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam
Iſtam bibenti?

Nec quicquam agno prodeſt reſpondere:

Qui poſſum,quæſo,facere quod quereris lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.

Quidam cum alterum atrociter verberaſſet in ius eum vocare voluit & dicam ſcribere,quod caput durum haberet. Si de ſenſu federis convenire non poterat(quanquam aperta erant verba) proximum erat

venire ad amicos communes, vt ad Reges Galliæ, Britanniæ, Sueonum & Principes Evangelicos. Speraveramus nos Boſſizij adventu eò res perducendas, neque futurum vt adeo faſtidiretur conſilium Regis cuius tanta in rempublicam noſtram merita exſtarent. Sed ad vltima quæque impulſum eſt negotium, ne amicæ compoſitioni eſſet locus. Proinde neque per nos perturbatus eſt ſtatus reipublicæ, neque per nos ſtetit quominus exorta turbamenta placide ſedarentur.

Exhauriretur ærarium ac reſpublica vſque ad decies non ſemel ſumtus faceret:) Siquis fuit qui pecuniæ publicæ quęſivit parcere, quique ex ea locupletatus minime eſt, cum me profiteri audeo: neque metuo teſtes citare omnes eos qui me noverunt, etiam inimicos. Si vero hoc dicitur, profuſionem tamen ex noſtro aut (vt dici oportuit) ex eorum qui nobis præerant facto ſecutam, ne hoc quidem verum eſt. Impendia novi militis, quæ anno longius non durarunt, tolerata non ſunt à communitate federis, ſed à republica Traiectina & per Hollandiam ab oppidis, neque poſſunt, quantum mihi dictat memoria, pertingere ad bis centena millia Florenorum. Multum hoc abeſt à ſæpius decies. Conventus Hollandię (nam

& quod hi crebro haberentur, obtrectatione non caruit) non reipublicæ Hollandicæ ſed propriis oppidorum ſumtibus ſuſtinentur: quodque habiti ſunt tam crebri, illis eſt imputandum quibus nulla decreta vnquam potuerunt ſatisfacere. Qui res patriæ noſtræ intelligunt, iudicent an non cauſam potius dicere debeant de exhauſto ærario & ſumtibus factis vſque ad decies non ſemel, primum nationes quæ iam per annos multos tributa vt poſtulata erant à præfectis & ſenatu polliceri abnuerunt, & tamen quæ erant pollicitata non pependerunt: tum qui vetuerunt ne copiæ Gallicæ ex quo è Gallia pecunia defecit, cum honore ac gratia ad ſuos ire permitterentur cum id poſtulatum eſſet: oppida præterea quæ centum millia florenorum & amplius reipublicæ Hollandicæ reliquabantur: illi etiam qui auctores fuerunt colligendæ Synodi cuius impendia maxima vltro iactitant, nimirum ad multos cives optimos opprimendos, & qui contra leges tribunal inſtituerũt quod non minus ſeptuaginta millibus ſtetit, vt alia prudens taceam.

Diſſenſio ac diffidentia paſſim inter federatos ac populares ſereretur:) Pax eccleſiaſtica inter ſententiis diſcrepantes, & fides de ope

mutua inter rectores, veræ erant rationes non ſerendæ ſed eradicandæ tum diſſenſioni, tum diffidentiæ. Contra vero & diſſenſioni & diffidentiæ cauſa data eſt ex licentia declamandi apud populum etiam in magiſtratus, & quia obſtitum eſt ne ei malo medicina adhiberetur: quia ſeditioſa ac famoſa ſcripta vulgare impune licuit: quia de publica ſpoliatione ac vi alia ius dictum non eſt: deinde ex legationibus & colloquiis, quibus id actum eſt vt plura Hollandiæ oppida trāſirent in eorum partes qui ſe conventui, conventuſque decretis opponebant.

Fedus frangeretur:) Ante ad hoc crimen reſponſum eſt. Nationi cuique ſalvum relinquere ius ſummum imperij circa ſacra ac profana, tutari publicos rectores, hæ vero federis præcipuæ ſunt partes. Vt vni cœtui paucorum hominum poteſtas omnis deferatur, federi non convenit, neque vero durabile eſt. Quod Carolus Burgundiæ Dux, quod ex eadem domo alij, quod Imperator Carolus, quod Rex Philippus effectum dare non potuerunt, vt ſcilicet per omnes nationes noſtras vna duntaxat eſſet reſpublica vnumque imperium, id ſi hodie haud ſatis ſuccedat nihil mirandum eſt. Amant populi omnes gubernari ſecun-

dam maiorum inſtituta.

Patriæ ſibi tuendæ impar fieret:) Imo in hoc ſemper laboravimus vt fines tãtis militum copiis cuſtodirentur; quantas neceſſarias eſſe animo concipi poterat: vtque munimenta omnia firma ac valida haberentur. Id videndum potius; an non patriam ſibi tuendæ imparem faciant, qui milites tuendis finibus neceſſarios non in hoc impendunt, ſed vt decretis Synodi vim addant; maximo cum dolore multorum millium; qui indicta ad patriam tutandam onera promto ſemper animo tulerunt.

Adductaque ſit in periculum aut pactionis ignominioſæ:) Quam procul hoc ſemper ab animo meo abfuerit, ſcit omnipotẽs Deus. Multos aliud ſcire arbitror, etiam eorum qui huic ſententiæ ferendæ adfuerunt. Summum imperium libertatemq; patriæ in omnibus ſcriptis meis defendi: omnia mea conſilia eò tetenderunt: quicquid ad patriæ rem ſtabiliendam augendamque pertinebat, id fide optima & animo integro procuravi Eccleſiæ divortium, rectorum mutatio illegitima, bonorum civium oppreſſio, hæ vero ſunt viæ quæ ad tam miſerabiles exitus rempublicam ſolent perducere, non eccleſiæ vnitas, publici imperij defenſio & in re pietatis moderata libertas.

Aut pleni exitij :) Abſit hoc à nobis qui incolumitatem noſtram in patriæ ſalute poſitam habuimus. Qui à prima ætate vitam ſuam inquinarunt, hi ſuſpecti eſſe poſſunt, ne rem eò perducant, non qui à pueritia honeſtis ſtudiis ac proborum hominum conſuetudini ſe dediderunt. Deum veneror patriam vt ſoſpitet. Quod ſi quid ei impendet mali ob cõtemtam veritatem ſalutiferam, ob ruptas leges iuratas ac fędera, ob effuſum ſanguinem innoxium, illos non tenebit culpa qui perſeverare voluerunt in ſtatu publicò quem Deus tamdiu ſecundaverat, qui æquiſſimas ad concordiam conditiones tulerunt, qui nihil fecerunt niſi publico vocatu, poſtremo qui vt ſanguini parceretur, ad ferendam iniuriam ſe compoſuerunt.

Ac proinde in bene conſtituta republica toleranda non ſunt, ſed punienda vt aliis exemplo ſint :) Concedo, imo etiam morte punienda. Hæc enim illatio iure ſequeretur, ſi vera eſſent quæ proxime anteceſſerunt. At ea nihil minus quam vera ſunt. Iudicabit ſuo tempore is cui perſpecta ſunt omnia.

Ob eam rem dicti iudices) Adverſarij noſtri contra leges in nos iudices dati, vt demonſtratum ſupra eſt.

Exacto conſilio viſis expenſiſque omnibus quæ

adcauſam pertinebant quæque ipſos movere poterant:) Demto quod maxime erat neceſſarium, noſtra ſcilicet defenſione vt videre eſt capite XIV & XVI.

Ius reddentes nomine ac vice procerum Federatorum Belgicogermaniæ:) Imo vero iniuriam facientes eorum nomine quibus in nos iuriſdictio non erat; & quorum præterea cauſa agebatur, vt diſcere eſt ex capitibus XIII & XV.

Captivum eundem damnarunt, damnantque ad carceres perpetuos:) Ad pœnam legibus moribuſque adverſam vt capite XVII probatum eſt. Sed nimirum id quoque faciendum ita fuit, vt crederet vulgus nullam nobis factam iniuriam ab illis qui nos per menſes novem in tali cuſtodia detinuerāt, qualis apud nos poſt Albanica tempora audita non erat. Eſt quod nos ſolemur magnis exemplis. Ioſephus Iacobi filius ad adulterium ſollicitatus cum eſſet, diu in vinculis fuit, quia id facinus noluerat committere, tam inſons eius criminis quam nos ſtupri in Hollandiam, quæ virginis habitu apud nos pingi ſolet. Elector Saxo & Haſſiæ Comes diu in carcere habiti ſunt tanquam Germaniæ perturbatores, ideo quod Concilio Tridentino interceſſiſſent: nos quia eorum qui nobis præerant mandato

dato

dato Synodum Dordrecthanam probare non potuimus. Miltiades qui pro Athenarum libertate tam fortiter fecerat, in carcere exſpiravit. Qui vnquam fuerunt viri præclare de patria meriti in liberis præcipue civitatibus (quam tamen gubernationis formam non ideo aſpernor gnarus eſſe & aliis ſua incommoda) qui non aut interfecti ſunt, aut vincti, aut in exſilium eiecti? Publicam libertatem animoſe tueri quicunque vis; ſcias minoris id non conſtare quam tuæ periculo.

Eoque fini deportandum in bene cuſtoditum locum aſſignandum à proceribus Federatis atque ibi per omne vitæ tempus habendum aſſervãdumque:) Hic adſcriptum non eſt ne pater, frater aliique neceſſarij ad me adire permitterentur. ita tamen vſurpatum eſt. Vide caput XVIII.

Bona vero eius publicanda pronuntiant:) Bona certe exigua, quæ aut ex annuo ſalario meo & reditu vxoriæ dotis comparſa ſunt, aut magno cum labore operis forenſibus quæſita. Hoc ſaltem hinc apparuit quam ego ex publicis muneribus rem non auxiſſem. Iam pridem peregre oblati mihi fuerant honores non aſpernandi, nec infructuoſi. ſed patriam ſemper prætuli. nec eam incuſo, quando hæc mala, non patria

inferente, ſed pro patria & cum patria fe-
ro.

Actum in iudicum cœtu) Cœtu novo atque inaudito. Deus ſimiles à patria avertat.

Hagæ Comitatenſi:) Quo in loco illorum, quibus nos ſecundum leges parueramus, ſummum imperium ac poteſtas erat.

Pronuntiatumq; die XVIII *Maij* CIↃ IↃ CXIX.) Serius nono menſe poſt me captum: ipſo pervigilio Pentecoſtes, quo die ante annos LI à conſeſſu, quem ſanguinarium vocamus, ſententia in Comites Egmundanum & Hornanum pronuntiata fuerat.

Iuſſu dictorum iudicum ſignatum H. Potſius.) Hoc vnum nomen eſt quod ſententiæ ſubſcribitur, eius qui tum ad lites procurator erat Principis, ſed ad hanc cauſam ſcribæ vſum præbebat, atque eo merito factus deinde eſt ſcriba conſeſſus iudicum Hollandiæ vetuſtioris. Iudices noſtri (de parte maiore loquor) ex hac re plus emolumenti quam gloriæ ſperarunt, atque ideo nomina ſua, quod fieri ſolet, ſententiæ non addiderunt. Vide caput XVII.

CAPVT XX.

De mea notitia cum aliis pariter damnatis.

CVm Oldenbarneveldio notitia mihi aliqua, non familiaritas interceſſit, antequam in adſeſſionem Rotterodamenſem fratri eius ſucceſſi. Quicunque in republica erant, ſapiente eius conſilio vti ſolebant: præcipue oppidorum adſeſſores. Ego quoque oblata occaſione vſus ſum, non vt ex eius amicitia quæſtum facerem (neque vero feci) ſed vt quod peritiæ per annos mihi deerat, id ſupplerem ex inſtitutione ipſius qui oppido Rotterodamenſi per annos novem, reipublicæ vero Hollandicæ plus annis xxx in adſeſſoris officio operam navarat, in expeditionibus fuerat ſæpe, legationes obierat maximas, reditus publicos auxerat, ſocietates cum externis egregias publico nomine contraxerat, domique ac foris magnam prudentiæ famam erat conſecutus. Eo autem cupidior huius amicitiæ fui, quod ſermones eius omnes ad poteſtatem procerum Hollandiæ tutandam pertinebant, eumque animum,

quem & in me eſſe ſentiebam, omnibus occaſionibus teſtatum faceret. Credidi eo ipſum melius mihi velle quod ita me animatum conſpiceret. Mos agendi quo in conventu vtebatur erat admirabilis, tum ob honorem quem habebat conventui, tum ob lenitatem, qua ſententias diſſidentes audiebat, rationum momenta ponderabat & ad concordiam reducebat: quod & plerunque feliciter ei ſucceſſit, extra poſtremas de ſacris controverſias ob perpetuam adverſationem. Quos mecum privatim de iis controverſiis ſermones habuit, ij à publicis non differebant, de tuendo imperio procerum quibus miniſtrabat, de ferenda ſententiarum diverſitate ſuper controverſiis, de prædeſtinatione & cohærentibus, adhibita commoda explicatione ac limitum deſignatione, de præveniendis aliis rerum divinarum quæſtionibus. Sæpe mihi dixit poſt factum fedus Trajectinum ita paſſim habitum, ita factitatum, vt nationibus ſingulis ius eſſet de ſacris non minus quam de aliis negotiis civilibus imperare ad ſuam quietem: oppidis hactenus non motam controverſiam de ſui tutela: Semper hanc nationum fuiſſe ſententiam, officium eſſe militum in rebus ad belli diſpoſitum pertinentibus parere proceribus Fe-

deratis, ſenatui, præfectis: at in negotiis ad nationis oppidorumque regimen pertinentibus parere proceribus cuiuſque nationis & poſt eos oppidanis magiſtratibus. Sæpe admodum contulimus inter nos quo potiſſimum modo exortæ controverſiæ tranſigi poſſent ſalva legitima reipublicæ conſtitutione & eccleſiaſtici corporis vnitate. Vnde etiam ab ipſo & à me diverſis temporibus varia conſilia ſunt data, quæ ego intra mentem meam & æqua & temporibus apta fuiſſe iudico, ſed quæ ab aliis perpetuo ſunt repudiata. Motum vllum in ipſo fuiſſe animi, quo Hiſpanis aut iis qui Hiſpanicarum ſunt partium gratum faceret, neque ex actionibus eius neque ex verbis comperire potui. atque ideo valde mihi doluit cum in carcere meo à nonnullis qui tum quæſtioni præerant, ac poſtea inter iudices conſederunt, affirmatè admodum mihi diceretur, in manibus ſe habere documenta earum rerum quæ continerentur libellis nuper in Oldenbarneveldium editis, quibus nomen *Prævia detectio, Diſſertatio neceſſaria, & Hiſpanici conſilij artes*, ac ſpeciatim pecuniæ quam ab Hiſpanica parte clam accepiſſet, quo tempore induciæ contrahebantur: cuiuſmodi ſermones eodem tempore ab aliis quoq; habiti ſunt ad Prin-

cipes ac legatos. Quod ſi ita fuiſſet, merito ſane ſuſpectas reddidiſſet omnes ei⁹ actiones, quas alioqui benigne interpretari par erat, non modo ob communem æquitatis regulam, verũ etiam ob ſummam caritatem in patriam quam ille etiam privatus, vt Harlemi obſidio ſolveretur in militiam profectus voluntariam, poſtea confectis ſe ſuaſore tot decretis, in corpus vnum redactis Indicanis ſocietatibus, atque in eius corporis negotia prono ſtudio, ſplendide teſtatam fecerat. Didici poſtea, ſicut in tractatione cauſæ noſtræ multa per obliquas artes gerebantur, ita & iſtud repertum vt ad defendendam cauſam bonam animus mihi excuteretur. Apparuit id primum ex ſententia quę tale nihil ipſi obiicit: deinde epiſtola poſt ſententiam edita, tantũ vt falſus rumor, quo tamdiu circumventa plebs fuerat, poſt mortem quoque ipſius aleretur: quæ epiſtola nomen quidem præfert procerum Federatorũ, ſed opus erat quorundam è iudicibus qui tum convẽtui Federatorum intererant: neque enim huius rei amplius quicquam ſcire poterant proceres Federati quam iudices ipſis renuntiaverant. Hæc ergo epiſtola à maxime infeſtis Oldenbarneveldio hominibus conſcripta non de probationibus repertis lo-

quitur,ſed de ſuſpicione,nec quaſi hoſtem reſpexerit, vt gratũ ei faceret(qua etiam in re non addito) ſed quaſi eum reſpicere potuerit. Nam quod aſſcriptum eſt,tormentis abſtentum ob gravem eius ætatem, minime eſt probabile, cum illi ipſi ſenectutem eius adeo non ſint reveriti, vt paucos annos,qui ei reſtare poterant ad vitam in miniſterio publico detritam, lictoris manu præſciderint, ſpretis etiam Galliæ regis precibus, cuius amicitiæ patria noſtra tam valde indigebat. Vtilitas publica (quæ & ipſa obtenditur) longè aliud exigebat. nam eius vel maximè intererat, vt cum hoſte commercia(ſi qua fuiſſent) penitus recluderentur. Non leve profecto peccatum eſt, cui vitam ademeris eidem bonam quoque exiſtimationem adimere falſo rumore tam horrendi criminis. At certè ſi quis iudicio imperturbato rem hãc penitus inſpexerit, inveniet ne veri quidem ſpeciem adeſſe huic calumniæ. Namque Oldenbarneveldius honores maximos, neque mediocres divitias obtinebat. domum quoque ſuam præclaris affinitatibus fundaverat. Qui ita ſunt,hi res novas quęrere non ſolent. Tum vero nationes apud nos plures ſunt,oppida multa quæ corpus federis conſtituunt: in his nonnulla in quibus Oldenbarnevel-

dius neque auctoritatem, neque amicos habebat. Solus rem tantam exſequi non poterat. Eorum qui honoribus nunc demoti ſunt (quorum haud dubie opera indiguiſſet) nemo eo nomine accuſatur. imo omnibus ſua exiſtimatio illibata relinquitur. Ipſum Oldenbarneveldium ſanctè ſemper aſſerentem audivi, quod & edita oratione & iamiam moriturus, tum apud paſtores, tum apud mortis ſuæ ſpectatores teſtatus eſt, intactum ſe plane huius criminis: nihil in arcano ſibi cum hoſte actum: nulla inde ad ſe munera perveniſſe niſi palam iuxta cum aliis noſtrorum legatis quo tempore induciæ fiebant. Quod ipſam induciarum pactionem attinet, ea cum fieret, admodum eram iuvenis: neque me immiſcui negotio ad meum munus non pertinenti. Neque vero ita percognitæ mihi ſunt opes viresque tum quas Rex Hiſpaniæ eo tempore, tum quas noſtri habebāt, vt certo iudicare poſſim quid in ea re vtriſque boni malive ſitum fuerit. Hoc tantum ſcio, ex duabus ſententiis quæ tum magnis argumentis magniſque auctoribus ſe tuebantur, eam quæ erat mitior & humano ſanguini parcebat, vtiliorem etiam viſam, non Oldenbarneveldio tantum, ſed & ſummis reipublicæ noſtræ ſociis Regibus

Galliarum ac Britanniarum, poſtquam in ipſorum conſiſtorio res erat ampliter tractata. Manifeſtum & hoc eſt poſt factas inducias præclaris ſocietatibus munitam ornatamque rempublicam & oppida exſoluta quæ pignoris nexu tenebantur. Sed & illud Oldenbarneveldio fuiſſe conſilij, vt imperium patriæ externo cuipiam tranſcriberet, neque comperire neque credere potui: quia ſermones ipſius, tam domeſtici quam publici omnes ad ſervandum penes proceres imperium pertinebant: quibus hoc addebat, ſi quæ inſignes Hollandiæ partes exiſtimarent è re eſſe publica vt Principi Mauritio poteſtas maior tribueretur, paratum ſe ea de re ad conventum referre, vt negotium hoc ritè atque ordine & animis concordibus pertractaretur. Verum eſt, accepta ab ipſo munera, non tantum ab Henrico Galliæ Rege, qui operam rebus ſuis adverſis navatam iam regni plene compos regia liberalitate repenſare voluit, ſed & à Rege Britanniæ, tum per ſe, tum per liberos ſuos. ſed nondum erant ea de re in republica noſtra leges ſcriptæ: adde quod alij non minora acceperunt. Semper illum dicentem audivi, omnes amicitias ac ſocietates diligenter colendas, præcipue autem Gal-

liæ & Britanniæ, vt quæ optima ac certiſſima eſſent præſidia noſtræ libertatis. Propoſitum ipſi, Principem Mauritium abigere aut adimere ei poteſtatem legibus delatam, ne hoc quidem aut compertum mihi aut creditum: Contra plurimæ ipſius actiones indicium dederunt ſingularis ſtudij in inclitam domum Naſſaviam, tum Liceſtrianis temporibus, tum in multis negotiis aliis ipſum Principem fratreſve eius aut ſorores ſpectantibus. Quanquam vero ipſius conſilium non ſemper idem fuit quod Principis, præſertim cum de induciis diſputatum eſt, nunquam tamen exiſtimare potui à Principe ipſum haberi inimici loco, multoque minus ſuſpectum eum eſſe Principi aut de conſpiratione cum publicis hoſtibus, aut de vllis adverſus ſtatum publicum conſiliis, quia Princeps vbique præclara reddebat teſtimonia eius meritis, ac poſt factas etiam inducias filium eius natu majorem ſaltuarium Hollandiæ fecerat, alterum vero filium, cum iam de ſacris controverſiæ ad ſummum veniſſent, præfectum oppidi Bergarum ad Zomam: quæ ego facturum fuiſſe Principem minime arbitrabar, ſi de Oldenbarneveldij in patriam fide ſequius ſenſiſſet. Atque ideo non eſt quod ægre Princeps

ferat, ſi alij amicitia ac conſuetudine vſi ſunt viri poſiti in tam excelſo miniſterio publico, tum vero ornati Principis teſtimonio, qua verbis, qua factis. Scio ab aliquo tempore fuiſſe qui auctoritatem eius obtrectarent. ſed ſimul conſideravi ex opera diu fideliter navata & magnis animi dotibus (quas in eo omnes agnoſcebant) ſequi eam ſolere, multaſque ad res publicè vtilem fuiſſe eius auctoritatem. Ipſi proceres Hollandiæ ita ſe ſentire non ſemel oſtenderunt. Nam cum periculoſiſſimis Liceſtrianæ præfecturæ temporibus ad hoc munus enixe poſtulatus eſſet, & poſt multas excuſationes tandem id recepiſſet, iamque res ex turbis maximis ipſius præcipuè fortitudine ac prudentia (quis hoc poteſt negare?) ad tranquillitatem perductæ beneque ordinatæ eſſent, ipſi proceres ipſum vt miſſionem acciperet orantem, viciſſim orarunt amicèque ab eo contenderunt vt id onus perferret. Rurſum cum de pace aut induciis ageretur, ac tunc quoque non minus quam olim Liceſtrianis, ac poſtea noſtris temporibus per libellos famoſos minaſque impeteretur iterumque otium rogaret, teſtati ſunt proceres gratam ſibi ipſius operam, & vt in ea pergeret à ſe poſtulari: ipſum etiam, quan-

tum eius opus eſſet, in ſuam fidem ac tutelam receperunt. Tertiò, poſt orta ſacrorum diſſidia ſimilibus malis redardeſcentibus denuo in fidem publicam receptus tum eius muneris ergo quo fungebatur, tum ob diu fideliter navatam operam conſciis non tantum proceribus ipſis ſed vniverſo genere humano, vt habent decreti tum facti verba. Neque vero tam gravis fuit eius auctoritas, vt non & ego & alij ſæpe ab ipſo diverſum cenſeremus. Si quis plenius cognoſcere avet res eius geſtas atque animum, is interim videat orationem ad proceres Hollandiæ ſcriptam ab ipſo, & editam anno CIↃ IↃ CXVIII, hiſtoriam careeris eius vulgatam anno CIↃ IↃ CXX cui inſertæ etiam ſunt literæ ipſius quas clam diverſis temporibus è cuſtodia emiſit, ac de cætero exſpectet quod generi liberique eius, vbi commodum erit, pro memoria ipſius edendum iudicabunt.

Hanium noſcitare primitus cœpi in Hollandiæ conventu, hoc pluris eius amicitiam faciens quod paſſim teſtimonium ei redderetur probitatis teſtatæ primum cum conſeſſui curatorum rei maritimæ in oppido Rotterodamo ſcribundo adeſſet, ac poſtea eum magiſtratibus Harlemenſibus adſideret, ad id munus ab ipſis

vocatus. Quæ dicta ſunt ab eo aut mihi aut in oppidorum colloquio, ea congruebant cum his quæ publice in Hollandiæ conventu Harlemenſium nomine dicere iubebatur, pertinebantque ad pacem Eccleſiaſticam retinendam inter paſtores & populos vtriuſque ſententiæ, tuendamque poteſtatem procerum ac magiſtratuum. Sed & hoc ex Harlemenſibus miſſis ad conventũ plane intellexi, quicquid huius, aut in conſcribendo libro apologetico adverſus acta conſeſſus iudicum ſuperioris ab eo factum eſt, id omne factum mandatis rectorum. Innocentia eius hinc quoque conſpicitur, quod & liber iſte apologeticus, & profeſſio Harlemenſis & actus mandati datus oppidorum legatis (quæ ferme ſunt capita quorum accuſatur) omnibus nota erant, vt quæ typis vulgata eſſent ante nos captos. Et tamen ipſe poſt nos captos permiſſus eſt venire in conventum Hollandiæ: quin poſt mutatos quoque magiſtratus per menſes duos liber incedere, nemine ipſi negotium exhibente. At poſtea cum ſpes eſſet illam immitem noſtri cuſtodiam ad ipſum ne ſe ſiſteret terrendum valituram, edicto citari cœpit: quo intellecto ipſe ad laudatum exemplum Principis Arauſionenſis periculo ſe ſubduxit, ſcripto

interim complexus cauſas quibus oſtenderet tum ſe ad iudicem non ſuum vocari, tum nullius ſe criminis teneri, ſpeciatim etiam refellens quæ tum falſo ſpargebantur, de coitione facta, de collegio oppidorum in quibus ipſe atque alij vicibus præſiderent, de auxilio Trajectinis promiſſo, atque alia quæ ſupra ex vero & ita vt ab ipſo factum eſt à nobis ſunt refutata. Addidit ſolennem teſtationem nunquam ſe ab Oldenbarneveldio, nunquam à nobis intellexiſſe quicquam quod non eſſet pro iure publico. Tamen effugere non potuit, quin exſilio in annos quindecim & bonorum partis dimidiæ publicatione mulctaretur. Et quanquam omnes qui iudicio valent facile intelligunt eam pœnam neutiquam reſpondere crimini læſæ maieſtatis, tamen ipſe non minus quam nos anno pòſt comprehenſus fuit in ea pronuntiatione qua non Oldenbarneveldius tantum, ſed& alij cum eo damnati eius criminis conuicti dicebantur: ac nunc cogitur cum vxore, cuius pater olim libertatis ac religionis ergo exſulatum ivit, cumque liberis quieti ſuæ ſedem quærere in locis exteris, ne hoc quidem ipſi conceſſo vt eo iure fruatur, quod lex notiſſima Harlemēſibus indulget (quæ lex nullo delictorum diſcrimine etiam Al-

banicis temporibus exercita eſt) de redimenda bonorum publicatione. Non dubito quin dux Holſatiæ, qui nunc eum in honorato miniſterio habet, eandem in ipſo fidem ac probitatem ſit reperturus quam patriæ oppidoque Harlemo præſtitit.

Angor animi cum ad Hogerbetium venio, cuius vincula ac mœror hoc magis me cruciant, quod ſupra officia multa quæ liber libero fecit, etiam in Lupeſteniana cuſtodia, prohibito nobis conſpectu mutuo, ſolatus me ſæpe eſt literis, indubitatis teſtibus tum probitatis ipſius, tū in Deum pietatis, quas virtutes tum ipſe, tum vxor ipſius (quæ captivitati coniugis immortua eſt) omnibus vitæ ſuæ partibus oſtenderunt, vt vſurpare de illis Claudiani illud liceat:

Ceu ſibi certantes ſexus quid poſſet vterque
Hunc legère thorum.

Digni ambo maioribus ſuis, quos ille habuit præcipuos ac rectores oppidi Hornani, illa vero Dordrechtanorum genere clariſſimos. Ipſe, poſtquam cauſas egerat, adſeſſor factus eſt Lugdunenſium, deinde in conſeſſu ſupremo iudicavit per annos viginti, ea ſanctitate, vt perfectiſſimi iudicis exemplum haberetur. Extrema hac reipublicæ neceſſitate oratus ab oppido

Lugdunenſi vt vacuum adſeſſoris locum iterum impleret, aſſenſu procerum Hollandiæ eò ſe adduci paſſus eſt, neque longius octo menſibus id munus obiit, intra quod tempus iudicio horum hominum, quos affectus ſui excæcarunt commeritus eſt carcerem perpetuum & bonorum publicationem, cum tamen omnibus notum ſit res præcipuas quæ ipſi obiiciuntur decretas fuiſſe antequam ipſe ad rempublicam rediret, etiam novos milites Lugduni conductos. Alia geſta quod attinet mihi cum ipſo communia, (id vero ego in non exigua laudis parte pono, virum eum iudicans probitate cedentem nemini eorum quos in Hollandia novi) de eis ſupra reſponſum eſt. De tribus rebus quæ ipſi ſpecialiter obiiciuntur tantum eſt quod intellexi. Actum mandati legatis ſuis ad Hollandiæ conventum datum à conſulibus Lugdunenſibus, ſed vi decreti antecedentis facti ab ordine, quod eundem ſenſum continebat quem actus mandati. De negotio Wordano nihil aliud quam diſſertatum inter rectores Lugdunenſes, ſi magiſtratus Wordani impares ſe crederent ad vim (quæ ipſis ſpeciatim comminata fuerat) propulſandam, rectius facturos ſi ſe pro tempore propriis cuſtodibus munirent

ex

ex decreto facto IV Augusti die anni CIↃ IↃCXVII, quam ſi maius præſidium expoſcerent, quando appareret ordinarios milites difficiles ſe præbere in iuvandis magiſtratibus contra vim quæ religionis nomine velaretur: ei autem ſermoni cauſam fuiſſe ex cura quam antiquitus rectores oppidi Lugdunenſis pro oppido Vvordano geſſiſſent, quod eius quies ob vicinitatem ad ſe quoque pertineret: neque tamen ex eo ſermone ſecutum quicquam aut conſilia cum magiſtratibus Vvordanis ſociatá: Super ſubito neque prius ſignificato Principis Mauritij adventu Lugdunum, deliberatum quidem inter magiſtratus Lugdunenſes præſente Hogerbetio, ſed antequam ille in ipſorum eſſet miniſterio: ſub idem tempus à cuſtodibus exaudita verba quorūdam minacia, quibus impulſos rectores ad oppidi pacem tutandam municipum corpus armaſſe, conſtituto etiam, mittendos ad Principem ſuo de numero, qui benigna nuntiatione curarent ne ipſe hanc rem acciperet ſiniſterius. Verùm quia Princeps non Lugdunum, ſed alio iter deflexit, ideo id non peractum. qua in re rectores Lugdunenſes invenire non poſſe quicquam à ſe peccatum, cum ex actis publicis diſcant à maioribus olim

ſuisCarolum Burgundum Principis filium & miſſum à patre qui vice eius rempublicam regeret,porta intercluſum, quod metuerent ne præſentia exſulum qui ipſum comitabantur,oppidi quies turbaretur:neque eos tamen eo nomine reos actos criminis, quia quod in rebus eiuſmodi bona mente fit,ad cuiuſquam contumeliam accipi non debet. Qualiſcunque vero hæc res habeatur, certe Hogerbetium, vt & multæ aliæ,non tangit.

Apud Iohannem Vtenbogardum habitavi adoleſcens per annos aliquot,ſollicitis parentibus meis vt in Dei cultu educarer, quamobrem Lugduni quidem apud Franciſcum Iunium, Hagæ vero apud Vtenbogardum me collocarunt. Gratias illi magnas debeo tum Chriſtianæ inſtitutionis, tum quod vitæ exemplo mihi prælu-xit. Nec poſtea deſij tum allocutionibus eius ad populum intereſſe, tum inchoatam amicitiam fovere, mirari ſolitus tum ingenium eius, tum eloquentiam quæ à Deo eximia acceperat, quorumque nomine iuxta virtutes alias ita placuerat Principi Mauritio, vt non tantum in aula & caſtris illo paſtore ſibi gratiſſimo vteretur, ſed & privatis eum rebus ſuis(vt intellexi) vellet admovere, quod ab ipſo comiter excuſa-

tum eſt. Ex ſermonibus factiſque eius nihil aliud comperi, quam dogmati Remonſtrantium ex animo eum eſſe addictum, vt quod non tantum divinis oraculis conſentire crederet, ſed & ad promovendam pietatem magni eſſe momenti: ſimul tamen paratum fide optima cum paſtoribus aliter ſentientibus fraternam vnitatem ſervare, ferreque eos & ab eis ferri. De republica oſtendit ſemper ſe mecum & cum alijs multis credere, proceres Hollandiæ ſibi colendos vt ſummam in ſe poteſtatem eorumque imperatis parendum ſecundum divina iuſſa, quod & perpetuo fecit. Colloquio, quod domi eius Ledembergius nobiſcum habuit, non adfuit continenter: ſed ingreſſus & à Ledembergio rogatus nobis adeſſe quietum ſe cōtinuit, nihil ad rem quæ agebatur locutus quod ego meminerim. Cæteras res quod attinet quarum accuſatur, de ijs ſe defendit libris editis, reddito etiam teſtimonio quid de noſtris conſiliis ex ore noſtro intellexiſſet. Tamen hic quoque nobiſcum damni ac probri conſors fuit, multis calumnijs petitus, edicto vocatus ad iudices, actus in exſilium, bonis inſuper publicatis: quodque plus, ſecuta poſt ſententiam pronunciatio ipſum quoque crimini Maieſtatis involvit.

Cum alijs multis eiuſdem ſententiæ paſtoribus, qui itidem nunc ob ſententiæ ſuæ profeſſionem coguntur patria carere, aut clam eam vſurpare perpetui carceris periculo, notitia mihi interceſſit: atque eos inveni viros eruditos, pios & magiſtratuum ſuorum reverentes. Semper auctor illis fui vt dogma de cuius veritate ac vtilitate perſuaſi in animo ſuo eſſent ſuper prædeſtinatione & rebus cohærentibus ad frugem bonam & ſemota acerbitate proponerent, atque vlteriores controverſias declinarent, quo pax eccleſiæ, vbi ſupererat, retineri, vbi luxari aliquatenus cœperat, hoc facilius reſtitui poſſet.

Danielem Treſelium, qui primus fuit inter operas ſcribæ Federatorum, vix novi antequam exſilio coniungeremur. Cum hic ſpeciatim exemtus ſit ab eorum numero qui in maieſtatem deliquiſſe arguuntur, ſatis intelligere non poſſum, quibus rebus vocatio ad iudices & ſententia in eum lata (nam cauſam nō continet, vt nec illa Hanij & Vtenbogardi) nitatur. Quod ſermonis ac literarum commercium habuerit cum his qui ad conventum Federatorum miſſi erant, in quibus erat & Oldenbarneveldius, eoſque certos fecerit de his quæ de die in diem gerebantur, id ve-

ro nec ſcribam Arſenium, nec cęteros eius conventus participes latuit: neque ei interdictum vnquam eſt. Id ſcio non adfuiſſe eum colloquio quod domi ipſius inter nos & legatos Traiectinos habitum eſt.

Iamque expleto officio quod mihi, quod coniugi, quod liberis, quod aliis debebam, in monumentum & noſtræ & venturis ætatibus, Deum optimum precor, vt quicunque in me aut alios peccarunt iis id clemens ignoſcat: patriam meam mihi dilectiſſimam ſoſpitet adverſus pernitiem internam externamque: Principi Mauritio indulgeat vt eam patriam feliciter cum civium caritate & gratia gubernet: dogma ad pietatem pertinens intra hominum mentes fœcundet: meque & alios eandem ob cauſam dura ſuſtinentes aura cœleſti fulciat, vt crucem qua nos honeſtat non tantum feramus patienter, ſed & ea exciti vitam noſtram emendemus magis magiſque, ac tandem immenſa ipſius miſeratione ex hoc lachrymoſo ergaſtulo vindicati partem accipiamus eius gloriæ quam Dominus noſter, vnicus ſalutis auctor, nobis peperit.

FINIS.

Summma Privilegij.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Navarræ Regis, cautum eſt Privilegio ne quis intra decennium typis mandet, neve vendat librum cui titulus eſt, *Apologeticus eorum qui Hollandiæ præfuerunt*, &c. Authore HVGONE GROTIO I. C. præter Nicolaum Buon Bibliopolam Pariſienſem, qui ſecus faxit, pœna mulctabitur, vti latiùs patet in ipſo Diplomate dato 27. Iulij 1622. ſubſignato

GOISLARD.

Ad rectius intelligenda ea quæ pagina 29. & pag. 154. dicta ſunt, pertinet hoc recens edictum factum a proceribus Friſiæ.

IVBENT proceres Oſtergoæ, VVeſtergoæ & Septemſiluanæ, moti iuſtis rationibus atque edicunt, ne qua Synodica decreta vim aut effectum habeant priuſquam a nationis proceribus approbata fuerint.

Cumque paſtores nonnulli ſubinde, ac nuper etiam in Bolſuerdienſi Synodo auſi ſint regulas Eccleſiaſtici regiminis in communi Synodo Dordrechtana conſtitutas in hanc terram introducere & ad vſum cõferre, cum tamen eæ regulæ his in locis ad effectum perduci nequeãt, multiſq. in partibus pugnent cum legibus publicis, atque adeo in conuentu nationis huius ſolenni decreto trium membrorum reiectæ ſint: quæ res damnum contemtumque & ignominiam adfert ipſis proceribus.

Eam ob rem vetant atque interdicunt diſerte proceres omnibus paſtoribus ne dictas regulas Eccleſiaſtici regiminis in vl-

lo Synodico aut vicinali cætu proponant, conentur-ve introducere aut ad vſum cõferre. Siquis propoſuerit, aut tale quid machinatus fuerit, eum volunt haberi turbatorem pacis publicæ, & pro negotij qualitate puniri. Procuratori autem publico iniungunt in hanc rem intentum eſſe, & ius publicum nationis aduerſus peccantes tueri. Quod ſi ad hæc euertenda delegati reipublicæ curatores ſollicitentur a delegatis Synodi aut alijs, iubentur eidem reipublicæ curatores huic decreto obſequi. Actum decretumque in hoc ſtato conuentu procerum in baſilica procerum Leouardiæ, x. Iulij, CIↃ IↃC XXII.

A01147072

Errata.					Sic reponenda.
In Epiſtola.					
Pag.	7.	lign.	10.	Ieieccre	eiecere
Pag.	14.	l.	13.	in fallor	ni fallor
P.	4.	l.	7.	Itaque	Ita plerique
P.	10.	l.	3.	alio rum	aliarum
P.	41.	l.	17.	ſui	ſuæ
P.	62.	l.	6.	eis	eius
P.	67.	l.	9.	lect.	ſect.
	ibid.	l.	19.	& omnis	omnis
P.	73.	l.	12.	fuerit	fuit
P.	75.	l.	1.	Affricano	Arauſicano
P.	76.	l.	8.	tolerabiles	an tolerabiles
P.	82.	l.	11.	ſic	hi
P.	84.	l.	25.	vtrumque	vtcumque
P.	86.	l.	13.	pecatorum	pacatorum
P.	93.	l.	2.	Eccleſias	Eccleſiæ
P.	94.	l.	9.	Paulin.Mediol.	Paulinꝰ Mediolanẽſem
P.	113.	l.	24.	eam	tam
P.	115.	l.	25.	inter	intra
P.	116.	l.	25.	tentorio	tutorio
P.	118.	l.	19.	mea opera	meæ operæ
P.	119.	l.	13.	maxima	maximo
P.	123.	l.	15.	agere	egere
P.	129.	l.	8.	edixiſſent	edicerent
P.	144.	l.	7.	ne in	in
P.	147.	l.	22.	curam	vitam
P.	151.	l.	18.	A molicnds	A moliendis
P.	154.	l.	1.	multa	multum
P.	155.	l.	8.	ius	vis
P.	158.	l.	23.	retinet	retineat
P.	163.	l.	7.	conſentium	cenſentium
P.	167.	l.	19.	ſe	de
	ibid.	l.	29.	ac	at
P.	170.	l.	22.	Epiſcopi	Epiſcopij
P.	174.	l.	21.	ferreret	ferueret
P.	175.	l.	19.	perdidiſcerat	perdidicerat
P.	181.	l.	29.	neqeu	neque
P.	242.	l.	16.	omnes	omne
P.	254.	l.	28.	ſoluij	ſolui
P.	267.	l.	11.	inteſt	inter
P.	292.	l.	10.	nulla	vlla
P.	351.	l.	7.	ſententiæ	ſententiæ
P.	464.	l.	29.	a	ac noua
P.	473.	l.	6.	gratam	gratum
	ibid.	l.	7.	iri	iniri
	ibid.	l.	23.	Nonita	Non ita
P.	487.	l.	16.	qua	quia
P.	500.	l.	15.	colus	colui
P.	505.	l.	29.	infeſſis	infeſtis